
DIL

EDITE

III


REALE ACCADEMIA DELLE SCIENZE DI TORINO
C² VI 36



OPERE EDITE ED INEDITE

DEL CARDINALE

GIACINTO SIGISMONDO GERDIL.

OPERE

EDITE ED INEDITE

DEL CARDINALE

GIACINTO SIGISMONDO GERDIL

DELLA CONGREGAZIONE DE' CHER. REG. DI S. PAOLO.

VOLUME VIII.



FIRENZE
PRESSO GIUSEPPE CELLI
1850.

THEOLOGIAE MORALIS

LIBER IV.

TRACTATUS DE PECCATIS

IN TRACTATIONEM DE PECCATIS

PROOEMIUM

Cum nihil in humana vita miserius quidquam accidere potest, quam peccatum, tum ad malum illud plane infinitum praecavendum juvat imprimis ejus turpitudinem, causas, genera consequentia bene perspecta et comprehensa tenere. Nam ipsa peccati turpitudo splendidiorem facit, jucundioremque formam virtutis, ac dignitatem. Caussas autem, et genera peccatorum nosse plurimum valet ad sapientiam et prudentiam; eorum demum, quae peccatum consequuntur consideratio vehementer obsistit illecebris cupiditatum. Quod si ad haec adjungere animum pro rei gravitate necesse est omnibus, qui peccata vitare volunt, velle autem omnes debent; quanto majorem curam, et diligentiam ab iis adferendam esse putabimus, quibus id incumbit ut de alienis peccatis judicent, eisdemque medeantur, ne si aliquando perperam aut judicaverint, aut consuluerint, officium suum prodant, seque alieno scelere contaminent? Propter eam rem voce prophetae admonemur, quam severe Deus O. M. ex ore sacerdotis requirat scientiam, ne aut malum bonum, aut bonum malum dicat aliquando, vel pacem ostentans, quae non est, vel jugum imponens gravius quam sit onus Christi, resque honestas criminosis nominibus coinquinans. Quocirca vos magnopere hortor, Auditores ornatissimi, ad hoc studii genus alacriter et bono animo amplectendum. Libare ipsi studuimus ex probatissimis Auctoribus quaecumque nos maxime specie veritatis moverunt; perspicuitatem, et ordinem adjungere curavimus; qua in re, ut vestro commodo consuleremus, non sumus veriti scholasticam, quae dicitur, tradendarum disciplinarum rationem, omnium sane accommodatissimam, revocare; quam si reprehendere volent nonnulli, qui laudem intelligentiae ponere videntur in audiendi fastidio, cogitent velim, posse nos quod facimus, et ratione, et Tullii auctoritate ipsa defendere, quae, si opus fuerit, proferentur. Quid quod Melchior Canus, cui doctrina, et ingenio superiores aut aequales comperientur pauci, eloquentia nemo, eam rationem tenuit? Quod magno argumen-

to est, non rei sed hominum vitium esse, si quae quandoque in ea justae reprehensioni locum dederunt; nos equidem non eam affectare voluimus munditiem orationis, et nitorem, quem praestare non possemus, in eoque tantum laboravimus, ut in rebus delectum, in sermone explicandi facilitatem sequeremur. Nec tamen confidimus omnia nos praestitisse, desiderari possent; sed nec facile est omnibus satisfacere, nec praescriptum curriculum sinit, ut omnia complectamur, quae ad absoluti operis rationem pertinere intelligimus; nec denique nobis tantum tribuimus, ut speremus nos labore nostro ac diligentia semper id esse consecutos, quod maxime volebamus. Sed illa nos spes recreat valde, et reficit, si velitis nostrae industriae vestrum studium, et attentionem adjungere, si benevole et attento animo excipietis quae dicturi sumus, fore ut ex nostris institutionibus non paenitendum vos fructum cepisse intelligatis; quamobrem nulla mora interposita, ad rem adgredimur primum de peccatis universe, tum de capitalibus peccatorum generibus disputaturi.

TRACTATUS DE PECCATIS UNIVERSE

QUAESTIO I.

De peccati natura, et affectionibus.

CAPUT I.

De peccati universe notione, et pravitate.

Inest in peccati nomine depravationis nota, et turpitudinis quae intelligi potest ex peccati definitione, quae traditur a divo Joanne Epist. 1. Cap. 3. = *peccatum est iniquitas* = sive ut expressius sonat Graeca vox ἀνομία, deflexio quaedam, et aberratio a lege. In eo quippe proprie peccatum est, in quo quidque a propria regula deflectit, atque adeo a fine sibi proposito, et conveniente sibi statu, et perfectione deficit. Sic peccare dicitur artifex, qui artis suae propositum non assequitur, et natura ipsa peccare a philosopho dicitur, cum foetus suos ad convenientem perfectionem non perducit.

Homini autem, quaetenus est rationis particeps, duplex est proposita regula unaque ex alia nexa, et dependens, qua se, suosque actus moderari debet: una propinqua, et homogenea, scilicet ipsa recta ratio; altera que ipsa ratio determinari opus habet, ut sit recta, nimirum lex aeterna, quae est quasi ratio Dei, ut docet S. Th. 1. 2. q. 71. art. 6., ad quam regulam nisi homo sit apte compositus, nequit finem suum extremum, et convenientem naturae rationis participi perfectionem consequi.

In deflexione itaque ab hac lege situm est peccatum, quam deflexionem latinus interpres aptissime iniquitatem dixit, siquidem iniquum ex eo dicitur, quod non sit cum propria ei conveniente sibi regula aequatum. Peccato itaque homo a rectae rationis ordine recedit, deerrat in his quae sunt ad finem privatur conveniente sibi perfectione, et bonitate; ex quibus intelligitur primo quemadmodum peccatum sit contra naturam hominis; nam, ut inquit S. Th. 1. 2. q. 71. art. 2. « Natura uniuscujusque rei potissimum est forma; secundum quam

« res speciem sortitur, homo autem in specie constituitur per « animam rationalem, et ideo quod est contra ordinem ra- « tionis, proprie est contra naturam hominis, in quantum « est homo; quod est autem secundum rationem, est secun- « dum naturam hominis, in quantum est homo ».

2. Intelligitur quemadmodum peccatum morale differt a peccato artis. Namque homo per peccatum morale deficit a regula determinante modum perveniendi ad finem ultimum, quaeque adeo vitam hominis, ut homo est, regere debet: per peccatum vero artis deflectit a regula, quae hominem dirigit, non ut homo est, se ut artifex, ad peculiarem finem, ex quo fit, ut cum homo per morale peccatum dejiciatur a perfectione, bonitate sibi conveniente, ipso morali peccato etiam depravetur, ut homo est, ideoque malus dicatur simpliciter, peccato vero artis non malus simpliciter, idest malus homo, sed malus cum adjuncto, idest malus artifex nuncupatur.

3. Cum in ordine rationis existat species pulchritudinis eximia quaedam, in qua elucet honestatis vis, et splendor, hinc prout per peccatum ab hoc ordine deceditur, peccati pravitatem comitatur insigne quoddam dedecus, et turpitudo.

Hinc peccatum universe definiri potest *perversio rationalis naturae in his quae sunt ad ultimum finem.* Quippe haec definitio complectitur peccatum sive actuale, sive habituale, siquidem illa perversio vel in actu spectari potest, vel haerere per modum habitus, ut peccatum ipsum originale. Complecitur peccatum commissionis, et omissionis, quandoquidem a fine suo alienari homo potest non ea solum faciendo, quae non debet, sed ea etiam quae debet praetermittendo. Complectitur denique peccatum mortale, et veniale, prout illa perversione ordo ad finem aut penitus tollitur, aut solum aliquanto turbatur.

Hinc primo infertur, omne peccatum esse offensam Dei. Siquidem omni peccato, sive mortali, sive etiam veniali pervertitur aliqua ex parte saltem, et violatur ordo rationis aeterna lege constitutus, quae est, ut ait S. Th., quasi ratio Dei, quod sine ipsius offensa intelligi non potest.

Hinc secundo dijudicari potest celebris controversia de peccati ratione formali; utrum in positivo quodam consistat, an sit mera privatio rectitudinis debitae. Qua de re triplex circumfertur theologorum sententia. Prima, et communior, quae D. Thomae, Scoti, et omnium scholae principum esse

videtur, statuit rationem peccati formalem in rectitudinis debitae privatione totam positam esse: Eaque videtur esse perspicua mens Angelici cum multis in locis, tum maxime hac de peccatis quaestione art. 6. ubi distinguit manifeste in ipso peccato id quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, ab eo quod pertinet ad substantiam actus humani, et est quasi materiale in peccato, videlicet ipsum dictum, vel factum, vel concupitum. Ac ipsum quidem quod pertinet ad rationem mali, in eo constituit, quod actus careat debita commensuratione.

Tantum vero abest, ut unquam putaverit in ipsa ratione mali, seu formali peccati aliquid inesse positivi, quod substantiae actus haereat, ut contra 1. 2. q. 18. art 1. non dubitaverit de omni humana actione affirmare, quantum habet ea de esse tantum habere de bonitate.

Altera sententia non veretur in peccatis commissionis ipsam formalem mali moralis rationem in positivo constituere, nimirum in tendentia ab objectum ut regulis morum difforme. Ita sensit Collet continuator Tournelii. Tertia sententia inter primas veluti media, ipsum peccati formale statuit in relatione discrepantiae et oppositionis a regulis morum. Laudatur pro ea sententia praestantissimus Canus, eamque et acutissimus Vasquesius amplectitur.

Equidem Nicolaus Herminier, cui assentitur continuator Tournelii existimat controversiam hanc totam metaphysicam esse, nec Scripturae propterea auctoritate, aut Patrum testimoniis dirimi posse, quod et Scripturae locorum, quae in hanc rem afferuntur, mens, et sententia certo non constet, et SS. Patres peccati naturam tam exquisita subtilitate pervestigasse non videantur. In quo nec satis consideratum mihi videtur esse Auctoris illius judicium, et quaestio majoris momenti, quam quae inter metaphysicas sit ableganda.

PROPOSITIO.

Cum peccatum sit perversio in his quae sunt ad finem, ejus pravitas nihil prorsus rei putanda est, sed mera privatio debiti ordinis.

Pr. 1. Ex illo Joannis loco unde illam peccati definitionem duximus, ibi enim peccatum dicitur esse iniquitas, ut

ipsa iniquitas in defectum aequationis cum lege seu regula constituatur, quemadmodum ex Graeci vocabuli *Anomia* vi et potestate intelligitur. Secundo illo Joannis = *Sine ipso factum est nihil* =. Quo ex loco Aug. tract. 1. in Joan. firmissimo theologico argumento concludit peccatum solum non esse a Deo; eo quod sit nihil, cum omnia quae sunt, per Deum facta esse constet. Quamobrem ejusdem argumenti conversione concludi potest, ex eo quod peccatum non sit a Deo, ipsam formale peccati rationem, et malitiam nihil rei esse; nam si esset quid positivum, ipsaque peccati deformitas, ut deformitas, aliquid rei esset, non posset non ab eo esse, per quem omnia facta sunt, ac non cadere sub efficacitate caussae universalissimae, ac summopere efficientis.

Pr. 2. Ex SS. PP. D. Athanasius Oratione contra gentes ait « ea autem sunt, quae bona sunt, ea vero non sunt, « quae mala sunt; » Et deinceps « nonnulli Gentilium a « veri via aberrantes nec Christum agnoscentes malitiae sub- « stantiam aliquam esse, ac per se ipsam existere affirmavere. « Qua profecto in opinione duplici ratione peccabant. Vel enim « negabant Creatorem rerum omnium effectorem esse, nec « enim omnium rerum Dominus foret, si uti censent, malitia « substantiam et naturam per seipsam haberet. Vel rursus si « eum volunt rerum omnium effectorem esse, malique aucto- « rem concedant necesse est, quandoquidem juxta illos ma- « lum res aliqua est. » Nunquid hic deesse subtilitas videtur in malitiae natura pervestiganda?

Patet autem argumentum Athanasii e substantia in quodvis positivum substantie accidens, in quo malitiae naturam constituere quis vellet, transferri nullo negotio posse. D. Greg. Nazian. Oratione ad Julianum; *Mali principium ex boni incuria nascitur, non secus ac tenebrarum principium est lucis secessio.* In quem locum Graecus Gregorii Scholiastes Nicetas: neque, inquit, ulla est mali essentia, quemadmodum nec caliginis. D. August. lib. 11. de Civit. Dei cap. 9. *Mali nulla natura est, sed amissio boni nomen mali accepit.* Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 21: *Malum nihil aliud est nisi boni privatio.* Atque haec est unanimis, ac constans Patrum vox, et sententia, quos ad hanc quaestionem accurate, et pro rei dignitate pertractandam compulerunt acerrimae disputationes, quae primis praesertim Ecclesiae temporibus viguere de mali, et peccati natura, et principia absurdissima, christianaeque

pietati admodum infensa philosophorum, et haereticorum, dogmate, quae refellere opus habuerunt.

Nunc breviter attingenda sunt adversariorum argumenta seu potius expedita via indicanda, qua refelli commode queant. Mihi certe plerumque illorum argumenta consideranti haec mentem subiit cogitatio, illos ex eo fuisse deceptos, quod rectitudinis debitae privationem habuerint quasi privationem formae, seu qualitatis prorsus absolutae. Ex hoc sane nata esse videntur argumenta ista; quod si peccati pravitas in ea privatione tota esset posita, sequeretur, ut quemadmodum una privatio non est major altera, ita etiam in moralibus non haberetur major, et minor pravitas. Deinde quod speciei diversitas, quae in mera formae absentia nulla esse potest, siquidem omnis diversitas per aliquid positivum efficitur, nulla esset in peccatis. Tum quod peccatum non opponeretur contrariae virtuti; postulat quippe contra oppositio, ut extrema sint ex aequo positiva.

Verum haec aliquo modo locum habere possent, si rectum, in cujus privatione peccatum consistere dicitur, forma esset prorsus absoluta, quod secus est. Nam rectum ipsum non nisi comparatione cum regula intelligi potest. Privatio formae relativae, seu debiti ordinis. Hujusmodi autem privatio major, aut minor intelligitur, prout ordo magis, vel minus pervertitur. Majus quippe est ordinem tolli penitus, quam ex parte labefactari, et quidem in utroque habetur ordinis privatio, sed major in primo, quam in altero. Siquidem privatio aestimari debet ex dignitate, et quantitate boni quam tollit, pariter privatio debiti ordinis multiplex, et varia specie esse poterit pro diversa ratione, qua rectus ordo perturbatur. Demum peccatum virtuti contrariae opponitur, quia peccatum non est mera privatio, quae per se consistere non potest; sed privatio in actu positivo. Quod ex ordinis perturbatione facile intelligitur. Nam in hac perturbatione adest aliquid positivi, quod opponitur recto ordini, sed perturbatio ipsa non est mala, nisi propter ordinis debiti privationem quam habet adjunctam.

Hinc videtur posse tertia Cani, et Vasquesii sententia cum prima facile conciliari. Illa quippe discrepantiae relatio a regulis morum nil aliud est, nisi deflexio a lege, et ordinis perversio. Ex hoc autem mala est deflexio ista, haec perversio, quod careat debita conformitate, et ordine.

Duo tandem supersunt secundae sententiae, quae nobis est omnino contraria, argumenta solvenda. Primo quod ante privationem debitae rectitudinis intelligitur ipsa tendentia in objectum difforme regulis morum. Sed haec talis tendentia in genere moris mala est. Igitur ante privationem debitae rectitudinis constituta jam intelligitur malitia formalis peccati. Huic argumento plurimum confidere videtur Tournelyi continuator negatque ei solvendo doctissimum Contensonium parem fuisse.

Verum illi solvendo satis futurum arbitror, si aperiatur ipsa petitio principii, quam implicat, et e qua vim sumit totam. Quid enim intelligunt nomine objecti difformis regulis morum? Materiale actus, quod vocant objectum, an formale? Non primum. Nam res ipsa quae actui subjecta est ex sese neque consentanea, neque difformis est regulis morum; intelligant ergo necesse est alterum, seu objectum actus, quod formale dicitur. Atqui hoc nil aliud est nisi ratio ipsa, qua actus spectat in objectum materiale, sive ratio tendentiae actus in objectum. Cum ergo tendentiam actus nominant in objectum regulis morum difforme, nil aliud dicunt, quam actum ipsum prout in obiectum quodvis tendit ratione difformi regulis morum. Cum ergo addunt ipsam tendentiam esse malam moraliter ante privationem debitae rectitudinis, id assumunt, quod est in quaestione positum, et aliunde in repugnantiam incidunt. Siquidem haec tendentia non est mala moraliter, nisi ut difformis regulis morum; eo vero ipso quo est difformis regulis morum, privata intelligitur debita rectitudine. Repugnat igitur hanc tendentiam esse moraliter malam ante privationem debitae rectitudinis.

Alterum argumentum sumitur ex iis actibus, qui recti esse nunquam possunt, ut odium Dei, et mendacium, qui actus proinde non propterea mali esse ex hoc capite intelligi possunt, quod priventur debita rectitudine, utpote quibus debita rectitudo convenire nusquam potest.

Huic argumento haec afferri solet responsio. Actus hujusmodi in sua infima specie spectatos inabiles quidem esse ad rectitudinem, non vero si spectentur secundum genus proximum, quatenus sunt actus humani; id vero satis, ut in illis etiam ex privatione rectitudinis, quae generi proximo debetur, moralis malitia repetatur. Et haec quidem aptissima responsio est.

Verum alia eidem difficultati, et quidem planiori via occurri etiam potest. In actu odii Dei, in quo ea difficultas exultare maxime videtur, odium non directo cadit in ipsum Deum secundum se, sed in speciem mali quamdam, quam mens portento erroris abrepta sibi in Deo repraesentat. Et quidem ipsa voluntatis aversatio ab ea mali specie constituit quidquid est physicum in odio Dei. Cum ergo a Deo removeri possit ipsa mali species, in quam directe odium Dei cadit; poterit quoque permanere voluntatis aversatio ab ea mali specie, in qua odium Dei secundum se et physice spectatum consistit, quin permaneat odium ejus mali ut in Deo. Cumque aversatio illa a mali specie physice sit bona, si ratione dirigente transferatur in objectum vere malum, profecto moralem etiam rectitudinem induere poterit.

Jam duo magni momenti veluti consectaria erui possunt ex dictis. Primo quam absurda sit eorum sententia, qui mali quamdam naturam et substantiam insano sibi errore mentis finxerunt, cujus caussam, et principium ut afferre possent, Deum quemdam malum mali omnis auctorem induxerunt: quae fuit Cerdonis impietas primo Ecclesiae saeculo, tum Marcionis ejus discipuli, ut constat ex Tertulliano lib. de haeresib. et lib. 1. c. Marcionem, quam subinde in Manichaeis D. Augustinus omni argumentorum genere profligavit, quam denique profligatam penitus, dudumque extinctam excitare novisque, sed inanibus plane subtilitatibus armare nefario conatu hac aetate Petrus Belius studuit.

Secundo non minus a recta sentiendi ratione, quam a pietate abhorrere illorum sectariorum errorem, quos libertinorum sub nomine oppugnavit Calvinus, qui Deum peccati effectorem, quam ipsius Calvini, Bezae, Svinglii ec. qui auctorem saltem facere non erubuerunt, quibus utrisque jam praeiverat obscuri nominis homo Florinus Montani discipulus ex Iren. apud Euseb. Hist. lib. 5. cap. 20. Et sane peccatum perversi est ordinis. Ab illo ergo esse nequit, a quo quaecumque sunt, ordinata sunt. Peccatum est defectio a rectae rationis atque adeo ab aeternae legis ordine, quae divina sapientia continetur. Cum ergo Deus se ipsum negare non possit, quidquid ipsius sapientiae et bonitati repugnat, nequit ab eo procedere. Peccatum denique merus est defectus. Non ergo illi caussae abscribendus, quae deficere nunquam potest. *Natura ut sit*, inquit August. 14. de Civit. Dei Cap. 13. *ex eo*

habet quod a Deo facta est, ut autem ab eo quod est deficiat, ex hoc quod de nihilo facta est. Et Fulgentiu lib. de fide ad Petrum cap. 3. Ideo naturae a Deo factae proficere possunt, quia esse coeperunt . . . ; ideo deficere, quia ex nihilo factae sunt; ad defectum eas ducit conditio originis: ad profectum vero provehit potentia Creatoris.

CAPUT II.

Peccati actualis definitio breviter exponitur.

Unanimi fere theologorum consensione non probatur solum, verum etiam usurpatur peccati definitio a Divo Aug. tradità lib. 22. contra Faustum Manichaeum cap. 27. Peccatum est *dictum, factum, vel concipitum contra legem aeternam Dei.* Quae definitio transfertur etiam a nonnullis in ipsum peccatum originale (hujus pulcherrimam quaestionem cogit nos invitos aliorum rerum praescripto curriculo tractandarum necessitas omittere, seu verius in aliud tempus reservare) eadem ratione qua Augustinus ipse lib. 1. Retractationum cap. 13. ostendit originali quoque peccato convenire, ut sit voluntarium, quatenus nimirum ex primi hominis voluntate contractum, factum est quodammodo haereditarium; proprie tamen ea definitio soli peccato actuali convenit.

Dicitur primo: factum, dictum, vel concupitum, quibus genus ipsum declaratur, quo peccatum cum reliquis humanis actibus convenit. Simulque diversae peccandi rationes exprimuntur. Secundo dicitur contra legem aeternam Dei; quo peccati differentia ab aliis humanis actibus affertur. Ex eo quippe actus humanus est peccatum, quod ab aeterna Dei lege, qua omnia ordinata sunt, dissentiat. Legem propterea aeternam eo loco Augustinus sic explicat, ut sit ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.

Atque hujus quidem definitionis ratio, praeterquamquod liquido constare potest ex dictis cap. 1. Scripturae quoque Sacrae auctoritate innititur; legitur enim Psalm. 118. *Praevaricantes reputavi omnes peccatores terrae.* Apostolus vero ad Rom. cap. 4. ait: *Ubi non est lex, nec praevaricatio*; unde concluditur, nullum esse peccatum, quod non sit contra legem, ut aptissima ratiocinatione demonstrat Augustinus Serm.

25. in eum Psalmum, quae proponi potest quasi absolutum exemplar Theologici argumenti. Si praevericantes sunt, inquit, omnes peccatores terrae, nullum utique est sine praevaricatione peccatum; nulla est autem praevaricatio sine lege; nullum est igitur sine lege peccatum.

Obj. 1. Ea definitio non complectitur peccatum omissionis, quod neque dictum, neque factum, nec concupitum aliquid est. Nec etiam peccatum veniale, quod non est contra legem. Igitur vitiosa est ex hoc capite, quod non convenit omni definito.

R. Ea definitione comprehendi peccatum omissionis, quatenus affirmatio, et negatio ad idem genus reducuntur, quare si dictum contra legem est peccatum, etiam peccatum, si oportet, quod non est dictum, cum lex jubet dicere, videlicet ipsum non dictum contra legem, et similiter de non facto non concupito. Quod attinet vero ad peccatum veniale, suo loco declaraturi sumus, ipsum etiam aliquo modo esse contra legem.

Obj. 2. L'Herminier, multa esse peccata, quae proprie loquendo non sunt contra legem aeternam, sed tantum remote, et indirecte, qualia sunt quae legibus adversantur humanis.

R. Ex Apostolo ad Rom. 15. *Qui potestati resistit, eum Dei ordinationi resistere.* Ex hac autem ordinatione vim obligandi leges humanae accipiunt. « Et ideo: concludit idem Apostolus « necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. »

Obj. 3. Idem l' Herminier: quod est malum sua natura non ideo esse peccatum, quia legi aeternae repugnat. Nam ut inquit postea, lex aeterna est ratio Dei, seu judicium quo judicat, quid sit bonum, quidve malum. Porro non ideo aliquid est bonum, et malum quia Deus judicat id esse bonum vel malum, sed potius ideo Deus judicat aliquid esse bonum, vel malum, quia in se revera tale est, siquidem objectum prius esse debet cognitione, et judicio.

R. Rationem divinae sapientiae, in qua existit lex aeterna, habere, ut docet S. Th. 1. 2. q. 93 art. 1. rationem artis, vel exemplaris, vel ideae eorum omnium, quae creata sunt, adeoque in ipsa praeexistere rationem ordinis eorum, quae agenda sunt. Jam vero quidquid malum est, suapte natura tale est, quia natura sua ordini repugnat. Ordo ergo inintelligitur esse prior ipso malo. Omnis autem ordo praeexi-

stit in ratione divinae sapientiae. Igitur nil est malum, nisi quatenus rationi divinae sapientiae repugnat, et quod suapte natura malum a Deo agnoscitur, tale ab ipso agnoscitur, quia id videt Deus suis perfectionibus, suaeque sapientiae, secundum quam omnia sunt ordinata, repugnare. Non est itaque lex eterna libera quaedam Dei voluntas, in quo mirum in modum est hallucinatus l' Herminier, sed ipsa incommutabilis ratio divinae sapientiae prout omnia dirigit, ac movet ad debitum finem, ut ait idem S. Doctor, qui propterea eidem difficultati sapientissime occurrit qu. 71. art. 6. ad 4. his verbis. « Dicendum, quod cum dicitur, quod non omne pecca- « tum ideo est malum quia est prohibitum, intelligitur de « prohibitione facta per jus positivum. Si autem referatur ad « jus naturale, quod continetur primo quidem in lege aeter- « na, secundario vero in naturali judicatorio rationis hu- « manae, tunc omne peccatum est malum, quia prohi- « bitum. »

Opp. Denique posse intelligi peccatum sola repugnantia cum recta ratione, sine ulla oppositione ad aeternam legem Dei, ut revera Philosophi Ethnici peccati gravitatem intellexerunt. Igitur peccatum non bene definitur ex oppositione ad aeternam legem.

R. Eo ipso quod peccatum repugnat rectae rationi, pugnare illud quoque cum aeterna lege, siquidem ut docet S. Th. recta ratio in agendis non est nisi participatio legis aeternae. Quamobrem ipsimet Philosophi ex rectae rationis notitia in aeternae legis notitiam deducti sunt. Ita Cicero in fragmentis, quae ex jusdem libris de Repub. supersunt apud Lactantium lib. 6. cap. 8. « Est quidem, inquit, vera lex « recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, « sempiterna, quae vocet ad officium jubendo, vetando a fra- « ude deterreat. » En quomodo Ethnicus ille vim legis naturalis rectae rationi inesse agnoscit, sed simul ejus legis originem, aeternamque constantiam ex Deo repetit his verbis quae sequuntur. « Nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, « alia posthac, sed et omnes gentes, et omni tempore una lex, « et sempiterna, et immortalis continebit. Unusque erit com- « munis quasi magister, et Imperator omnium Deus. Ille le- « gis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit « ipse se fugiet, et naturam hominis aspernabitur, Mira- « bilis ec. »

CAPUT III.

De peccati divisione.

Spectari peccatum potest vel ratione legis cui opponitur, vel delectationis quae ex eo percipitur, vel graduum quibus perficitur, vel objecti circa quod versatur. Hinc multiplex existit peccati divisio.

Primo enim aliud est peccatum commissionis, quod legi prohibenti, aliud omissionis, quod legi jubenti adversatur. « Duobus modis, ait Augustinus lib. de perfecta justitia cap. « 3., constat omne peccatum, si aut fiant illa quae prohibentur aut non fiant illa quae jubentur.»

Secundo peccata ratione delectationis dividuntur in carnalia, et spiritualia, quae divisio eruitur ex Apostolo epist. 2. ad cor. cap. 2. ubi ait: *Emundemus nos ab omni inquinamento corporis, et spiritus.* Divisionis autem rationem sic explicat D. Th. 1. 2. q. 72. art. 2. *Omne peccatum consistit in appetitu alicujus commutabilis boni quod inordinate appetitur, et per consequenes eo adepto inordinate aliquis delectatur. Duplex autem est delectatio, una animalis quae consumatur in sola apprehensione alicujus rei ad votum habitae, et haec dici potest delectatio spiritalis, sicut cum aliquis delectatur in laude humana: alia vero delectatio est corporalis, sive naturalis, quae in ipso tactu corporalis perficitur, quae potest etiam dici delectatio carnalis. Sic igitur illa quae perficiuntur in delectatione spiritali vocantur spiritalia, quae perficiuntur in delectatione carnali, vocantar peccata carnalia, sicut gula, et luxuria.*

In peccatis spiritalibus major pravitas a versionis a Deo, in carnalibus fortior adhaesio conversionis ad creaturas: unde, ut ait S. Gregorius: *Peccata carnalia minoris sunt culpae, et majoris infamiae.* Per peccata carnalia homo comparatur jumentis insipientibus, et similis fit illis: per spiritalia, sicut per superbiam, et invidiam, et contentionem, diaboli malitiam imitatur, aemulaturque.

Nec porro dissimulandum peccata carnalia interdum sumi pro quibuscumque peccatis circa materiam externam versantibus, quomodo ad Ephes. 5. avaritia numeratur inter peccata carnalia: et latius quoque pro quibuscumque peccatis e

sensu originem trahentibus, quomodo ad Galat. 1. recesentur inter opera carnis irae, rixae, dissensiones.

Tertio. Peccatum utpote concupitum, dictum, et factum contra legem, aliud est cordis, aliud oris, aliud operis, quod potius est divisio in diversos gradus ejusdem peccati, quam in diversa peccata. Idem quippe peccatum plerumque primum corde concipitur, mox prodit se ore, ac tandem ad opus perducitur: ut patet in ira, quae primum appetitu vindictae intus concipitur, inde in convicia ac contumelias erumpit, ac demum injuriosis factis explet ultionis appetitum.

Quarto. Ratione objecti peccata dividuntur in peccata contra Deum, contra se ipsum, et contra proximum. Equidem peccatum omne est contra Deum, utpote quod est transgressio divinae legis. Est etiam omne peccatum contra ipsum qui peccat, utpote quod recte rationi adversatur, nocetque ipsi peccanti; unde dictum est: *Qui diligit iuiquitatem odit animam suam.* Nihilominus allata distinctio ex Divo Th. luculenter explicari potest in hunc modum. Homo quatenus est animal rationis et societatis particeps, triplici ordine continetur, videlicet ordine divinae legis, ordine rectae rationis, ordine humanae societatis. Et primus quidem ordo comprehendit secundum, sed latius patet. Nam quaecumque continentur ordine rectae rationis, comprehenduntur etiam ordine divinae legis, sed hic multa practerea complectitur, quae non continentur ordine rationis humanae. Hinc peccata contra Deum proprie dicuntur ea, quibus homo transgreditur ordinem divinae legis in iis, quae sunt illius propria, et soli Deo debentur. Talia sunt ea, quae virtutibus theologicis adversantur, ut infidelitas, idolatria, haeresis; tum desperatio et praesumptio, odium Dei, et quae sive religioni, sive poenitentiae, quae est quasi justitia quaedam erga Deum, opponitur, ut sacrilegium, perjurium, impoenitentia. Similiter secundus ordo, scilicet rectae ractionis, complecitur tertium humanae societatis, sed etiam latius patet. Nam quaecumque sunt contra ordinem societatis, sunt enim contra ordinem rationis, sed non vicissim. Quamobrem peccata contra seipsum dicuntur ea, quibus homo transgreditur ordinem rationis in iis, quibus excedit ordinem societatis, suntque directe contra ipsum hominem, velut ebrietas: peccata vero contra proximum, quibus laeditur ordo societatis, ut furtum, contumelia, de-

tractio etc. Atque strictim haec depromimus ex D. Th., qui majoris explicationis gratia est adeundus.

Reliquae peccatorum divisiones opportunius exponentur cum loca ipsa tractabuntur, e quibus illae petuntur.

QUAESTIO III.

De Caussis Peccati.

Peccati caussa proxima non alia est quam ipsa voluntas. Est enim peccatum humanus actus, quia a voluntate tamquam a principio eliciente procedit, idemque actus ut inordinatus et culpabilis est a voluntate tanquam a caussa libera et deficiente. Verum caussae peccati dicuntur quaecumque movent voluntatem ad peccandum; sunt autem duplicis generis, aliae interiores, exteriores aliae: interiores sunt ignorantia, cupiditas, malitia: exteriores diabolus, mundus, et quaecumque mundus sensibus, phantasiae, cupiditati objicit peccati illecebras et irritamenta. Nam peccatum, quod est aversio a Deo, in Deum velut effectorem, vel auctorem referri manifestam non solum impietatem, sed etiam repugnantiam implicare satis constare potest ex dictis.

CAPUT I.

De Ignorantia prout ad peccatum pertinet.

Ex tractatu de actibus humanis multiplex ignorantiae ratio est huic praemunienda quaestioni: ignorantia quippe alia est juris, legis videlicet, aut regulae humanis actionibus praescriptae; alia facti, quae versatur circa objectum legis, aut aliquam ejus objecti circumstantiam. Rursum ignorantia alia invincibilis, quae aut simplex est nescientia rei, cujus cognitio ad hominem non pertinet, aut ignorantia rei quidem pertinentis, sed quam dispellere homo adhibita omni requisita diligentia non potuit. Vincibilis est quam homo debita adhibita diligentia discutere potest, estque adeo ignorantia rei quam quis scire potest ac tenetur. Demum ignorantia alia est antecedens, qua si mens non teneretur, voluntas actum non eliceret, ut apparet in eo, qui amicum occidit putans interficere feram, alia concomitans, qua tametsi homo non la-

boraret, nihilominus ita est animo praeparatus, ut cum actum sciens faceret, quem ignorans facit. Alia consequens ex eo dicta quod sequatur animi affectum in homine, qui de industria scientiam et cognitionem refugit earum rerum, quae sui sunt muneris et officii. Multa jam hic disputantur. Primum utrum aliqua ignorantia sit caussa peccati. Secundum utrum aliqua ignorantia sit ipsa peccatum. Tertio utrum et quomodo ignorantia vel excuset vel minuat vel etiam adaugeat gravitatem peccati.

PROPOSITIO I.

Aliqua Ignorantia est caussa peccati.

Aliqua ignorantia simul et vincibilis est, et caussa actus dissentanei, quantum ex sese est, regulis morum. Sed quod est vincibile, illud est ex natura sua imputabile, siquidem est aliquo pacto voluntarium, et aliunde actus regulis morum dissentaneus statim atque procedit ex caussa voluntaria est etiam aliquo pacto voluntarium, atque adeo imputabile, et peccatum. Igitur aliqua ignorantia est caussa peccati.

Prob. Secundo S. Scripturae auctoritate. Act. 3. D. Petrus Judaeis exprobrans immane peccatum, quo vitae auctorem interfecerant, id tamen ex ignorantia profectum fuisse his verbis agnoscit: *Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis*, additque » Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur » peccata vestra ». Ideo etiam Christus illis peccati veniam deprecatur; *Pater ignosce illis, nesciunt enim quod faciunt.* Ergo in eo quod nescientes faciebant, in eo peccabant, secus non illis fuisset ignoscendum. Tertio Apostolus de se loquens, et de peccato quo persecutus est ecclesiam Dei, id etiam ex ignorantia processisse testatur 1. ad Timoth. c. 1. » Qui prius blasphemus fui, et persecutor et contumelio» sus, sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans » feci in incredulitate.

PROPOSITIO II.

Aliqua Ignorantia est ipsa peccatum.

Prob. 1. Ex allatis definitionibus aliqua est ignorantia

rei, quam homo scire potest ac tenetur, quaeque oritur ex culpabili negligentia: talis ignorantia est mala, utpote quae privat hominem debita cognitione: utque procedens ex voluntaria negligentia, est quoque in caussa voluntaria. Sed quod est malum simulque voluntarium peccatum est. Ergo etc. Ignorantia consequens, quae oritur ex pravo affectu voluntatis, profecto etiam mala est, et voluntaria. Ergo etiam peccatum est.

Prob. 2. Ex Scripturis. Nam ut recte argumentatur D. Bernardus ex cap. 9. Epist. ad Hebr. « Si ignorantia nun- » quam peccatum est, cur dictum est in ea Epist. quia in » secundo tabernaculo semel in anno solus pontifex intraret » non sine sanguine quem offerret pro sui et populi igno- » rantia? » Ita D. Bernardus tract. de baptismo seu Epist. 77. ad Hugonem de sancto Victore, qua refellit quinque errores cujusdam anonimi, inter quos actum erat, nulla esse ignorantiae peccata. Secundo. Psalmo 24. *Ignorantias ne memineris.* Tertio. Oseae 4. *Quia scientiam repulisti, repellam te.*

Et certe manifestum est, ait S. Th. 1. 2. q. 76. a 2. quod: » Quicumque negligit habere vel facere id quod te- » netur habere vel facere, peccat peccato omissionis, unde » propter negligentiam, ignorantia eorum, quae aliquis scire » tenetur est peccatum. Tenetur autem, ut docet idem S. » Doctor, unusquisque illa scire, sine quorum scientia non » potest debitum actum exercere ». Ea porro sunt triplicis generis. Primo ea quae pertinent ad fidem velut praecipua fidei mysteria, et duodecim articuli, qui apostolorum symbolo continentur, quorum scientia est omnibus fidelibus imperata. Secundo generalia juris praecepta non solum naturalis, sed etiam naturalia Dei et ecclesiae praecepta, sine quibus nequeunt fideles mores suos recte informare. Tertio quae ad statum et officium cujusque spectant, sine quibus nequit quisque suo munere rite defungi. Sic parrochi et confessarii multa scire tenentur, quorum cognitio ipsis populis non praecipitur, similiter magistratus, caussarum patronus, medicus tenetur ad multarum rerum scientiam, qua reliqui cives sine culpa carent.

Obj. Primo, peccatum omne est in voluntate, ignorantia est in intellectu. Non ergo ignorantia peccatum esse potest.

Secundo, peccatum omne poenitentia deletur, ignorantia poenitentia non tollitur, non ergo est peccatum.

Tertio, si ipsa ignorantia est peccatum, quamdiu remaneret ignorantia in homine, tamdiu homo actu peccaret, sed continuata manet ignorantia in ipso ignorante. Ergo ignorans singulis momentis continuate peccaret, quod est falsum.

Quarto, si ignorantia esset peccatum, qui furtum admitteret ex ignorantia, duplex peccatum committeret, unum furti, alterum ignorantiae.

R. Ad primum, quemadmodum actus transgressionis imperatus peccatum est, tametsi actus ille non est in ipsa voluntate, sed est peccatum, quia fit voluntatis imperio, sic etiam ommissio tametsi non est in voluntate, peccatum est, prout oritur ex culpa voluntatis, quo sensu ignorantia est peccatum, quatenus procedit ex culpabili negligentia.

Ad secundum, poenitentia non quidem tolli ignorantiam, prout est simplex privatio cognitionis in intellectu, tolli vero ut est omissio culpabilis, quatenus poenitentia tollitur negligentia, e qua oritur ignorantia, quae peccatum est.

Ad tertium, idem judicium de ignorantia faciendum, ac de reliquis peccatis omissionis; ut enim tunc solum omissio est peccatum, cum instat praecepti affirmantis obligatio, sic etiam in eo, qui culpabiliter ignorat, peccatum ignorantiae eo solum tempore admittitur, quo requirenda est scientia, quam habere tenetur.

Ad quartum, aptissime distinguit Sylvius ignorantiam juris et facti; in eo qui furatur ex ignorantia juris non solum furtum est peccatum, sed ignorantia etiam praecepti, quo furtum prohibetur. Si quis autem rem alienam retineret ex ignorantia facti culpabili, unum tantum peccatum committeret, quia cognitio contraria non est praecepta per sese, sed solum per accidens, et quatenus in eo peculiari casu ad vitandum peculiare peccatum requiritur.

PROPOSITIO III.

Ignorantia vincibilis, quae dat prorsus caussam actui, minuit peccatum, consequens auget, concomitans nec auget nec minuit.

Prob. Prima pars. Illa ignorantia minuit peccatum, quae minuit voluntarium, facitque ut voluntas non directe feratur in ipsum peccatum Sed talis est ignorantia illa vincibilis.

Nam ut ait D. Th. 1. 2. q. 76. a. 4. cum aliquid non cognoscitur esse peccatum, non potest dici, quod voluntas directe et per se feratur in peccatum, sed per accidens, unde est ibi minor contemptus, et per consequens minus peccatum: et quemadmodum idem argumentatur. Quod aliquam praebet rationem remissionis peccati, alleviat peccatum. Sed ignorantia illa est hujusmodi, ut habetur ex Epist. 1. ad Thimoth. cap. 1. Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Ergo etc.

Prob. Altera pars ex eodem S. Thoma. Nam illa ignorantia, quae per se, et directe est voluntaria, qua quis sponte nescit ut liberius peccet, auget voluntarium, atque adeo peccatum: siquidem ex intentione voluntatis ad peccandum provenit, quod quis vult subire ignorantiae damnum propter libertatem peccandi.

Prob. Tertia pars. Quia ignorantia concomitans, ut ex ejus definitione patet, nullo modo est caussa peccati, nec ullo pacto in illud influit. Non valet igitur aut augere, aut minuere peccati pravitatem.

PROPOSITIO IV.

Ignorantia invincibilis sive juris sive facti prorsus excusat a peccato.

Prob. Nam ut inquit D. Thomas 1. 2. q. 76. a 2. » Non imputatur homini ad negligentiam si nescit ea quae » scire non potest, unde horum ignorantia invincibilis dici» tur, quia studio superari non potest, et propter hoc ta» lis ignorantia, cum non sit voluntaria, eo quod non est » in potestate nostra eam repellere, non est peccatum ». Ob eamdem rationem involuntaria sunt quae ex illa ignorantia procedunt, nec proinde peccata esse possunt. Et quidem apud Theologos omnes constat nulla culpa obstringi, qui vacans rei licitae patrat aliquod facinus, hominem ex. gr. occidit ex ignorantia invincibili. Verum emergit dubitatio aliqua, utrum qui operam dat rei illicitae, simulque ignorat invincibiliter circumstantiam ignotae rei adjunctam, quae novam malitiae speciem, ac turpitudinem peccato superaddit, reus sit tantummodo improbitatis, quae inest actioni, prout ab eo scienter fit, an etiam peculiaris malitiae, quae oritur ex circum-

stantia invincibiliter ignorata. Ex. caus. utrum qui lacessitus injuria occidit hominem, quem ignorat invincibiliter esse suum patrem, reus sit homicidii tantum, an etiam parricidii. Nonnulli quidem etiam rerum volunt malitiae, quae sequitur ignotam circumstantiam, verum ex positis principiis tenendum est cum D. Thoma ignorantiam insuperabilem circumstantiae excusare prorsus a malitia, quae ex illa peccato adjungitur; nam circumstantia invincibiliter ignorata facit, ut actus respectu ejusdem circumstantiae sit omnino involuntarius. Sed quod est involuntarium nequit ad culpam imputari. Ergo, ut in allato exemplo haereamus, qui parentem sibi invincibiliter ignotum interficit, reus est homicidii, quia voluntarie hominem interficit, nequit tamen esse reus parricidii. Talis fuit ignorantia Judae cum accessit ad Thamar; ille quidem reus fuit fornicationis accedens ad mulierem, quam sciebat non esse suam, immo potius meretricem esse putatabat: sed reus non fuit incestus, quia nurum suam esse ignorabat, et quidem ignorantia insuperabili, cum Thamar faciem suam velasset, ne posset agnosci, quemadmodum ait Natal. Alexander, confirmatque auctoritate Aug. Huc pertinet propositio 68. Baji damnata a Pio V. *Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est:* et propositio 2. damnata ab Alexandro VIII. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.*

Opponunt Janseniani: Hanc propositionem damnatam in Synodo Palestina refert Augustinus lib. de gestis Pelagii cap. 18. nimirum: Oblivionem et ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem. Atqui inquiunt, ea ignorantia, quae secundum necessitatem evenit, est certe invincibilis. Ergo ignorantia invincibilis subjacere peccato putanda est.

R. Necessitatis nomen a Caelestio, et Pelagianis usurpatum fuisse, prout opponitur voluntario, directo, et explicito, utque in eo locum habet, qui sciens prudensque animum inducit ad quidpiam agendum. Cum autem hujusmodi ratio voluntarii iis non reperiatur, qui quomodocumque agunt ex ignorantia, propterea Pelagiani ex necessitate evenire, atque adeo culpa vacare docebant quaecumque fierent ex quacumque ignorantia, sive vincibili, sive invincibili juris aut

facti indiscriminatim. Eam sane fuisse Pelagianorum mentem, constat ex Augustino et Hieronimo, qui eos refellunt cum multis argumentis, tum ipso Apostoli exemplo, qui Christianos persecutus misericordiam consecutus est, quia ignorans fecerat in incredulitate; quod exemplum nullam, ut patet, vim habuisset adversus Pelagianos, nisi oblivionem et ignorantiam vincibilem, qualis illa erat Apostoli, peccato eximere, necessitatis praetextu, voluissent.

Obj. Secundo. Augustinus lib. de gratia et lib. arb. cap. 3. scribit: sed et illa ignorantia, quae non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino qui crederet, sed fortassis ut mitius ardeat.

R. Neque hunc locum ullo modo Jansenianis favere. Nihil enim hic dicit Augustinus, quod non dicant et fateantur, qui negativam prorsus infidelitatem defendunt: infidelibus illis ardendum erit sempiterno igne, non quidem propter infidelitatem, quae negativa supponitur, sed propter peccata, quae sunt illi infidelitati adjuncta, quorum veniam, dum permanent in ipsa infidelitate, consequi non possunt, et a quibus certe per ipsam negativam infidelitatem non excusantur; atque hanc esse mentem Augustini mihi videor certo colligere ex verbis, quae proxime sequuntur. Non enim, inquit, sine caussa dictum est. « Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt ». Quis autem gentes istas, quas constat omni scelere, ac flagitio, et dedecore vitae contaminatas fuisse, ignorantiae nomine excusare vellet, quod nihil unquam de divinis mandatis a prophetis audivissent?

Ex eo vero quod Augustinus conferat ignorantiam gentium, quae Deum non noverunt, cum ignorantia eorum, qui tamquam simpliciter nesciunt, eo quod non audierunt omnino quid crederent, satis constare potest, etiam Augustinum ibi loqui non de ignorantia prorsus invincibili, sed solum de ignoranita vel concomitante, vel vincibili antecedente, prout opponitur ignorantiae consequenti et affectatae, quae de industria quaeritur. Pelagiani quippe eos solos concedebant ignorantia non excusari, qui positive et expresse scire nolunt, ac velut oblatam scientiam renuunt, contra quos ostendit Augustinus, ignorantiam etiam non affectatam ejusmodi esse, ut non penitus eximat a culpa, et culpae poena, sed

ejus tantum gravitatem minuat. Et sane vincibilem ignorantiam, modo antecedens esset, seu daret caussam actui, vim apud Pelagianos habuisse excusandi prorsus a peccato constat ex superius dictis ad Caelestii propositionem damnatam in synodo Palestina.

CAPUT II.

De cupiditate ut caussa peccati.

Cupiditatis nomine hic intelligitur turbatio quaedam et vehementior impetus sentientis appetitus ad bona sensibilia persequenda, vel sensibilia mala refugienda, praeter rectum rationis ordinem. Duplex distinguitur: una antecedens, quae voluntatem excitat nusquam a voluntate excitata: altera consequens, quam ipsa voluntas sponte incitat, aut quae sequitur actum liberum voluntatis.

PROPOSITIO I.

Cupiditas quandoque est caussa peccati.

Prob. 1. Ex illo Jacobi cap. 1. « Nemo cum tentatur; » dicat quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator ma» lorum est, ipse autem neminem tentat: Unusquisque ten» tatur a concupiscentia sua abstractus et illectus, deinde » concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum » vero quum consummatum fuerit generat mortem ». Illud porro est caussa peccati quo homo tentatur, seu inducitur ad peccandum. Atqui unusquisque tentatur concupiscentia abstractus et illectus. Ergo etc.

Ex hoc textu, cujus plerique in eamdem sententiam ac plane similes existunt in aliis sacr. litterarum libris, quorum auctoritatem ipsimet etiam Novatores reverentur, manifeste apparet, concupiscentiam ipsam per sese non esse peccatum, ut est a Concilio tridentino adversus eosdem Novatores definitum, et ideo in sacris litteris peccatum ipsam quandoque appellari, quod ex peccato sit, et ad peccatum inclinet; ceterum peccatum ex concupiscentia non fieri, nisi concupiscentiae voluntatis consensus accesserit.

PROPOSITIO II.

Concupiscentia antecedens minuit peccati gravitatem, non tamen penitus tollit, nisi hominem e statu rationis plane deturbet, atque in furorem, et amentiam conjiciat; conseqaens auget.

Prob. Primo. Ratione Divi Th. qui 1. 2. q. 77. a. 6. inquit: » Actus in tantum est peccatum, in quantum est vo- » luntarium, et in nobis existens; esse autem aliquid in no- » bis dicitur per rationem et voluntatem: unde quantum ra- » tio et voluntas ex sese aliquid agunt non ex impulsu pas- » sionis, magis est voluntarium, et in nobis existens, et » secundum hoc passio minuit peccatum, in quantum minuit » voluntarium. »

Secundo. Ex eodem S. Doct. a. 7. » Si caussa passionis » nullo modo fuerit voluntaria, passio vero penitus auferat » usum rationis, profecto actus redditur plane involuntarius. » Voluntarium enim sine aliquo rationis usu consistere haud » potest, adeoque omnino etiam a peccato excusatur ».

Tertio. Concupiscentia consequens, qua homo irritat libidinem, ut ex petita voluptate fruatur intensius, non solum non minuit peccatum, sed magis auget: » Vel potius, inquit » Angelicus, signum est magnitudinis ejusdem in quantum » demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati, et sic » verum est, quod quanto aliquis majori libidine, vel con- » cupiscentia peccat, tanto magis peccat. »

Ex his eruitur 1. actum, vel omissionem procedentem ex insania, vel alia qualibet animi turbulentia, quae fuerit voluntaria in caussa, non escusari a peccato, cum hujusmodi actus vel omissio praevideri potuit ac debuit. Si Parochus e. g. privat sese usu rationis voluntaria ebrietate, tumque vocatus ad hominis jamjam morituri confessionem excipiendam, nequeat occurrere, illeque homo spiritalibus destitutus praesidiis migret e vita; profecto parochus fit gravissimae omissionis reus. Talis quippe omissio est voluntaria in caussa. Potiut enim ac debuit praevidere illam ex voluntaria ebrietate secuturam.

Quisque tamen voluntarie in passionem se conjicit, quae ipsum privat usu rationis, non continuo fit reus omnium pec-

catorum, quae ex illa impotentia oritura praevideri potuerunt, sed tunc solum quum aliquid aut faciendum, aut non faciendum occurrit, ut docet D. Th. Et sane cum indefinita sint peccata, quae illa impotentia sive commissione, sive omissione admitti possunt, qui ei impotentiae voluntariam caussam tribuit, indefinitum culparum numerum contrahere censendus esset, si eorum jam esset reus, antequam evenirent, quod absurdum est.

Eruitur 2. peccatum ex antecedente cupiditate merito vocari peccatum infirmitatis; Nam ut docet S. Th. » Ipsa per» turbatio sentientis appetitus est velut aegritudo quaedam, » seu morbus animi, quo ratio, quae in ipso animo prin» cipatum tenet, impeditur, ne recte et expedite munere suo » fungi queat ».

Porro passiones omnes, quae possunt esse caussa peccati, ad tria capita revocantur, nimirum ad concupiscentiam carnis, ad concupiscientiam oculorum, ad superbiam vitae; idque ex Divo Joan. Epist. 1. cap. 2. » Omne quod est in » mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia » oculorum, aut superbia vitae. » Prima, ut docet S. Thomas, est inordinatus appetitus earum rerum, quae pertinent ad individui, vel speciei conservationem, unde refertur ad concupiscentiam naturalem, quae quum in reliquis animantibus appareat, dici potest concupiscentia non solum naturalis, sed etiam animalis. Secunda est inordinatus appetitus eorum quae sunt delectabilia, secundum apprehensionem imaginationis, aut alicujus hujusmodi acceptationis, sicut pecunia, ornatus vestium etc. Et ad haec duo prima referuntur omnes passiones appetitus concupiscibilis, sive quae sunt homini cum reliquis animantibus communes, sive quae sunt illius propriae. Tertia est appetitus inordinatus boni ardui, ad quam referuntur omnes passiones irascibilis appetitus, cujus est ferri ad ardua et excellentia, quae praebent materiam superbiae.

Atque haec quidem omnia ex doctrina ejusdem Angelici ultimo loco revocantur ad inordinatum amorem sui. Hic enim ait 1. 2. qq. 77. art. 4. » Quod aliquis spectat inordinate » aliquod temporale bonum procedit ex hoc quod inordina» te amat se ipsum ». Unde manifestum est quod inordinatus amor sui est caussa omnis peccati.

CAPUT III.

De Malitia ut caussa Peccati.

Malitia est ea depravatio animi, qua neque intellectus ignoratione decepta, neque ulla vehementi appetitus sentientis perturbatione incitata voluntas, ipsum spirituale malum consulto eligit, ut bono temporali perfruatur, quae definitio colligitur ex D. Th. doctrina 1. 2. q. 78. art. 1. cujus explanatam sententiam praeterire studio brevitatis cogimur: adeunda est tamen ei, qui theologi personam sustinere, resque per caussas noscere cupiat.

Neque porro huic doctrinae dissentit quod legitur proverb. 22. *Errant qui operantur malum.* Cui loco consentanea est etiam philosophi sententia 3. Ethic. cap. 1. *Omnis peccans est ignorans*, quasi ex eo fieret, peccatum omne ab ignorantia, vel errore, nullum ex certa malitia procedere. Longe quippe alia est ratio erroris in eo, qui peccat ex ignorantia, atque in eo, cujus cogitata culpa est, et meditata. Ille theoretico errore universe ignorat, malum esse quod agit. Iste agnoscit malum quod patrat, soloque practico errore, qui nascitur ex immoderato amore temporalis boni, judicat malum illud esse hic et nunc, ut loquuntur, faciendum, ut eo bono fruatur. Merito proinde philosophus loco cit. ait: *Ob hujusmodi errorem injustos homines malosque omnino fieri*; cujus rationem affert, quia nimirum error ille propria electione contrahitur, nec non est caussa pravitatis.

Quin autem homines peccent interdum ex certa malitia, dubitare non sint Sacr. litterarum auctoritas. Illi nimirum sunt de quibus Job. 34. dicitur. » Quasi de industria » recesserunt ab eo, et omnes ejus vias intelligere nolue- » runt ». Et Proverb. 2. « Qui relinquunt iter rectum, et » ambulant per vias tenebrosas, qui laetantur cum male fe- » cerint, et exultant in rebus pessimis. » Ex quo eruitur peccare ex certa malitia: 1. Quia affectata ignorantia peccant, qui nimirum Dei vias intelligere nolunt. 2. Qui ad illecebram peccati consequentem cupiditatem provocant, qui nimirum laetantur in rebus pessimis. Quaeritur autem utrum peccent ex certa malitia, qui peccant ex prava consuetudine.

PROPOSITIO.

Qui ad peccandum prava peccati consuetudine inducuntur ex malitia peccare censendi sunt.

Prob. argumento D. Th. 1. 2. q. 78. art. 2. Peccatum ex certa malitia illud esse dicitur, quod est ex cogitata et praevisa mali electione, qua nempe scienter quis malum morale eligit, ut bono quopiam jucundo, vel utili potiatur. Atqui per habitum, seu consuetudinem peccati fit homini connaturalis dilectio ejus boni, propter quod scienter eligit malum spirituale, fitque adeo conveniens, et quasi naturalis ipsa electio mali, quatenus ipse habitus, et consuetudo quodammodo vertitur in naturam. Igitur prava consuetudo in voluntatem eam depravationem inducit, e qua oritur malitiae peccatum.

Hinc ea, quae de gravitate peccati ex malitia traduntur a D. Th., transferri possunt ex aequo in peccatum ex consuetudine, immo in hoc magis valent. Triplici ex capite repetit S. Doctor gravitatem peccati ex malitia. 1. Ex eo quod in eo peccati motus magis est proprius voluntatis. Quid autem tam proprium voluntatis, quam motus peccati ex consuetudine, quae fit ei quodammodo connaturalis? 2. Quia quod est ex perturbatione, et repentino motu cupiditatis, breve est ad tempus, et sic homo, ut expresse ait S. Thomas, cito redit ad bonum propositum poenitens de peccato, sed habitus quo homo peccat ex malitia diuturnitatem habet, facitque ut obfirmato animo haereat in vitio qui prava ejus consuetudine implicatur. 3. Quia per peccatum ex malitia, multoque magis per peccatum ex consuetudine contrahitur permanens quaedam, et perversissima dispositio quoad ipsum finem, qua nulla periculosior.

Hinc ipsa consuetudo inter caussas peccati, et quidem praecipuas recenseri debet. 1. Quia vi consuetudinis vivide, et frequenter sese objiciunt animo ipsae peccati illecebrae, quas quantumvis expellere animus satagat, recurrunt tamen, ipsumque assiduitate et frequentia fatigant. 2. Quia peccandi assiduitate dediscit animus horrere peccati gravitatem et turpitudinem; atque ita impius cum in profundum venerit, contemnit. 3. Quia peccanti ex consuetudine subtrahuntur justo

Dei judicio auxilia gratiae, valida illa, et efficacia, quae ad conversionem peccantis ex consuetudine, quam D. Augustinus suscitationi Lazari comparat Serm. 98. de verbis Domini cap. 5., maxime requiruntur.

Hinc denique intelligitur, cujusmodi sit ea moralis necessitas, quam injicit prava consuetudo peccandi, de qua D. Bernardus Serm. 81. in cantica. « Nescio, inquit, quo pra-
» vo et miro modo ipsa sibi voluntas peccato in deterius
» mutata necessitatem facit, ut nec necessitas cum volutaria
» sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas, cum sit
» illecta, excludere necessitatem ».

Atque inde rectoribus animarum argumenta petenda sunt, quibus fideles aut a contrahenda prava consuetudine deterrere, aut a contracta revocare omni ope conentur. Curationi ejus mali instandum cum omni patientia et doctrina. Patientia benignitatem sociam habeat in cohortationibus. Doctrina prudentem suppeditet remediorum delectum, ne morbus aut inanibus blanditis foveatur, aut exasperetur nimia severitate potius quam curetur. Ut justum hoc medium teneri valeat, nunquam haec duo sunt sejungenda, ut blandissimae charitatis affectu excitetur peccator ad intuendas divitias bonitati, patientiae, longanimitatis Dei, eamque benignitatem, quae ipsum vocat ad poenitentiam, simulque ex alia parte justus terror incutiatur irae, et indignationis, quam sibi peccator thesaurizat in die revelationis justi judicii Dei secundum duritiem suam, et impoenitens cor suum.

Constat autem peccatum ex malitia commissum gravius esse peccato, quod dicitur infirmitatis, ad quod nempe perturbatione quadam cupiditatis homo inducitur. Peccatum autem infirmitatis, ceteris paribus, gravius esse peccato ignorantiae, quando ignorantia est indirecte tantum volita, ex eoque tantum capite culpabilis, quod homo non omne quod debeat studium adhibuerit, in eo perdiscendo, quod scire tenetur, cumque ex alia parte talis ignorantia est caussa actus, ita ut homo actum non eliceret, nisi ea ignorantia laboraret. Tunc enim, ut patet, actus minus est voluntarius, quam qui procedit ex cupiditate antecedente, utpote in quem cadit ipsa intentio voluntatis. Et quidem cum ignorantia illa indirecte volita sit caussa actus, hoc, ut ante animadvertimus, fefellit Pelagianos, qui propterea existimarunt, eam, utpote quae antecederet actum voluntatis, afferre necessita-

tem, sed in hoc errabant, quod non animadverterent, eam ignorantiam, tametsi esset antecedens relate ad actum qui ex ea procedit, nihilominus esse consequentem relate ad praecedentem negligentiam ipsiusmet voluntatis, quo sensu cap. superiore vincibilem appellavimus ignorantiam illam, quae antecedit actum, eique dat caussam Unde necessitas, quam infert ignorantia hujusmodi, est necessitas non absoluta sed consequens, quae nequit penitus excusare a peccato, sed tantum illius gravitatem plus etiam minuere, quam antecedente cupiditate minuatur.

CAPUT IV.

De caussis peccati externis.

Caussae humani actus externae triplex est ratio. 1. Cernitur in ipsomet actus objecto, quod voluntatem allicit, movetque ad sui prosecutionem. 2. Altera in eo, qui ejusmodi objectum proponit, vel quandocumque exhibet. 3. In eo, qui objecto proposito aliquam boni speciem, sive persuasione, sive quacumque alia ratione adjungit.

Hinc sequitur diabolum dici posse caussam peccati externam, quatenus menti seu phantasiae suggerit ea objecta, sive illas objectorum repraesentationes, quae cupiditatem inflammare plurimum possunt, eidemque cupiditati stimulos ipse addit impressione sua in appetitum sentientem. Neque enim aliter agere potest daemon in hominem, quemadmodum docet S. Th. 1. 2. q. 86. art. 2. quam phantasiam, et sentientem appetitum commovendo. Nam cum vi nexus physici, quo anima corpori sociatur, objectorum quae fiunt in phantasia repraesentationes, et cupiditatis motus oriantur ex commotione quadam fibrarum et spirituum, qui per eas decurrunt ad partem usque cerebri principem pertinente, satis facile intelligitur, quemadmodum valeat daemon. Deo ipso permittente, impressione quadam in organa sensuum phantasiae objicere irritamenta libidinis, ipsamque libidinem ultro irritare, atque hoc pacto tenebras menti offundere, hominesque in fraudem et peccatum illicere.

Atque hic non pigebit audire quae opportune habet Cajetanus in hunc D. Th. art. « Hinc habes, inquit, quomodo « in mulieribus istis, quae dicuntur visiones habere caussari

« ex daemonum illusione, aut humorum et spirituum com-
« motione potest, ut vigilantes imaginentur, ut appareat eis
« sic esse in re: sicut contingit dormientibus quando somniant.
« Accidit enim quod aliquis patiatur vigilans, quod alter pa-
« titur dormiens, ut manifeste patet in phraeneticis; notent
« autem hoc rectores animarum, ne Divinitati tribuentes, quod
« naturae, aut daemonis est, errent, errareque alios faciant. »
Hactenus Cajetanus:

Principem autem illum tenebrarum, qui homicida fuit ab initio, tentare homines, eoque nomine caussam esse peccati constat apertissime sacrarum litterarum testimoniis, cujusmodi est illud prima Petri capite ultimo. « Adversarius vester « diabolus circuit quaerens quem devoret, cui resistite for- « tes in fide. » Tum illud Apostoli ad ephesios cap. 6. « In- « duite vos armaturam Dei ut possitis stare adversus insidias « diaboli, quoniam nobis non est colluctatio adversus car- « nem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, « adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spi- « ritualia nequitiae in coelestibus. Constat insuper perpetua « universalis ecclesiae traditione, cujus insignia extant monumenta in antiquissimarum etiam liturgiarum precibus, in baptismis, aliisque sacris caeremoniis ad depulsionem daemonum, in unanimi patrum ac doctorum consensu, in ipsa denique constanti fidelium omnium persuasione et sententia, quos in ipsismet ecclesiae incunabulis traditum est crucis signum frequentissime adhibere, eoque corpora sua signare solitos fuisse, quod ad fugandos daemones, nil efficacius jure ac merito crederent ejus crucis signo, in qua ipsi victi ac domiti essent.

Quin etiam compertum est, vetustissimam ac plane communem apud gentes omnes studiis ac moribus etiam dissimillimam opinionem invaluisse de bonis ac maleficis genitis, quibus homines juvarentur, laederenturque; quae consensio in tanta gentium varietate argumento est e traditionis fonte quodam communi opinionem illam manasse, in quo eam gentes illae omnes haurire potuerint, antequam distraherentur. Quae traditio apud eas gentes procedente tempore fabularum admixtione deturpata est; sacris vero litteris consignata velut stabili ac perpetuo monumento integra et sincera apud solos Hebraeos permansit; atque haec breviter notanda fuere hoc nostro praesertim aevo, quo multi sunt nimium procli-

ves ad ea rejicienda omnia, quae tribuuntur daemonibus, in quo sane peccant gravissime: nimirum quia multa fabulosa de his rebus in vulgus manarunt, minime decet inter ea sine ullo delectu omnia prorsus rejicere, quae certa habent argumenta veritatis; non inquam par est, quod illi bene animadvertant, innumerabilium doctorum hominum sententias, et universi generis humani consensionem, et sacrarum, quod longe gravius est, litterarum auctoritatem contemnere, aut pro parvo ducere. Videant ergo ne nimium suae sapientiae tribuant.

Mundum porro etiam caussam esse peccati, praeterquamquod quotidiana nimium experientia constat, sacrae litterae multis locis docent apertissime. *Vae mundo a scandalis*, ait Christus Matth. 18. Quid est autem scandalum, nisi quod ad peccatum inducit?

Atque hanc quidem morum depravationem, quae mundi contagione contrahitur, agnoverunt ipsi etiam ethnici philosophi, qua de re sic inter caeteros Tullius elegantissime, gravissimeque disserit Tuscul. qu. lib. 3. Nunc autem, ait, simul atque editi in lucem, et suscepti sumus, in omni continuo pravitate, et in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, idest magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmatae natura ipsa cedat. Accedunt etiam poetae, qui quum magnam speciem doctrinae, sapientiaequae praesetulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur, et inhaerescunt penitus in mentibus. Quid? si ad poetarum numeros non satis semper severos mollis et delicatus cantus accedat, totusque ille blanditiarum apparatus, quo ajunt plurimum animus demulceri in theatrali consessu? Cum vero accedit eodem quasi maximus quidam magister populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo (non potuit expressius latina voce declarari potestas subjecta huic *mundi* vocabulo) tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque ipsa desciscimus etc. Scilicet mundus depravat. 1. Impiis dictis, falsaque doctrina. 2. Pravis exemplis, et auctoritate. 3. Quod in ipsa societate hominum tametsi optima per sese multa innascuntur incitamenta concupiscentiae carnis, concupiscentiae oculorum, et superbiae vitae. Atque his potissimum continetur quae dicitur occasio peccati, de qua deinceps.

CAPUT V.

De peccati occasione.

Occasio generatim oblata quovis eventu rei cujuspiam gerendae opportunitas. Itaque occasio peccati dici potest quidquid affert opportunitatem peccandi, cui ut plurimum annectitur incitatio quaedam ad peccatum. Occasio duplex, una remota, altera proxima; remota in qua inest vel simplex opportunitas tantum, vel adeo levis incitatio ad peccandum, ut prudenter inde non sit metuendum peccatum; proxima quae vehementem continet illecebram ad peccatum, e qua prudenter peccatum consecuturum timere quisque debeat. Proxima iterum duplex, una per se, altera ex accidente. Prior est quae suapte natura inducit ad peccandum, altera quae vim inducendi habet ex peculiari quadam circumstantia, veluti peculiari fragilitate hominis cujusdam. Quamobrem non aequaliter valet in omnes. Expeditius nonnulli theologi proximam occasionem definiunt, quae propinque inducit ad peccandum, remotam, quae remote. Verum haud scio an satis perspicue et distincte.

Caeterum fatentur omnes, occasionem quae proxima sit, omnino esse deserendam cum fieri potest. Quippe aliud sentire non sinunt propositiones damnatae ab Innocentio XI nimirum 61. Potest aliquando absolvi qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest et non vult dimittere, quin immo directe et ex proposito quaerit, aut se ingerit, et quae sequuntur 62. et 63.

Verum non ex aequo inter omnes convenit, quae censenda sit occasio proxima, eoque propterea nomine dimittenda. Diversis quippe notis diversi eam occasionem insigniunt: diligenter proinde viro theologo cavendum, ne minus apta ejus vocis interpretatione ecclesiae sententiam in illius propositionis damnatione eludat, seque aliosque in errorem conjiciat. Quum autem agatur de occasionis proximae definitione, quae sit rei definitio, non tantum nominis, illa profecto est ex suis sedibus petenda, ita ut per ea, quae jam in illa explorata esse possunt, vi theologicae argumentationis deteterminentur ea de quibus disputatur.

PROPOSITIO I.

SEU LEMMA.

Occasio quae verum peccandi periculum continet, optimo jure proxima dicenda est.

Pr. Quaecumque occasio est dimittenda cum fieri potest, ea optimo jure proxima censetur. Atqui occasio quae verum peccandi periculum affert, declinanda est omni ope, atque dimittenda, ut constat ex illo ecclesiastici 3. *Qui amat periculum peribit in illo.* Ergo etc.

Tota ergo difficultas eo redit ut definiatur quid sit veri periculi nomine intelligendum. Atqui res expedita sane videtur, quippe est petenda vocis illius intelligentia ex communi hominum sensu et intellectu. Cum enim sacrae litterae declinanda esse hominibus pericula praecipiunt, ea intelligunt, quae hac voce comprehendi homines ipsi communi sensu et intellectu norunt.

PROPOSITIO II.

SEU LEMMA.

Verum periculum est, quod affert justum ac prudentem timorem.

Pr. Instantis periculi propria nota est timorem incutere, atque ut vanus timor censetur esse apparentis tantum, et ficti, non veri periculi; sic ubi justus ac prudens timor est, ibi verum periculum esse oportet.

PROPOSISIO III.

SEU LEMMA.

Apprehensio mali gravis multa probabilitate futuri justum ac prudentem timorem ingenerat.

Pr. Timor, ut ex communi hominum sensu philosophi

animadverterunt, continet expectationem appropinquantis mali. Ut autem malum quis sibi expectet, non sufficit illud malum tantummodo evenire posse, neque etiam requiritur ut certo futurum existimetur, sed ut magna probabilitate animus illud futurum judicet. Fieri potest ut homini per vias ambulanti tegula e tectis decidens caput imminuat, nec tamen id malum est timoris objectum, quia non est probabile id eventurum. Cum vero malum ut mox futurum et indeclinabile apprehenditur, non timorem gignit, sed aegritudinem. Sic ille qui jam cohorret febre, aestum mox futurum non timere dicitur, sed illius, quae fit per eam cognitionem, quasi anticipata praesentia aegritudine angi. Affectus ergo timoris proprie spectat in malum, quod magna probabilitate judicatur esse futurum, ac jam jam adventare. Cujus rei exemplum aptissimum Aristoteles rethoricorum lib. 2. cap. 5. locupletissimus harum rerum, eo praesertim in libro ubi de hominum affectibus agitur, interpres ponit in eo qui hominem praepotentem offendit. Cum enim ille possit vicem ad usuram rependere, et magna probabilitate judicetur velle, mali ex eo futuri timor enascitur, cui timori, cum ut in hoc exemplo justus est ac prudens, verum periculum respondet. Ad justum ergo et prudentem timorem ex communi hominum sensu et intellectu non aliud requiritur, praeterquam apprehensio mali cujuspiam gravis, quod non levi judicio, sed prudenti ac probabili judicio imminere existimatur.

PROPOSITIO IV.

SEU THESIS.

Occasio proxima definienda est ea, in qua qui versatur, spectatis probe circumspiciendis omnibus, prudenti ac probabili judicio conjicere potest ac praevidere se peccaturum; non autem illa, in qua qui versatur, aut semper peccat, aut frequentius, aut frequenter saltem peccat, quemadmodum est a nonnullis theologis definita.

Pr. Ex lemmate 1. Proxima occasio est quae verum peccandi periculum continet. Ex lemmate 2. Verum periculum est quod justo timori respondet. Ex lemmate 3. Justus timor,

ubi malum aliquod magnum probabili et prudenti judicio imminere sibi quis existimat. Sed qui versatur in ea occasione, in qua spectatis omnibus circumspiciendis, probabili ac prudenti judicio conjicit et praevidet se peccaturum, ei homini obversatur peccatum, quod certe est malum ingens, atque ut malum probabiliter mox futurum. Ergo in illa occasione justus timor per lemma tertium, ergo in illa occasione verum periculum per lemma secundum, ergo illa occasio vere proxima occasio per lemma primum.

Pr. Quoad alteram partem. Nam quod quis in peccati occasione versans, aut semper aut fere semper peccet, aut frequentius, aut crebro saltem, id sane consequitur ex ipso periculo, et proxima occasione peccandi, in qua versatur. Nam si illa non est proxima occasio, non semper, non fere semper, non frequentius, non crebro in ea peccaret. Proxima occasio igitur antecedit frequentes lapsus, sed antecedens non potest constitui per id, quod ad ipsum jam constitutum consequtiur. Ergo non potest proxima occasio per frequentes lapsus constitui, nec proinde per eosdem rite definiri. Et sane qui offendit hominem praepotentem, non opus habet expectare usque adeo, dum multa et frequentia mala ab eo exceperit, ut timere incipiat, intelligatque sibi grande quoddam ex eo malum imminere. Multo minus igitur homini probabiliter judicanti, se in aliqua occasione peccaturum, expectandum non est, quod in ea frequenter peccaverit, ut ipsum peccati malum timere incipiat, ejusque adventantis periculum praecavendum ac declinandum esse intelligat. Ut autem in re tanti momenti distinctius etiam determinetur, intelligaturque, quae sit ejus periculi ratio, quo proxima occasione continetur, esto.

PROPOSITIO V.

Quaecumque occasio, e qua suboritura gravis tentatio praevidetur, et in quam nulla se necessitate quisque conjicit, proxima esse, aut ad proximam accedere jure ac merito censenda est.

Pr. Proxima occasio est, in qua quis prudenter praevidet se peccaturum. Sed qui se voluntarie exponit occasioni, e qua sit suboritura gravis tentatio, prudenter judicare potest se omnino peccaturum. Nam ut sibi persuadeat evasurum se

victorem ex periculo, cui se voluntarie objicit, debet aut propriis viribus admodum fidere, aut credere sibi potens adfuturum divinae gratiae auxilium vehementi superandae tentationi pernecessarium. Verum ex sese victoriam sibi spondere pelagianae est confidentiae; praesumptionis vero, non spei christianae de coelesti gratiae auxilio in voluntario periculo confidere. Nam ut ait Augustinus lib. 16. de civit. Dei cap. 19, « Qui periculum quantum caveri potest non cavet, magis tentat Deum, quam sperat in Deo ».

Atque hucusque ex illo ecclesiastici loco: *Qui amat periculum peribit in illo*, ratione progressi sumus in evolvenda notione occasionis proximae, notis ejus distinguendis, definitionem afferendo. Nunc vero sunt eadem paucis, sed validis theologicis argumentis comprobanda e divinarum litterarum auctoritate petitis.

1. Ecclesiastici cap. 21. *Quasi a facie colubri fuge peccata.* Quis vero, ut discat fugere a facie colubri, experiundos sibi frequentes venenati dentis morsus existimat, aut non potius censet sibi satis esse caussae ad fugiendum, prudens et probabile judicium inferendi morsus, ni fugam arripiat? Ergo minus animae quam corpori consulere debebit christianus, nec praesens et proximum periculum judicabit esse, in quo positus prudenter judicat se peccaturum, atque ut de periculo judicet, expectandum sibi censebit, quousque ipsa peccatorum frequentia, et animae pernicie certus fiat, illud revera periculum fuisse?

2. Hadrianus VI in 4. Conditiones tractans requisitas ut sit confitens dignus sacramentali absolutione, ait. Firmo pro« posito cavendi in futurum includi propositum rejiciendi a « se omnem occasionem, unde verisimiliter ad mortalem cul« pam sit pertrahendus ». Greg. IX cap. ultimo de injuriis. *Ne ignorantia*, inquit, *te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere.* Sufficit ergo ad justam imputationem homicidii, de quo Gregorius hoc loco, ut quis det operam rei, e qua praevidere possit verisimiliter homicidium consecuturum. Igitur positio illius facti vel rei, e qua verisimiliter praevideri debuit homicidium, haberi debet ut caussa homicidii. Secus non esset homicidium imputabile. Ergo etiam quodcumque factum, e quo praevideri possit verisimiliter secuturum peccatum, censendum erit caussa peccati. Sed nomine facti comprehenditur occasio prout voluntarie

acceptata. Ergo talis occasio, e qua verisimiliter peccatum futurum praevidetur, caussa est, et quidem imputabilis peccati, atque adeo proxima. In eamdem sententiam D. Th. 2. 2. q. 10. art. 9. « Infirmi, inquit, in fide, de quorum sa« lute probabiliter timeri potest, prohibendi sunt ab infide« lium communione. » Igitur ut infidelium communio censeatur fideli occasio removenda, atque proxima, talis est, ut probabilem de salute timorem injicere possit.

3. Quia si ex majori, vel saltem notabili peccatorum frequentià occasio proxima definienda esset, qui decies in mense cum ancilla peccaret, non esset putandus in occasione proxima peccati versari, quod plures sint dies quibus non peccat, quam quibus peccat. Atqui hoc est absurdum, siquidem manifestum ibi apparet peccandi periculum. Ergo etc.

Opponunt. Si quis bis tantum aut ter peccet in mense, reliquo toto tempore a peccato abstinens, certe cum duo vel tres dies exigua sint pars unius mensis, vel anni, exigua quoque erit futuri peccati probabilitas in ea occasione, longe vero major probabilitas peccati non futuri. Ergo ut dijudicetur, utrum occasio sit proxima nec ne, ex ipsa majore vel minore peccatorum frequentia judicium petendum est. At qui sic ratiocinantur, non optimi sane videntur esse officiorum et peccatorum ratiocinatores, quod sic perspicue demonstro. Si quis singulis diebus una hora peccet cum Ancilla, nemo erit theologus tantae humanitatis, qui non fateatur eum in occasione proxima versari: et tamen si numerum horarum quibus peccat, conferas cum horarum numero quibus non peccat, comperies priorem numerum esse tantummodo vigesimam quartam, atque adeo exiguam posterioris partem. Ut ergo dijudicetur, num cohabitatio ea sit occasio proxima, non sunt conferendae partes temporis, quibus quis non peccat, cum his, quibus peccat; secus cum annus, mensis, hebdomada dispergi possit non in dies tantum et horas, sed etiam in minuta et scrupula, cumque in qualibet cohabitatione plures sint horae, vel saltem minuta, quibus non peccatur, quam quibus peccatur, profecto si ex majori numero partium temporis, quibus non peccatur dijudicanda esset occasio proxima peccandi, nunquam ulla in cohabitatione esset occasio proxima. Ut ergo illa cohabitatio judicetur occàsio proxima nec ne, non est hoc attendendum, num toto tempore cohabitationis continuate peccetur, sed num in cohabitatione pro aliquo

tempore ipsius immineat probabile periculum futuri peccati. Corruit ergo allata objectio.

Hinc nonulli theologi, qui ex illa frequentia occasionem proximam definire voluerunt, utpote ex falso principio profecti, in absurda prorsus consectaria deducti sunt. Exemplo sit Caramuel vir tamen incredibilis ingenii, et cum Cardano, ut mihi videtur, aliqua ex parte comparandus. Ille porro de occasione proxima pro libito in hunc modum disserit. Transcribere autem volui, ut quisque intelligat, quanti sit a veris principiis recedere. « Si iveris, inquit, ad talem domum « decies, et quinquies peccaveris, et quinquies non peccave- « ris, est probabile si revertaris te peccaturum esse, et ae- « que probabile te non peccaturum esse. Ergo non est peri- « culum proximum. Si octies iveris, et septies peccaveris, « et semel non peccaveris, est probabilius te peccaturum es- « se, est tamen probabile te non peccaturum esse, ratio est, « quia octava pars est gravis, et si septem lapsus te condamnant « constantiam quam semel habuisti contra septem lapsus dat « gravem auctoritatem, facitque opinionem probabilem. Si no- « vies iveris, et octies fueris lapsus, te exponis periculo pro- « ximo si revertaris, quia nona pars non est gravis aucto- « ritatis, et ideo improbabile est te data occasione restiturum « esse, ac per consequens est moraliter evidens, hoc est cer- « tum, te, si eo redeas, miserrime peccaturum ».

PROPOSITIO VI.

Quisquis versatur in occasione proxima peccati, tenetur eam omni conatù removere, neque excusari potest ullo praetextu boni, honesti, vel utilis, vel delectabilis, neque ulla jacturae faciendae consideratione, sive famae, sive aliorum bonorum.

Constat apertissime ex damnatis propositionibus ab Innocentio XI. 62. Quae sic habet: Proxima occasio peccati non est fugienda, quando caussa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit. Et 63. Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi. Tum ex propositione 4. damnata ab Alexand. VII. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum

concubinarii, vulgo *regalo*, dum deficiente illo nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno afficerent concubinarium, et alia famula nimis difficile inveniretur.

Constat sententia ex praecepto Christi Domini apud Math. cap. 5. v. 29. et 30. « Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te, expedit enim tibi » ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus » tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua » scandalizat te, abscinde eam, et projice abs te ». Quem in locum satis fuerit in re minime dubia afferre D. Athanasium interpretantem dicta et parabolas Evangelii qq. 34. Non de membris corporis hoc dixit, sed de amicis et cognatis, membra namque sumus invicem. Si igitur habes cognatum et amicum, cujus tanta sit tibi necessitas, quanta vel deserti oculi, vel manus, si videris ab ipso damnum inferri animae tuae, abscinde eum.

Hic praeponendae nonnullae regulae, quibus juvetur confessarius in enodandis implicatissimis plerumque difficultatibus, quae in refellendis occasionibus proximis saepius enascuntur. Eas autem ex institutionibus D. Caroli Borromei ad Confessarios ut plurimum eruemus, quae magnam a ssmis Ecclesiae Praesulibus, et imprimis D. Francisco Salesio, atque a summis pontificibus commendationem habuerunt et auctoritatem.

1. Si occasio est praesens, et dimitti pro lubito potest, velut si quis habet domi concubinam, non ante est absolvendus, quam occasionem dimiserit. Eadem ratio videtur esse simoniaci, nisi beneficium simoniace obtentum renuntiaverit, divitis qui rem alienam retinet, cujus restituendae praesentem habet facultatem; vix enim aliter constare potest confessario de doloris et propositi firmitate. Egregie S. Th. de Villanova sermone feriae sextae post dominicam quartam Quadragesimae. « O peccator si vere ploras, fuge concupi» scentiam, dimitte lasciviam, expelle mulierculam, solve » catenam, alias non credo verbis, non credo lacrymis: » funiculus triplex malae inclinationis, pravae consuetudinis, » violentae occasionis difficile rumpitur ».

2. Si occasio est praesens, sed physice inseparabilis, aut in his qui faedissimae mollitiei consuetudine tenentur impliciti, vel etiam in pluribus qui eodem carcere detenti sibi sunt occasio peccati, enitendum est omni ope, ut quae dirimi cor-

porea separatione occasio non potest, animo et affectu dirimatur. Praescribenda sunt itaque illis opportuna remedia, alia quidem generalia, quae omnibus, alia specialia, quae singuli pro aetatis, status, sexus, conditionis varietate sunt injungenda. Praesertim vero ut de Dei presentia frequentissime cogitent, ut rerum aeternarum meditationi quotidie per aliquod tempus ex animo vacent, ut instent orationi, ut honesta occupatione languidi et mollis otii desidiam vitent, ut ab jucundis, tametsi honestis relaxationibus, quae animum distrahunt, sibi temperent, ut corpus etiam, prudenti tamen consilio, et moderata ratione, castigare non vereantur, et in servitutem redigere. Si Confessarius videt haec remedia diligenter adhiberi a poenitente, et aliqua inde notabilis emendatio appareat, prudens certe judicium ferre poterit de doloris et propositi firmitate, secus minime. Damnata certe est ab Innocentio XI haec propositio num. 61. « Poenitenti ha» benti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, » aut Ecclesiae, et si emendantionis spes nulla appareat, » nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore » proferat se dolere, et proponere emendationem ». Quemadmodum autem spes emendationis intelligenda sit, erui potest ex his verbis S. Caroli. » Proroganda est adhuc absolutio, » donec emendentur, iis, qui licet se peccatum dimissuros » polliceantur, ab illo tamen non separandos confessor su» spicatur; ut sunt praesertim juvenes otiosi qui solent majo» rem temporis partem aleis, crapulis, amoribus, peccatis » carnalibus, blasphemiis, inhonestis conversationibus, dis» sentionibus, odiis et detractionibus vacare. » Ex quibus patet spem emendationis non confitentis verbis et promissis, sed mutato vitae tenore et instituto niti oportere.

3. Si est occasio praesens quae dimitti nequeat sine scandalo et gravi admiratione et murmure, aut etiam temporali damno: velut cum pater et filia, frater et soror, filius familias et famula, servus vel contractu, vel aere obligatus, non statim praecipienda occasionis dimissio, quandoquidem quum sit ex earum genere, quae ex accidente sunt proximae, potest opportunis remediis adhibitis proxima fieri remota. Sed ita se gerere confessarius debet, ut D. Carolus praecipit. » Primum absolutionem differat, donec certae sin» cerae emendationis videt indicia. Quod si absolutionem dif» ferre non possit, quin poenitentem exponat gravi infamiae

» periculo, tum si contritum certis quibusdam notis eum videat, aut ita mente affectum ut ad omnia remedia paratus sit, quae ad ejus emendationem necessaria judicaverit, » prudens sacerdos tunc ei praescribat quae aptiora et efficaciora judicaverit, puta ut solus cum sola nunquam conveniat, imponet et preces, et corporis macerationem aliquam, et imprimis frequentem confessionis usum, similiaque exercitia, quae si poenitens libenter acceptet, Confessarius eum absolvere potest; quod si jam adhibita hac aut a se, aut ab alio diligentia poenitens emendatus non fuerit, absolvi non debet, donec ab ea occasione recesserit. » Patri certe, fratri, filio familias, si vult efficaciter, non est difficile multis et ad speciem vitae compositis artibus vitare solius ad solam cum filia, cum sorore, cum famula congressiones. Quod si nihil prorsus proficit, non deerunt prudenti confessario media honesta, et opportuna, quae suggerat filio familias etc. ut sine parentum, aliorumve offensione et scandalo per aliquod tempus e contubernio discedat, puta vel itineris caussa, vel studiorum, vel commercii, pro uniuscujusque statu et conditione vitae. Caeterum hic opus maxima cautione et circumspectione, ne dum adolescentem praesenti periculo eripere nititur, eum in majus conjiciat.

4. Qui licitam exercent artem, aut munere quovis honesto ex se se funguntur, quod ex accidente ipsis est occasio peccandi, ut in mercatore qui fraudes committit, in caussarum patrono, vel judice qui gratiae servit, vel pecuniae, in chirurgo dum abditas corporis partes medetur, non ii sunt continuo ab arte sua, vel officio removendi, tales enim occasiones, utpote quae vim ex sese non habent, sed ex pravo affectu, fieri possunt e proximis remotae, dummodo in eo pravo affectu comprimendo, quam quisque potest ac tenetur diligentiam adhibere velit: quod si nihilominus in peccatis illi perseverant, non sunt certe absolvendi quousque munus abjecerint, quod suo vitio sibi proximam peccandi occasionem fecerunt.

5. Deninque quod attinet ad alias occasiones, nimirum ad eas, quae praesentes non sunt, quales sunt, inquit S. Carolus, alea, vacatio, conservationes, aspectus et gestus minus pudici, poenitens absolvi non debet, nisi sincere promittat, se ab iis abstenturum, quod si jam alias promiserit, nisi emendatio appareat.

Caeterum quoties eveniat, ut debeat sacerdos confitenti absolutionem vel negare, vel prorogare, non tamen praetermittat, monente eodem S. Carolo, eum salutaribus consiliis, et bonis operibus praescribendis juvare, caveatque, ne quemquam asperius tractans, culpa sua inducat, ut vel desperet, vel a confessione abhorreat. Ita in latinis instructionibus de Sacramento Poenitentiae.

QUAESTIO III.

De peccatorum comparatione inter se.

Conferendis inter se peccatis apparet, deprehenditurque ipsorum in gravitate inaequalitas, in specie diversitas, distinctio in numero, in reatu differentia.

CAPUT I.

De inaequalitate peccatorum.

Ut virtutes omnes aequales, ita etiam paria omnia peccata fecere Stoici, volueruntque non minori esse in culpa qui gallum gallinaceum, cum non oportet, quam qui patrem occiderit. Subtiliter quidem illi ut solebant, sed hoc loco insanis conclusiunculis decepti, quorum error ut evidenter appareat, satis fuerit enimadvertisse, quod illi minime negant, quidquid peccatur, perturbatione peccari ordinis atque rationis, ita ut peccatum in aberratione, seu deflexione a lege, seu regula consistat, quemadmodum ante dictum est. Tametsi autem una deflexio non sit magis deflexio quam alia, potest tamen una esse alia major vel minor, quemadmodum numerus decem non magis est numerus quam numerus quinque, sed tamen major est; et curvitas una non est magis curvitas, quam alia quaecumque, sed major, vel minor. Hic vero fuit fons erroris stoicorum. Nam eorum argumenta: peccatum est transire lineas, et alia ejusmodi, probant tantummodo unum peccatum non magis peccatum esse, quam aliud quodvis, sive omnia peccata aequaliter esse peccata, quod omnibus peccati ex aequo conveniat communissima peccati ratio, non vero probant omnia peccata aequaliter esse gravia. Longe autem diversum est asserere omnia peccata aequaliter pecca-

cata esse, quod verum est, et de quo non disputatur, atque affirmare, omnia aequaliter esse gravia: quod falsum esse constat eo ipso quod illi fatentur peccatum fieri perturbatione rationis, et ordinis. Nam ut illa perturbatio major, aut minor esse potest, ita necesse est peccata quoque alia esse aliis graviora pro majori, vel minori perturbatione, sive deflexione a lege, seu regula.

Stoicorum Paradoxon excitavit quarto ecclesiae saeculo Jovinianus, eique ex sacris litteris auctoritatem conciliare studuit: movebatur autem potissimum, quemadmodum colligitur ex D. Hieronymo, illis scripturae testimoniis, quibus duo tantum hominum ordines distinguuntur, bonorum videlicet, qui in vitam aeternam, malorum qui in ignem aeternum ituri sunt, ut illo Math. 25. Statuit oves a dextris, et haedos a sinistris. Quod argumentum egregie refellit D. Hieron. lib. 2. adversum eumdem, siquidem ex eo quod nullus sit ordo medius inter bonorum ordinem, et malorum, nullo pacto sequitur, ut ipso malorum, et bonorum ordine non multae possint esse differentiae, quale, inquit, est, ut quia inter bonos, et malos divisio est, tu asseras inter bonos ipsos, vel e contrario malos, nullam esse distantiam, nihilque differre utrum in pecore aliquis aries sit, an avicula. Hinc D. Augustinus epist. 29. ad Hieron. ei gratulatur convictum ab ipso hunc errorem Joviniani. » Hoc, inquit Augustinus, de paritate peccatorum, soli Stoici ausi sunt disputare contra « omnem sensum generis humani. quam eorum vanitatem « in Joviniano, illo qui in hac sententia Stoicus erat, in « aucupandis autem et defendendis voluptatibus Epicuraeus, « de scripturis sacris dilucidissime convicisti ».

Ex his patet, lapsum esse doctissimum Alphonsum in summa sua de haeresibus lib. 2. verbo *peccatum* haeresi octava, negantem notam fuisse Hieronymo hanc haeresim Joviniani: beatus Hieronymus, inquit, qui duos libros contra errores hujus Joviniani disputat, nunquam hujus erroris meminit, neque illum Joviniano unquam impingit, ex quo non licet colligere, Jovinianum non ita sensisse, potuit enim fieri ut ad Hieronymi notitiam hic error non devenerit: imo impingit Hieron. Joviniano vehementissime lib. 2. se non licet, inquit, a virtutibus paullulum declinare, et omnia peccata sunt paria, ejusdemque criminis reus est, qui panem

esurienti surripuerit, et qui hominem occiderit, tu quoque maximorum scelerum reus teneris.

Ceterum error iste sacrarum litterarum auctoritate facile refellitur: Deuteron. 25. Pro mensura peccati erit et plagarum modus: Joan. 19. Qui me tradidit tibi, magis peccatum habet: et Epist. 1. cap. 5. Idem Joannes distinguit inter peccatum ad mortem, et non ad mortem; sed de his satis.

CAPUT II.

De specifica diversitate peccatorum.

In peccata duo spectanda sunt, actus voluntarius, et ipsa perversio, sive inordinatio actus. In peccato prout est actus voluntarius, inest actui voluntatis conversio in aliquid objectum. In ipsa vero ejus actus perversione recessus a lege, et aversio. Ratione aversionis, sive recessus a lege peccata specie differre non possunt, siquidem, ut consentiunt philosophi, nulla motio speciem sortitur a termino, a quo recedit quidquid quocumque modo movetur, sed a termino potius, in quem fit progressio.

Deinde in omni actu est perversio illa et recessio a lege praeter intentionem voluntatis. Ita D. Th. 1. 2. q. 72. et D. Bonaventura secundum Dist. 42. art. 3. q. 1. » Etsi aversio » det conversioni quod sit peccatum, conversio tamen dat » aversioni, quod sit tale peccatum ». Itaque

PROPOSITIO I.

Specifica peccatorum diversitas ex objecto velut primario fonte est repetenda.

Pr. Ratione. D. Th. peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem. Atqui dicta, facta, et concupita ex objectis speciem sumunt, ut ex mox dictis elici potest, fusius autem declaratur in tractatibus de actibus humanis. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Non ex diversis praeceptis quibus opponuntur peccata proprie censeri possunt differre specie.

Pr. In oppositione peccati cum praecepto intelligitur recessus ipse actus humani a lege, et aversio. Sed nullus actus humanus, nec adeo peccatum ex tali recessu speciem sortiri potest, ut ex dictis constat. Igitur nec proprie differre specie peccata censeri debent, prout opponuntur praeceptis diversis.

Perjurium certe, homicidium, furtum, naturali, divina, humana lege prohibentur, non tamen pro triplici lege, cui peccata ea opponuntur, triplici diversa malitia, labe, ac deformitate turpificata censentur.

PROPOSITIO III.

Diversitas formalis objectorum, e qua specificam diversitatem peccata sortiuntur, dignosci potissimum valet ex diversis virtutibus, quibus peccata opponuntur, et ex contraria, vel diversa ratione, qua uni eidemque virtuti opponuntur.

Pr. Nam, ut ait S. Th. 1. 2. q. 72. art. 1. « Tametsi » peccata propter allatam rationem aptius distinguuntur spe- » cie secundum objecta actuum, quam secundum opposita: » nihilominus si distinguuntur secundum oppositas virtutes, » res in idem redit, quia et ipsae virtutes distinguuntur » specie ex objectis ». Hinc infidelitas et desperatio peccata sunt specie diversa; nam primum virtuti fidei, secundum virtuti spei opponitur. Hinc furtum rei sacrae uno actu duplicem specie diversam malitiam habet, quatenus ut furtum, opponitur virtuti justitiae, ut violatio rei sacrae, virtuti religionis.

2. Quae contrario modo eidem virtuti opponuntur, specie differunt. Sunt autem, ut docet S. Th. hac q. 72. art. 8. Quae per excessum aut defectum ab una, eademque virtute recedunt, ut avaritia; et prodigalitas a liberalitate. Nam in his peccatis objecta, quae voluntatem inclinant, non solum sunt diversa, sed plane contraria. Sicut, inquit S. Doctor,

motivum in peccato intemperantiae est amor delectationum corporalium, motivum autem in peccato insensibilitatis est odium earum. Atqui ea quae sunt contraria, certe specie differunt. Igitur peccata omnia quae per excessum aut defectum, seu, quod eodem recidit, contrario motivo eidem virtuti opponuntur, specie diversa censenda sunt.

3. In peccatis autem quae sive per excessum, sive per defectum adversantur eidem virtuti, datur etiam specifica diversitas propter diversum modum quo ei opponuntur: qui diversus modus ex diverso inclinante objecto, sive motivo extrinseco intelligi debet, ut ex allata D. Th. doctrina patet. Sic ambitio, et vana gloria verae magnanimitati per excessum opponuntur: specie nihilominus differunt, quia in ambitione, et vanagloria diversum est apparens bonum, seu objectum movens ipsam voluntatem ad recedendum a bono, quod intendit magnanimitas, ut progrediatur ad bonum apparens in ambitione, et vanagloria.

PROPOSITIO IV.

Ut innotescat, num praecepta diversa inducant in peccata specificam diversitatem non est attendendum, num differant ratione finis extrinseci, et ex parte praecipienti et legislatoris, sed solum si differant ratione rei praeceptae, vel proximi et intrinseci motivi.

Pr. Prima pars ex propositione secunda, altera constat ex propositione tertia. Nam cum in praeceptis invenitur haec differentia penes motivum intrinsecum, actus etiam illis praeceptis oppositus diversis virtutibus opponitur, aut eidem virtuti, contrario, aut saltem diverso modo.

Hinc ille, qui die Veneris aut Sabbathi, in quem incidit vigilia, carnibus vescitur non duplex peccatum admittit, tametsi duplex praeceptum violat, quia haec duo praecepta in idem temperantiae bonum, velut finem intrinsecum spectant. Verum qui praeceptum ab ecclesia jejunium violat qua die tenetur etiam ex voto jejunare, duplici se certe culpa contaminat, violando praeceptum ecclesiae, quod ad virtutem temperantiae, et praeceptum naturale et divinum pertinens ad religionem, quo tenetur voto suo satisfacere. Duplex etiam in jejunii violatione malitia occurreret, si jejunium praeterea

esset in peccatorum satisfactionem indictum, propter adjunctam praecepti violationem ad virtutem poenitentiae pertinentis.

Cum autem peccata, quae diversam sortiuntur speciem, diversa quoque sint gravitate, haec etiam gravitas ex objecto metienda est, quod perspicue docet S. Th. q. 2. de malo art. 10. Gravius, inquit, peccatum ex suo genere, quod majori bono virtutis opponitur, unde cum bonum virtutis consistat in ordinatione amoris, ut Augustinus dicit, Deum autem super omnia diligere debeamus, peccata quae sunt in Deum, sicut idolatria, blasphemia, et hujusmodi, secundum genus suum sunt reputanda gravissima. Inter peccata autem, quae sunt in proximum, tanto aliqua sunt aliis graviora, quanto majori bono proximi opponuntur. Maxime autem bonum proximi est vita ipsa hominis, cui opponitur peccatum homicidii, quod tollit actualem hominis vitam, et peccatum luxuriae, quod opponitur vitae hominis in potentia, quia est inordinatio quaedam circa actum generationis humanae. Unde inter omnia peccata quae sunt in proximum, gravius est homicidium secundum genus suum, et secundum locum tenet adulterium, et fornicatio, et hujusmodi peccata carnalia. Tertium autem locum tenet rapina, furtum, et hujusmodi, per quae in exterioribus bonis laeditur proximus.

In eodem genere seu classe peccatum eo est gravius, quo praestantiori virtuti opponitur; peccata autem quae sunt adversus eamdem virtutem, eo graviora quo magis inclinationi ejus virtutis repugnant. Quare si virtus inclinat in medium impellendo, sicut fortitudo, et liberalitas, peccatum quod retrahit ab inclinatione ea, pejus est eo quod eam promovet; sicque avaritia pejor est prodigalitate, timiditas audacia: si vero virtus inclinat in medium refraenando, vitium impellens erit atrocius, quo fit ut intemperantia deterior sit nimia austeritate.

Sed in hac facienda comparatione diligentissime attendendum est, num peccata quae diversis opponuntur virtutibus aeque directam, et immediatam oppositionem ad eas habeant; fieri enim potest, ut peccatum, quod directius opponitur minori virtuti, ejusque bonum prorsus labefactat, gravius sit peccato, quod majori virtuti quidem, sed minus directe opponitur, ut patet in homicidio, quod certe gravius omissione Sacri.

Obj. 1. Peccatum mortale, et veniale specie differunt. Atqui tamen mortale, et veniale interdum circa idem objectum versantur. Non ergo ratione objecti peccata specie differunt.

R. Cum D. Th. 1. 2. q. 72. art. 5. Peccati mortalis et venialis discrimen ex aversione potius repetendum esse, quam ex conversione, a qua peccatum speciem habet, quare nihil vetat peccatum mortale et veniale interdum eadem specie contineri, velut furtum unius oboli, et furtum unius talenti.

Obj. 2. Peccata non semper esse graviora quo praestantius est objectum in quod peccatur, quippe videtur homicidium gravius esse blasphemia vel prejurio quare etiam gravius punitur, quam perjurium. Non ergo ex objecto repetenda malitia peccati et gravitas.

R. D. Th. 2. 2. q. 13. art. 3. ad 1. Revera blasphemiam et perjurium gravitate culpae praeponderare homicidio, tametsi ex effectu et nocumento praeponderat homicidium, siquidem plus nocet homicidium proximo, quam blasphemia Deo. Quod vero severius in homicidium homines animadvertant, quam in perjurium, nil probat; ut enim Quodlib. 1. art. 18. ait: In humano judicio non semper quantitas poenae respondet quantitati culpae; interdum enim infligitur major poena pro minori culpa, quando gravius nocumentum iminet hominibus ex minori culpa. Sed secundum Dei judicium gravior culpa graviori poena punitur.

Obj. 3. Diversae leges a diversis legislatoribus latae circa idem objectum, diversos certe fines habent. Lex ex. c. naturalis in furto vetando intendit rectum rationis ordinem; lex divina positiva intendit hominem dirigere ad finem supernaturalem; lex humana publicam civium tranquillitatem et societatis bonum; deinde unicuique ex his legibus sua et singularis obligatio respondet. Ergo tot obligationes furto violantur, quot sunt leges furtum vetentes. Igitur ex repugnantia cum lege potius, quam ex objecto peccata speciem sortiuntur.

R. Diversis legibus, cum in unum objectum spectant, unum quoque eumdemque intrinsecum finem inesse, tametsi finis extrinsecus, quo legislatores moventur, multiplex esse possit. Sic in furto finis intrinsecus ex parte rei prohibitae, sive in naturali lege, sive in divina, sive in humana unus

est, ipsa nimirum conservatio bonorum proximi; cum autem plures leges ita conveniunt in uno eodemque fine intrinseco, una est obligatio, quam prima imponit, caeterae confirmant ex adjuncto motivo extrinseco.

Obj. 4. D. Th. q. 2. de malo art. 2. haec ajentem: « Si « aliqua essent peccata solum quia prohibita, in his ratio- « nabile esset, ut secundum differentiam praeceptorum specie « peccata differrent ».

R. Posita conditione legitimam quidem esse D. Th. consequentiam. Verum conditionem talem esse, quae in lege vel praecepto ipso nusquam locum habere possit, nec vero habere posse D. Th. putavit, quia ut ibidem ait, praecepta omnia ad hoc sunt, ut secundum virtutem operemur. Conditio ergo talis est, si aliqua essent mala solum quia prohibita, ita ut prohibitio in nullam spectaret virtutem conservandam, aut vitium declinandum, sed tota ratio prohibitionis esset in ipsa prohibitione, tunc profecto, si id fieri posset, peccata futura essent diversa pro diversitate praeceptorum. Verum quum in his, quae non sunt mala nisi quia prohibita, ex aliquo virtutis bono prohibitionis ratio petatur, velut ex bono temperantiae ratio legis, quae prohibet esum carnium tempore quadragesimali; hinc fit ut ipsa comestio carnium, tametsi mala, quia prohibita, speciem sumat non ex lege prohibente, sed ex motivo intrinseco legis inclinante ad temperantiam, sitque illa inter peccata intemperantiae referenda.

CAPUT III.

De circumstantiis novam peccato malitiam et gravitatem conferentibus.

Ex dictis cap. superiori intelligimus, circumstantias illas novam peccato malitiae speciem afferre, quae faciunt ut actus jam per se malus, aut prohibitus, propter aliquod ipsi adjunctum opponatur alteri virtuti, vel officio virtutis: reliquas vero circumstantias peccati gravitatem in eadem malitiae specie augere vel minuere. Ut vero in illis internoscendis, maxime unde nova species malitiae contrahitur, juventur tirones aliquantum, singulas breviter percurremus. No-

tissimum est, septem enumerari circumstantias, quae hoc vulgari versiculo continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

1. Itaque ex conditione personae actus inducit novam speciem malitiae, cum ex conditione personae novus titulus accedit aliquid vel faciendi vel omittendi, quod alias et citra illam peculiarem conditionem teneretur facere vel omittere ex lege vel praecepto in aliam virtutem spectante. Ejusmodi titulus in illis potissimum reperitur qui aut voti religione obstringuntur, aut aliquo munere vel officio funguntur: sic ille qui obstrictus voto castitatis peccat in castitatem, sacrilegii impietatem flagitio impudicitiae adjungit; ex munere vero vel officio saepe quis tenetur ex justitia praestare, quod circa illud officium nihilominus ex charitate praestare teneretur.

2. Ex conditione objecti vel rei nova emergit species malitiae, quum actus circa illud objectum jam prohibitus, propter eam peculiarem conditionem ex novo intrinseco motivo prohibetur, ut apparet in percussione clerici, in furto rei sacrae etc. Conditio quippe objecti facit, ut percussio et furtum, quae jam ex genere suo mala sunt, quatenus opponuntur justitiae, hic praeterea opponantur religioni, novamque adeo militiam contrahant. Similiter cum ex actu prohibito sequitur, aut probabili connexione sequi aliud potest in alio genere prohibitum, duplex inest in actu malitia, velut in eo qui operam navans rei illicitae, exponit se periculo praeterea vitae.

3. Ratione loci furtum rei non sacrae in loco sacro sacrilegium est, et quidem tria sunt, quae speciali ecclesiae lege cautum est ne fiant in locis sacris. Furtum, homicidium, copula, aut pollutio. Atque hinc nata est quaestio, utrum illis solis peccatis ita violetur reverentia loco sacro debita, ut nova exinde malitiae species emergat. Longe melius nobis illi sentire videntur, qui multis aliis praeterea peccatis, tum externis, tum internis violari domus Dei sanctitatem prorsus existimant. Et sane tametsi tria illa tantum specialiter ab ecclesia fuerunt vetita, qui nundinam et mercatum, rem ex sese licitam, habere vellet in locis sacris, quis dubitat, quin graviter laederet reverentiam illis debitam, cum tanta severitate

Christus ejecerit vendentes et ementes in templo? Igitur quaecumque violare possunt reverentiam locis sacris debitam, non illis tribus tantum omnia flagitia continentur, quae speciali sunt ecclesiae praecepto interdicta. Quare non est dubitandum, quin illa saltem peccata, quae prudenti hominum judicio, et communi existimatione gravem speciem praeseferunt irreverentiae in locum sacrum, ita ut communiter homines tales actus facere non audeant in locis, et coram personis quas vereantur, illa, inquam, peccata novam malitiae speciem adjungant. Id autem valere potest etiam de actibus internis, prout externae irreverentiae interior, sive explicitus, sive implicitus contemptus respondet.

4. Ratione mediorum, velut si quis sanctorum reliquiis abuteretur ad superstitionem et veneficium.

5. Ratione finis, nimirum ipsius operantis, cum scilicet actum illicitum refert ad aliquid in alio genere illicitum, velut qui furatur, ut habeat unde serviat libidini.

6. Ratione modi, vi cujus detractio in contumeliam, furtum in rapinam quandoque transit.

Superest conditio temporis, de qua dubitatur, num eamdem vim habere censenda sit, atque conditio loci. Adeo ut quemadmodum peccata, quae in loco sacro fiunt, pro irreverentia loci novam deformitatem contrahunt, sic etiam quae diebus festis, et divino cultui speciatim dicatis peccata perpetrantur, novam inde labem contrahant.

PROPOSITIO.

Antiqua sane Patrum traditioni valde consentanea, principium etiam Scholae rationibus et auctoritate confirmata sententia est, quae ait, ex conditione sacri temporis Deo speciatim dicati nova quadam malitiae nota peccata saltem graviora contaminari.

1. Augustinus tract. 3. in Joan. Spiritualiter observat sabbatum christianus abstinens se ab opere servili. Quid est ab opere servili? A peccato. Et unde probamus? Dominum interroga: omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Greg. Niss. Homil. 7. in Ecclesiasticum. Quaerendum est ergo quid sibi velit praeceptum otii Sabbati? .... Ut nihil agamus illorum, quorum opus est vitium. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist.

71. ad Elionem. Elioni quaerenti sensum horum verborum: *Non facietis in eo opus servile*, Isidorus respondet, non solum nil servilium rerum in die Sabbati faciendum, sed ne quod peccatorum pondere deprimat.

2. Quod attinet ad scholae principes, D. Thomas hanc doctrinam adstruit 2. 2. q. 122. a. 4., ubi quum triplex genus servilis operis distinxisset, et primo quidem peccatum designasset juxta illud: *Qui facit peccatum, servus est peccati*, altero, opera quae vulgo dicuntur servilia, subdit opera, quae hoc primo et secundo modo servilia sunt, contrariari observantiae sabbati; tum ait: « Et quia magis homo impeditur « a rebus divinis per opus peccati, quam per opus (alias) « licitum, quamvis sit corporale, ideo magis contra hoc prae« ceptum agit, qui peccat in die festo, quam qui aliud cor« porale opus alias licitum facit. Unde Augustinus dicit in « lib. de decem chordis: Melius faceret Judaeus in agro suo « aliquid utile, quam si in theatro seditiosus existeret. Et « melius foeminae eorum in die Sabbati lanam facerent, quam « tota die in Neomeniis suis impudice saltarent. Non tamen, « prosequitur S. Doctor, qui peccat venialiter in sabbato, « contra hoc praeceptum facit, quia peccatum veniale non « excludit sanctitatem. »

D. Antoninus part. 2. titulo 9. eadem docet ex iisdem principiis: tum concludit: « Peccatum ergo mortale commis« sum die festo est multo gravius quam alia die perpetratum « ratione festi. Nam ultra propriam deformitatem, puta fur« ti, vel fornicationis, et ejusmodi, habet specialem defor« mitatem ex illa circumstantia temporis sacri, qua festum « violatur. Unde talis, ut dicit Nicolaus de Lira super Exo« dum cap. 20. non solum agit contra unum praeceptum, « scilicet non moechaberis, aut illud, non furtum facies; « sed etiam contra illud de sanctificatione sabbati. » Unde in idem caput Exodi eadem repetens Abulensis tradit eum qui fornicetur die dominico, peccare duobus peccatis.

S. Bonaventura in opusculo quod inscripsit confessionale cap. 2. partic. 20. docet, interrogandum poenitentem de tempore quo peccatum perpetravit, utrum videlicet in die festivo, vel non festivo.

Ex quibus institui sic potest argumentum: SS. Patres et scholae principes locum Levitici 23. Omne opus servile non facietis in eo, ita conjunxere semper cum eo loco Joannis

8. Omnis qui facit peccatum servus est peccati, ut unum per alium sint constanter interpretati. Atqui ab ea scripturae interpretatione, quae communi patrum et doctorum sententia tradita est, non est temere profecto recedendum. Igitur cum ita patres et doctores praeceptum abstinendi ab operibus servilibus intellexerint, ut illis operibus peccata imprimis contineri existimaverint ex Evangelii sententia, videtur sane veritati admodum consentanea ea doctrina, quae ait ex sacri temporis conditione, quod peccato violatur, novam ipsi peccato turpitudinis notam adjungi.

Quod autem plerique adversantur, hac potissimum ratione adducti, quod fere non soleant sacerdotes de temporis conditione confitentes interrogare, non admodum magni momenti est, nam nec deerunt quoque sacerdotes qui interrogent, nec poenitentes qui magno affecti dolore ac vere poenitentes, non interrogantibus ultro aperiant. Caeterum doctrinae veritas non ex eo quod plerique faciunt aestimanda, sed e locis theologicis aptis conclusionibus eruenda.

Hinc ea quae superius de circumstantia loci sacri dicta sunt, in hanc sacri temporis circumstantiam transferri commode poterunt: putamus autem minus severe de violatione festi, quam loci sacri per peccatum sentiendum esse, quod templa, utpote permanentia, peculiari quodam ritu Deo consecrentur, atque a reliquis profanis locis discernantur, quem consecrationis ritum, ac veluti perfectam separationem tempus nequit accipere.

CAPUT IV.

De numerica peccatorum distinctione.

Peccata totidem numero esse distinta, quot sunt actus physici contra legem absoluti ex sese et perfecti, convenit inter omnes. Verum cum moralis distinctio non semper physicam sequatur, eveniatque interdum, ut ex actu physice uno plura peccata emergant, interdum etiam plures physici actus in unum peccatum coeant, fit ut magnam quandoque dubitationem et difficultatem habeat distinctio numerica peccatorum. Quam ad rem paucis, sed generalibus quam fieri potest regulis opus imprimis esse videtur. Tria ergo sunt explicanda: 1. Quemadmodum in actu physice uno multiplex

quandoque sit peccatum. 2. Quemadmodum actus physice distincti unum peccati actum moralem ex sese et absolutum efficiant. 3. Quibus notis distingui queant actus absoluti et completi ex sese.

Et primum quidem nullus est dubitandi locus, quin multiplex sit peccatum in actu physice uno, qui diversas malitiae species involvit, ut patet in furto rei sacrae, in quo duplex peccatum existit, unum violatae justitiae, alterum violatae religionis; et sane quum injustitia, specie et natura differat a sacrilegio, nihil autem a seipso differre queat, profecto in actu, qui peccatum injustitiae complectitur et sacrilegii, duplex inesse peccatum necesse est. Verum ex cap. superiori haec fluunt; nunc agendum de numerica peccatorum distinctione in eadem specie.

REGULA I.

In actu physice uno, quo plura objecta attinguntur, fit peccatum multiplex prout plures sunt obligationes quae violantur, plura jura quae laeduntur.

Juris nomen late hic accipitur pro omni eo, quod proprie dictam obligationem parere valet. Jam vero quum omnis propriae obligationis et juris violatio peccatum sit, patet profecto, tot in actu physico uno peccata esse, quot eo actu obligationes et jura laeduntur. Hinc multiplex peccatum admittit, qui uno actu plures homines interficit, qui una detractione plurium famam laedit, uno furto nummos qui multorum sunt expilat.

Hinc non ferenda eorum opinio, qui docent, unum tantum peccatum ab eo admitti, qui unam familiam uno morali actu internecione delet, quod mimirum una familia fictione juris, quasi una moralis persona habentur, nam etsi, quod attinet ad nonnullos civiles effectus, una familia quasi una persona fictione juris habeatur, tamen quod attinet ad vitam, famam, aliaque similia, unusquisque jus habet suum et proprium, a Deo, legibusque omnibus concessum; quare in internecione familiae totidem scelera perpetrantur, quot in ea sunt personae, quarum jura laeduntur. Quod sane magis valet de civitate, aut provincia.

REGULA II.

Cum plures actus physice distincti referuntur ad unum principalem, cujus sunt illi velut inchoationes, et a quo complementum et unitatem habent in genere moris, unum tantum peccatum admittitur.

Hanc regulam luculenter explicat D. Th. in 2. dist. 42. art. 1. Aliquando contingit esse actus plures, secundum quod ad genus naturae referuntur, qui tamen sunt unum, secundum quod in genere moris considerantur; ut puta in eo qui furatur, quia omnes actus ejus qui ad finem furti ordinantur, peccata sunt, cum mala intentione fiunt, qui possent valde multi esse (velut fores effringere, admovere scalas, parare instrumenta, scrinia aperire) et tamen omnes computantur ut unum peccatum; quia non habent rationem peccati, nisi secundum quod per unam voluntatem in unum perversum finem ordinantur.

Propterea etiam theologi communiter docent oscula, et tactus, qui illicitam conjunctionem proxime antevertunt, unum cum ea peccatum constituere, nec desunt qui idem affirment de proxime consequentibus. Verum non par esse ratio videtur. Oscula et tactus impudici ordinantur ex natura sua ad illicitam conjunctionem, suntque propterea natura sua mala: igitur quae hanc proxime antevertunt, inchoatione ejus haberi possunt; quae autem consequuntur, potius inchoationes alterius illicitae conjunctionis, ad quam suapte natura feruntur, quam ad primam pertinere censenda sunt.

REGULA III.

Cum plures actus physici versantur unusquisque circa suum objectum, in quo terminant, habentque suam unitatem moralem, nec proinde unus ad alium refertur tanquam inchoatio, pars, aut medium, nec ab eo compleri opus habet, ut ille actus per sese unum totum morale efficere intelligatur: tum illi actus, tametsi successive fiant, totidem peccata sunt.

Hinc qui accedit ad non suam, tot peccata committit,

quoties cum ea unius noctis spatio rem habet. Hinc sacerdos qui plures uno die missas, vel propter necessitatem, vel ex ritu ecclesiae, ut in Natali Domini, mortalis peccati conscius, celebrat, tot etiam se sacrilegiis implicat, nam unaquaeque missa per sese unum totum morale facit; in eadem vero missa celebranda non bis peccat pro duplici consecratione panis et vini, quia duae illae consecrationes pertinent ad unum idemque sacrificium, atque adeo ad unitatem actionis, quae missa continetur. Pluribus etiam se sacrilegiis contaminat propter eamdem rationem sacerdos, qui in lethali culpa plures confessiones excipit, et absolutiones impendit, nam non minus singulae confessiones, quam singulae missae unum totum morale integrum per se completum efficiunt.

Dubitant vero theologi de sacerdote, qui in una missa pluribus porrigit Eucharistiae Sacramentum totidem se sacrilegiis, an uno tantum contaminet. Nonnulli negant, alii affirmant, quibus non videntur minus distincti actus quibus Eucharistia multis porrigitur, atque sint actus, quibus sacerdos multas absolutiones impendit. Verum ex allata regula erui potest hoc discrimen, nimirum ex ritu ecclesiastico omnibus qui sese offeruut ad sacram mensam est Christi Corpus porrigendum, secundum regulas de hac re notissimas, de quibus non est hic locus disputandi; quare actus, quibus singulis porrigitur, tametsi distincti, conveniunt tamen in una communione, quae ex ritu ecclesiastico complecti omnes debet. At vero nullo ritu, nullo praecepto, nullo communi vinculo una confessio connectitur cum alia, siquidem nullum est praeceptum, ut qui ad confessionem accedunt, uno tempore, et simul, et continenter audiantur; sunt ergo totidem actus absoluti ex sese, et perfecti, quot sunt confessiones, absolutionesque distinctae. Ex quo probabile fit, non committi tot sacrilegia, quot sunt personae, quibus Eucharistia una vice et continenter porrigitur. Caeterum haec non audemus plane definire.

REGULA IV.

Cum actus qui spectat in unum aliquod objectum moraliter interrumpitur, et subinde repetitur, tot sunt actus numero distincti, quot sunt repetitiones morali interruptione diremptae.

Fit autem haec moralis interruptio tribus modis. 1. Voluntatis retractatione. 2. Voluntaria cessatione ab actu. 3. Naturali cessatione ex somno, distractione, aliis occupationibus, quae mentem alio avertunt obrepente.

Tametsi vero communis est et vera, utpote quae ducitur ex ipsa humani actus natura, sententia Theologorum docentium, expressa voluntatis revocatione ejusdem actus interrumpi; dixerunt nihilominus alii, hanc interdum non satis esse ad tollendam moralem unitatem actus, cujus rei exemplum ponunt in homine, qui die jejunii mensae accumbens, extremo prandio proponit se nolle amplius manducare, apposito vero subinde novo edulio, ad manducandum iterum inducitur. Ille certo non est censendus ea voluntatis revocatione, et non manducandi proposito inter prandendum, prandium ipsum interrupisse. Pari ratione inquiunt, si ad id prandium cibi vetiti curati fuissent et appositi, atque inter prandendum quis proposuisset ab illis abstinere, deinde in eodem prandio ad eos sumendos animum iterum induxisset, non nisi unum peccatum admisisse censendus esset.

Verum haec facile expediuntur. In utroque eventu propter expressam voluntatis revocationem actus interrumpitur, fitque multiplex: sed hoc est discrimen, quod in primo exemplo nullus peccato locus, quia cum jejunii lege unicum prandium praescribitur, non prohibetur ne quis pluries velit illud unicum prandium sumere; cum vero actus externus, sive comestio unica sit, tametsi comedendi propositum expressa revocatione multiplicatum fuerit, ex hoc sequitur tantum, quod quis duplici distincto proposito voluerit unum prandium perficere, sed illa duplex intentio, prout in unum eumdemque prandii actum spectat externum, nulla lege prohibetur, nullumque adeo ibi peccatum est. At vero qua lege carnes interdicuntur die jejunii, eadem lege vetatur quodlibet internum propositum vescendi carnibus. Quamobrem si hoc pro-

positum expressa retractatione revocatur, et postea in eodem etiam prandio renovatur, duplex fit peccatum. Et sane si in illo prandio, quo actu quis proponit abstinere a comedendo, perfecta contritione peccatum deleret, non ne renovando proposito comedendi se iterum peccato obstringeret? Quomodo ergo inter utrumque peccatum, si nulla fuit moralis interruptio, status gratiae intercedere potuit? Eadem porro de altero modo, qui fit per voluntariam cessationem, dicenda sunt, voluntaria quippe cessatio est voluntaria prioris actus dimissio.

Tandem quod attinet ad tertium modum, nempe ad cessationem ex somno, et aliis occupationibus quae mentem avocant obrepente, hac distinctione utendum est; vel cessante actu interno et proposito voluntatis propter eas caussas continuatur tamen actus externus, qui dat actioni suam unitatem moralem, tumque in actus externi continuatione, virtute permanere actus internus est censendus, nullaque fieri interruptio. Sic in solemni missa non interrumpitur actio per concionem quae habetur inter solemnia, etiamsi celebrans concioni obdormiat. Si vero nihil hujusmodi est, in quo virtute propositum voluntatis permanere censeatur, tunc sola interposita notabili mora propositum interrumpitur, et si actus renovatur, certe habendus est velut distinctus a priore. Quantum vero temporis ad moram notabilem requiratur, definiri vix potest. Ex prudentum judicio et aestimatione res ut plurimum transigenda. Certe Angelicus tunc solum peccata non multiplicari docet, cum breves morulae intercedunt, velut si fur uno die meditetur, ac praeparet quae sibi sunt opus ad cogitatum furtum faciendum, ille unius tantum peccati facile reus erit, tametsi saepe a cogitatione furti avocatus fuerit.

Verum si quis per annum, mensem, vel hebdomadam animo gerat habituale propositum odii explendi, vindictae faciendae, rei alienae retinendae, profecto dubitandum non est, quin saepe inter actus qui repetuntur, et idemtidem data occasione renovantur, tales tantaeque morae intercedant, quae satis sint ad actus et peccata multiplicanda; quamobrem diuturnitas temporis in confessione est aperienda, ut de peccatorum multititudine, spectatis aliis etiam circumstantiis, judicium fieri possit, neque qui contra sentiunt facile ab iis

audientur, qui conscientiae suae consulere volunt ex animo, et sincere coram Deo ambulare.

CAPUT V.

De mortalis peccati, et venialis discrimine.

Tripliciter peccatum veniale dici posse animadvertit S. Th. 1. 2. q. 77. art. 8. Uno modo ex caussa, quia scilicet habet caussam veniae aliquam, quae diminuit peccatum, et sic peccatum ex infirmitate, vel ignorantia dicitur veniale. Alio modo ex eventu, sicut omne peccatum per poenitentiam fit veniale, idest veniam consequitur. Tertio modo dicitur veniale ex genere, sicut verbum otiosum, et hoc solum veniale mortali opponitur.

Duo itaque sunt hic nobis agenda. 1. Propugnanda catholica veritas adversus haereticos negantes illud ex genere peccati mortalis et venialis discrimen. 2. Explicandum, de quo catholici doctores disputant, unde potissimum sit discrimen istud repetendum.

Atque ut mittamus veteres illos haereticos, Jovinianum peccata omnia aequalia constituentem, et Pelagianos volentes per quodlibet peccatum amitti gratiam, ut intelligi potest ex Hieron. 1. et 2. Dialogo contra eosdem, et ex Augustino Haeresi 88. Joannes Viclephus presbyter Anglicus in concilio Constantiensi damnatus, docuit omne peccatum praedestinati esse veniale, et omne peccatum reprobi esse mortale, non quidem ex natura sua, sed ex ordinatione divina. Lutherus etiam omnia infidelium peccata mortalia esse asseruit, fidelium autem venialia praeter infidelitatem. Calvinus etiam lib. 3. Inst. cap. 4. num. 28. diserte testatur omne peccatum natura sua morte dignum. » Caeterum fidelium peccata venia» lia esse, non quia non mortem mereantur, sed, qui Dei » misericordia nulla est condemnatio iis qui sunt in Christo » Jesu, eis non imputantur. » Unde Zanchius inter Calvinianos celeberrimus in Miscellaneis tom. 1. pag. 651. In renatis et vera fide praeditis, inquit, omnia peccata sunt venialia, in reprobis omnia mortalia.

Equidem Joannes Gerson cancellarius Parisiensis, et Joannes Fischerus episcopus Roffensis videntur externa tantum Dei imputatione peccatum veniale a mortali distinxisse, in quo

imprudenter lapsi sunt: tamen nunquam non abhorruere ab illo errore: *Omnium reproborum peccata mortalia, fidelium venialia esse.*

PROPOSITIO.

Ex peccatis alia sunt ex natura sua graviora, digna odio Dei et morte aeterna, alia minime, adeoque mortalia peccata et venialia non externa tantum imputatione, sed toto genere dirimuntur, sive in renatis et fidelibus, sive in infidelibus, et reprobis.

Prob. 1. Matth. 5. » Omnis qui irascitur fratri suo reus » erit judicio, qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit » concilio: Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennae ignis. » Quo loco distinguuntur apertissime peccata non solum alia aliis graviora, sed talia etiam, ut alia quidem reum hominem efficiant gehennae ignis, hoc est aeternae mortis et supplicii, alia vero minime, idque non propter externam imputationem, sed, ut patet, ob nativam ipsorum gravitatem levitatemque; quem locum ita sane est interpretatus Chrysost. homil. 16. in Matth. super illud cap. 5. ubi ait: » Eum qui » sine caussa irascitur judicio condemnat, eum vero qui di- » xerit Racha, reum condemnat esse concilio. Sed adhuc » ista non magna sunt, haec enim idcirco non sunt memo- » rata supplicia, ut eum qui fratri suo, fatue, dixisset, ge- » hennae ignibus deputaret. »

2. Prima ad Cor. cap. 3. » Si quis autem superaedificat » super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretio- » sos, ligna, foenum, stipulam, uniuscujusque opus mani- » festum erit, et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. » Si cujus opus manserit, quod superaedificavit, mercedem » accipiet, si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse » autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. »

Fundamentum istud Christum esse ait idem Apostolus versu proxime superiori. Huic fundamento charitate fideles cohaerent, ut clare ostendit Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 26. Hinc fiunt ipsi templum Dei, ut ait Apostolus proximo sequenti versu. Huic fundamento dum cohaerent, manentque adeo in charitate, superaedificant opera sua: alia quae designantur auro, argento, lapidibus pretiosis, suntque opera

optima, solida, probatissima, quae manent, et pro quibus mercedem accipient, suntque eo nomine meritoria; alia vero ligno, foeno, et stipula, suntque adeo opera levia inutilia, quae non manebunt, sed igne ardebunt, ita tamen ut qui ea fecerit, nihilominus salvus futurus sit, nimirum per ignem, quod nempe per haec peccata non avellatur a fundamento, sed ei maneat charitate conglutinatus. Simul vero loquitur Apostolus hoc ipso loco de gravioribus aliis peccatis, quibus violatur hoc ipsum Dei templum quod sunt fideles, et quae qui fecerit, disperdet eum Deus. Non poterat certe declarari luculentius discrimen peccata mortalia inter et venalia.

3. Ad convellendum penitus Novatorum errorem quid amplius requiritur, quam si constet aliis quidem peccatis justos ipsos et etiam praedestinatos gratia Dei excidere, aliis autem minime? Atqui utrumque plane constat sacrarum litterarum monumentis. Primum quidem, ut multa alia praetercam, exemplo parentum humani generis, qui culpa sua e gratia Dei exciderunt, sibique mortem consciverunt: alterum primae Joann. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Jam dixerat Ecclesiastes cap. 7. *Non est homo justus in terra qui faciat bonum, et non peccet.* Non ait Ecclesiastes, nullum esse hominem justum in terra, sed nullum justum qui non peccet. Hinc ipsamet orationis dominicae formula veraciter justis ipsis deprecanda est suorum peccatorum venia, ut est etiam in concilio Milevitano definitum.

4. Accedet Patrum auctoritas. Origens homil. 5. in Levit. » Puto ego delicatum quidem esse levius aliquanto quam » peccatum, nam invenimus de peccato dici, quod sit peccatum ad mortem, de delicto non legimus, quod esse di» catur ad mortem ». Hieron. in cap. 7. Matth. verba illa interpretans. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* Sic ait: » De iis lo» quitur qui quum ipsi mortali crimine teneantur obnoxii, » minora peccata fratribus non concedunt, culicem liquantes, » et camelum glutientes. » Atque haec quidem minora peccata venialia esse intelligenda, ex eo satis patet, quod ea Hieronymus mortalibus criminibus opponat. Propterea etiam Joviniano exprobrat, quod sublata peccatorum diversitate, omnes essent ab eo cum parricidis et adulteris *propter leve,*

quotidianumque peccatum in exteriores tenebras retrusi etc. Lib. 2. contra Jovinianum cap. 17. Ergo ex Hieron. levia et quotidiana peccata non inducunt reatum paenae aeternae, quemadmodum parricidium, ed adulterium. In eamdem sententiam Augustinus Lib. de Spiritu et lit. cap. 28. Sicut non impediunt a vita aeterna justum quaedam venialia, sine quibus haec vita non ducitur, sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujusque hominis invenitur. Eadem docet Gregorius lib. 21. Moralium cap. 5. aliique Patres. Quapropter Summi Pontifices damnarunt propositionem Baji 20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne pecatum meretur poenam aeternam.

Obj. Deuteronomii 27. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit. Cui simile est quod habet Apostolus ad Galat. 3. et ad Rom. 6. Stipendium peccati mors. Et 1. Joan. 3. Qui facit peccatum, ex Diabolo est; item illud Matth. 5. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum, idest nullus, ut Calvinus interpretatur. Jacobi2. Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.

R. Ad 1. Moyses eo loco, ut manifeste patet, iram Dei detestatur in violatores legis, et quidem legis ejus quae vetabat idololatriam, homicidium, incestum; violatorum autem nomine non intelliguntur, qui leviter tantum in legem delinquunt, sed qui gravioribus flagitiis, qualia sunt mortalia peccata, eam violare non verentur. Idipsum autem confirmari potest ex illo ipso textu Apostoli. *Stipendia peccati mors.* Siquidem Apostolus eo loco de peccatis loquitur, quibus illi qui vocati erant ad gratiam et justitiam, exhibuerant membra sua servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem; generatim ergo propositiones illae indefinitae, quae divinam maledictionem in peccata denunciant, de peccatis gravioribus intelligendae sunt; quandoquidem sacrae litterae alia peccata leviora commemorant, quibus obnoxii sunt homines justi, et Deo accepti, in quae proinde nequeunt execrationes illae ullo pacto cadere. Ad 2. Explicatissima est respondendi ratio, nam primo Christus loquitur de illis, qui mandata minima non solvunt modo, sed solvere alios docent, in quo est gravissimum scelus perversionis doctrinae, scandali, et contemptus

legis. Secundo loquitur eo loco Christus adversus Pharisaeos qui dupliciter in judicandis peccatis errabant, et quod externa peccata, velut homicidium et adulterium, lege quidem prohiberi existimarent, non autem interiores motus irae et cupiditatis, et quod velut minima censerent ea legis mandata, quae essent gravissima, iisque inanes suas traditiones anteponerent, ut saepe etiam ipsis Christus exprobrat. Hinc in eo sermone docet Christus legem violari ab eo solum, qui occideret, juxta illud: *Audistis quia dictum est antiquis*, et quod solum tenebant Pharisaei, sed ab eo etiam, qui irascitur fratri suo. *Ego autem dico vobis etc.* nec ab eo solum qui moechatur, sed ab eo *qui viderit mulierem ad concupiscendam eam*, nec ab eo modo, qui non diligit amicos, verum et ab illo, qui inimicos non diligit. De illis ergo mandatis loquitur Christus quae non revera, sed prava Pharisaeorum interpretatione minima reputabantur.

Ad 3. Ex ipso cap. Jacobi manifestum est eum loqui de gravioribus legis praeceptis; sic enim suam ipse sententiam explicat sequente versu. » Qui enim dixit non moecaberis, » dixit et non occides, quod si non moechaberis, occides » autem, factus es transgressor legis ».

Argumentantur deinde ex eo quod peccatis quibuscumque laeditur maximum legis mandatum: Diliges Dominum Deum tuum etc. Tum etiam ex illo Joan. 3., ubi Christus Petro ait: Si non lavero te non habebis partem mecum; attamen ibi sermo erat certe de peccatis, quae venialia dicuntur. Sunt ergo ea ipsa natura sua mortalia, cum excludant a regno coelorum, sive prohibeant ex sese habere partem cum Christo.

R. Ab eo qui venialiter peccat, non diligi Deum actu, non tamen ab eo violari charitatem, et solvi amicitiam cum Deo: quare peccatum veniale, utpote quod non adversatur fini legis, quae est charitas, neque primo mandato repugnare censendum est.

Ad alterum *R.* Verba illa referri posse aut ad factum, aut ad facti significationem. Si ad significationem, quae facto illo continetur, innuit neminem habere posse partem in regno coelorum, nisi qui fuerit a Christo mundatus. Si ad factum, ablutionem illam fuisse Petro necessariam, quia Petro a Christo praecepta erat, non quod ex sese peccata venialia hominem reum efficiant aeternae poenae.

Obj. Basilius in regulis brevioribus ad interrogationem

quartam pronunciat stimulum mortis non hoc aut illud, sed indefinite quodcumque peccatum esse. Deinde ad interrogationem 273. negat differentiam hanc majorum et minorum peccatorum unquam in novo testamento reperiri. Augustinus vero saepius tribuere videtur uni divinae misericordiae, quod viri etiam justissimi et sanctissimi salutem consequantur, sed illi non mortalibus tamen, sed solum venialibus peccatis sunt impliciti. Ergo agnovit Augustinus propter solam Dei misericordiam, non autem natura sua peccata venialia aeternae poene reatum non inducere. Unde lib. 2. de peccatorum meritis cap. 3. ait: « Quis enim cum aliqua spe adipiscendae salutis aeternae de hac vita migraret, manente illa sententia quod quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno factus est omnium reus, nisi post paullulum sequeretur . . . . superxaltat autem misericordia judicium? »

R. Basilium loqui de peccato quocumque non absolute, sed prout habet adjunctum contemptum. In hoc enim est totus ut ostendat: *Nihil omnino tanquam minutum contemni debere* quae sunt expressa ejus verba, additque: *Qui enim rem contemnit, contemnetur ab ea.* Ad alteram auctoritatem valet eadem responsio: nam Basilius ad hanc interrogationem respondet. « Quomodo agi par est cum iis, qui cum majora peccata declinent, minora perinde ac si nihil referat, contemnunt ». Ex quo patet Basilium adversus eos agere, qui perverse putabant nullam in peccatis minoribus declinandis curam esse adhibendam. Quare isti videbantur hanc differentiam statuere inter majora et minora peccata, quod multum referat vitare peccata majora, nihil referat vitare minora. Quod sane falsum est. Nam multum referre, ut quis peccata venialia quantum potest caveat, ex sacris litteris apertissime colligitur. Hanc ergo inter majora et minora peccata inductam differentiam oppugnat Basilius, negatque reperiri in novo Testamento. Nam aliquam ipse certe inter majora et minora peccata differentiam agnoscit, siquidem in hoc ipso regularum opere, in poenitentiis imponendis spectandam esse docet peccatorum diversitatem.

Ad Augustinum respondeo ejus mentem fuisse non quidem peccata venialia privare amicitia Dei, et aeternae mortis reatum inducere, sed tamen nisi peccata venialia Dei misericordia condonentur, non posse justos intrare in Regnum Dei, in quod nil coinquinatum ingredi potest. Quod patet ex

eo quod lib. 9. Confessionum cap. ultimo rogat lectores, ut pro matre sua defuncta orent, ut consequantur Dei misericordiam. Jam defunctis nullus misericordiae locus pro peccatis mortalibus. Ergo loquitur Augustinus de misericordiae Dei, qua defunctis remittuntur peccata venialia. Deinde negat Augustinus posse quemquam ex hac vita migrare cum spe adipiscendae salutis, nisi ex misericordia Dei, quia nemo certus est se tantum peccatis venialibus obstrictum teneri. Nihil enim mihi conscius sum, ait Apostolus 1. ad Cor. 4. sed in hoc non justificatus sum, et Ecclesiastici cap. 9. nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.

Nonnulla denique afferunt rationis momenta, quibus intimum illud evertant mortalis ac venialis peccati discrimen. 1. Peccatum veniale est offensa Dei. Est igitur gravitatis infinitae pro infinita dignitate personae, quae offenditur, dignum proinde pro sub gravitate infinita sua aeterna poena. 2. Peccatum veniale remitti non potest nisi misericordia Dei. Ergo si Deus vellet justitiae suae tantum rationem habere, nihil concedere misericordiae, peccato veniali aeterna poena deberetur. 3. Peccatum veniale malum est majus quocumque malo poenae. Ergo pro veniali peccato poena quaecumque juste infligi potest.

R. Ad primum ex D. Th. principiis duo in peccato spectanda esse, aversionem a bono infinito, nempe Deo, et conversionem ad bonum commutabile, et quidem aversioni a bono infinito respondet poena infinita, privatio scilicet ejus infiniti boni, et quatenus aversio illa est ex sese irreparabilis inducit reatum ejus poenae aeternum perferendae. Conversioni vero in qua nulla est infinitas neque ratione objecti; poena respondet quae dicitur sensus, acerbitatis gradu finita, sed propter irreparabilem ex sese reatum, aeternum etiam sustinenda. Jam in peccato veniali nulla est aversio a Deo, siquidem peccatum veniale minime labefactat caritatem, nec proinde inducit inordinationem principio interno irreparabilem, ut post melius explicabitur. Peccatum igitur veniale nec inducit privationem boni infiniti, nec reatum aeternae poenae sustinendae.

Attamen, inquies, peccato veniali, quum sit offensa Dei, gravitas inest infinita, ergo eidem convenit poena etiam infinita. Verum haec argumenti difficultas tota pendet ex obscura illa notione infinitatis, quam inserit. Neque vero hujus loci

est explicare quae de infinitate peccati in utrumque partem Theologi disputant. Quae disputatio a morali institutione nos in metaphisicam traduceret. Nec porro genio indulgere volumus, sed quantum possumus audientium utilitati consulere: breviter itaque nos ex istis ambagibus extricabimus, sed certissima ratione. Quidquid sit de infinitate peccati, certum est in rebus creatis nullum infiniti genus constitui posse, quin statim in eo genere multi infinitorum ordines enascantur, quorum alii alios infinite superant. Ex quo fit ut res infinita minoris ordinis nonnisi quantitati finitae superioris ordinis aequivaleat, quamobrem tametsi peccatum veniale, utpote offensa Dei, concedatur esse gravitatis infinitae, quia tamen, utpote quod nullam involvit aversionem a Deo, distat infinite a gravitate peccati lethalis, illa quaecumque infinitas peccatis venialis debet esse inferioris ordinis, unde peccato veniali respondere debet poena infinities minor, quam quae respondet peccato mortali. Sed non esset infinities minor nisi esset ex omni parte finita. Igitur poena tantum finita ex aequo respondet gravitati peccati venialis. Neque in hoc violatur proportio, quia cum infinitas peccati venialis sit inferioris ordinis, atque infinitas mortalis, aequari potest per quantitatem finitam comparate ad quantitatem poenae, quae mortali debetur.

Ad 2. Respondeo equidem peccata venialia misericordiae Dei condonari, attamen in eo qui venialibus tantum culpis obstrictus tenetur, manere caritatem, qua homo Deo, ut fini adhaerescit, et quacum propterea sempiterna separatio a Deo nec aeternae damnationis reatus consistere potest. Estque ipsa caritas in homine principium interius, vi cujus disponere se potest ad consequendam venialium remissionem, ex quo fit etiam ut Deus consentanee ad naturas rerum operans, ex quadam condescendentia moveatur ad non negandam veniam ei, qui secundum illud principium operatur, quemadmodum ait Gotti, qui etiam addit. » Quod Deus agens ut Dominus pos« sit aeterna poena mulctare, non tamen agenus ut judex ».

Ad 3. Respondeo malum peccati, et malum poenae esse in diverso prorsus genere positum, quippe primum est malum morale, secundum malum physicum. Quare proprie non potest magnitudo unius comparari cum magnitudine alterius, nec propterea ex eo quod malum culpae sit magis fugiendum, quam quodlibet malum poenae, concludi malo culpae quan-

tumcumque levissimae deberi ex justitia malum poenae quodvis gravissimum.

CAPUT VI.

Unde sit repetenda mortalis et venialis peccati differentia.

Hanc differentiam nonnullis repetunt primo ex eo quod mortale peccatum sit contra praeceptum, veniale contra consilium tantum. Ita Scotus in dis. 21. q. 1. 2. Alii ex eo quod peccatum mortale sit contra legem, veniale non contra, sed praeter legem. 3. Alii ex eo quod mortale in finem ipsum directo spectet, veniale in ea tantum, quae sunt ad finem. Cujus utriusque opinionis defensores D. Thomam sibi adstipulatorem et patronum adsciscere nituntur. 4. Alii ex eo quod peccatum mortale sit gravis violatio legis, aeternae poenae reatum inducens; levis transgressio venialis, immunisque ab illo reatu. 5. Denique alii ex eo quod peccatum mortale suapte natura caritatem extinguat, tollatque conjunctionem, qua homo Deo adhaeret velut ultimo fini, ipsumque adeo hominis ordinem ad ultimum finem; veniale autem non eam conjunctionem dirimat, nec proinde tollat penitus ordinem hominis ad ultimum finem, sed ordine servato in eum tamen aliquid perturbationis inducat.

PROPOSITIO I.

Nulla ex quatuor prioribus sententis satis aptum afferre videtur mortalis et venialis peccati discrimen.

Non 1. Quandoquidem id quod est contra consilium tantum nullo modo est peccatum, ubi enim non est lex, nec praevaricatio, inquit Apostolus ad Rom. 4. Consilium autem non est lex. Quare idem Apostolus 1. ad Cor. 7. Consilio dato de caelibato aptissime declarat nullum ab eo peccatum admitti, qui non illud consilium servaverit. » Si autem ac« ceperis uxorem, non peccasti, et si nupserit virgo, non « peccavit ». Immo testatur eum benefacere qui matrimonio

jungit virginem suam, tametsi melius facit, qui obtemperat consilio, nec matrimonio jungit.

Non 2. Nam et peccata quaedam venialia sunt contra legem, quod manifeste patet in mendacio jocoso, in furto rei levis, in levi detractione, et aliis similibus. Neque huic sententiae favet S. Thomas, qui sic negat peccatum veniale esse contra legem, ut velit non esse contra ipsum finem legis, qui est caritas.

Non 3. Nam etiam peccata quaedam venialia sunt circa ipsum finem, ut motus non plene deliberati infidelitatis, et diffidentiae de Deo, blasphemia quae excidit potius quam ex deliberata voluntate proficiscatur; simul vero multa sunt mortalia peccata, quae sunt ad finem, ut homicidium, adulterium, furtum; neque magis favet S. Thomas huic opinioni quam superiori. Siquidem hoc tantum docet S. Doctor peccato mortali averti hominem a fine, veniali turbari tantum in ordine, quo tendit ad finem. Jam vero a fine avertitur homo interdum peccans contra praecepta de his, quae sunt ad finem, interdum autem a fine non avertitur, tametsi peccet contra praecepta, quae respiciunt ipsum finem, ut patet in adductis exemplis.

Non 4. Quae nihil prorsus explanat, illud enim ait, quod ipsum est explanandum, unde mortale peccatum eam gravitatem trahat, quae poenae aeternae reatum inducit, et quod sit in caussa cur peccatum veniale non eam gravitatem habeat, nec illud proinde reatum inferat.

PROPOSITIO II.

Differentia peccati mortalis et venialis merito ex eo repeti posse videtur, quod peccatum mortale ita sit contra legem, ut sit etiam contra finem legis, nempe caritatem, dirimatque adeo conjunctionem illam, qua homo caritate Deo adhaerescit ut fini, ordinemque proinde hominis ad finem penitus abrumpat; veniale vero tametsi sit contra legem, non tamen repugnet fini legis, possitque adeo cum caritate consistere, nec propterea hominis cum Deo conjunctionem dirimat, nec ipsum ordinem hominis ad suum finem penitus convellat.

Haec sane videtur expressa esse mens et sententia D. Th.

ut paucis admodum verbis, sed apprime significantibus declarat q. 7. de malo art. 1. ad. 1. ubi de veniali ait. Quod si in aliquo recedit ab ordine legis non tamen ipsum corrumpit, quia non corrumpit dilectionem quae est plenitudo legis. Ad hujus sententiae explicationem haec satis fuerit advertisse: quae fiunt contra alium quemcumque non omnia esse unius generis, sed omnino esse in duplici differentia; quippe alia consistere possunt cum amore et benevolentia erga eum, contra quem fiunt, alia cum isto amore et benevolentia componi nullo modo possunt; si filius, aut servus egregie fidelis et frugi, aut amicus, qui parentem, dominum, aut amicum magno amore prosequitur, aliquantum fuerit negligens in gerendis rebus ejus, cui obstrictus tenetur, parentis scilicet, domini, vel amici, si leve quoddam ei damnum afferat, si subiratus paullo aceribus aliquando responderit, si leviusculum quoddam ejus erratum, quod ejus existimationi et famae non noceat, patefecerit; hac certe talia sunt, ut quamvis fiant contra parentem, dominum, aut amicum, conciliari tamen possint cum vera erga ipsum benevolentia, et ab eo interdum admittuntur, qui sincere amat et ex animo. Contra vero si filius ille vel famulus vel amicus gravem quamdam injuriam affert parenti, domino, vel amico, si fidem ejus, probitatem, benevolentiam oppugnat, et in discrimen vocat, si debitam obedientiam, subjectionem, officium proterve negat, si vitae vel fortunis insidiatur, si contumeliis impetit, falsa crimina imponit, profecto exuisse ipsum necesse est omnem amorem ejus et benevolentiam; neque enim cum animo isto amatur, nec fieri potest, ut contra quem quis ea, quae diximus, facit, is ab eo diligatur. Stat ergo natura ipsa rerum constitutum fixumque discrimen quo ex iis quae fiunt contra aliquem, alia omnem erga ipsum amorem et benevolentiam excludant, alia cum amore et caritate consistant, tametsi per ea quis aliquantum ab isto amore deflectat. Peccata itaque mortalia censenda sunt, quae ita sunt contra legem, ut cum caritate et amore consistere natura sua non possint; talia sunt revera genere suo, sive quae adversantur praeceptis decalogi, sive quae communiter mortalia nuncupantur et capitalia. Nam infidelitas, desperatio, perjurium, sacrilegium, divini cultus violatio, et alia ejusmodi, quibus violantur praecepta primae tabulae, ipsam Dei veracitatem, justitiam, misericordiam, sanctitatem, do-

minium oppugnant, his negatur Deo debita subjectio et cultus, nec possunt adeo cum Dei amore consistere. Parentum vero contemptus, homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium amori proximi aperte repugnant. Jam superbia quae alios deprimit, avaritia quae aliis rapit quod sibi negat, luxuria quae ordinem propagationis humani generis, et educationis prolis evertit, invidia quae de bono alieno dolet, ira quae immoderatam ultionem appetit, gula qua plures quam gladio sibi mortem consciverunt, accidia quae a necessariis officiis hominem retrahit, certe sunt ejusmodi, ut nulla iis admisceri possit particula caritatis et benevolentiae. Sunt igitur non solum contra legem, sed etiam contra finem legis. Longe vero alia est ratio peccati venialis, ut patebit vel ipsam leviter inspicienti triplicem peccati venialis differentiam. Est enim peccatum veniale aliud quidem genere suo, ut verbum otiosum, mendacium jocosum: aliud ex parvitate materiae, ut leve furtum, levis detractio. Haec vera talia sunt, ut minime excludant amorem Dei et proximi. Sunt enim natura sua apta quae cum isto amore concilientur, et ab eo admitti possunt, qui revera, sincere, et ex corde amat. In tertio genere existunt graves quidem ex objecto, sed non satis deliberati motus, quibus non expelli caritatem, et amorem, ex hoc uno satis potest apparere, quod vincente ipsa caritate, et amore comprimantur, nec eos animus sibi redditus aut erumpere sinat, aut haerere, sed eos horreat statim, abjiciatque. Quum ergo ex peccatis alia videamus natura sua expellere caritatem, et amorem, alia minime, illaque mortalia optimo jure dicantur, ista venialia, profecto patet vehementissimum esse peccati mortalis et venialis discrimen, quod est in propositione allatum.

Hinc alia fluunt peccati venialis et mortalis discrimina. Nam 1. Ex eo quod peccatum mortale caritati repugnet, eamque expellat, privat hominem gratia et principio vitae spiritualis, quae in conjunctione sita est, qua homo Deo tanquam fini adhaerescit. Peccatum mortale adeo mortem animae infert, non veniale. 2. Fit ex eo consequens quod peccatum mortale importet malum et inordinationem ab intrinseco irreparabilem. Nam ut egregie notat D. Th. 1. 2. q. 78. art. 3. » Ordo quandoque reparabiliter pervertitur, et » quandoque irreparabiliter; reparabilis est ordo, quum ip» sum ordinis principium servatur, virtute siquidem hujus

» principii reparari potest perturbatio, quae in ordinem irrepsit. Sublato vero ordinis principio, inordinatio est ab intrinseco irreparabilis, sicut si corrumpatur principium visionis, non potest fieri reparatio visionis, nisi sola virtute divina: si vero manente principio, impedimenta visionis adveniant, ea natura, vel arte removeri possunt.» Hoc pacto cum ipsa hominis cum Deo conjunctio, quae principium est ordinis ipsius hominis ad finem, peccato mortali dirimatur, inordinatio quae mortali peccato inducitur, est ab intrinseco irreparabilis, nec nisi virtute divina reparari potest. 3. Cum ordinis perversio inducat reatum poenae, ut idem ait D. Th. sit autem ab intrinseco irreparabilis, et proinde natura sua perversio perpetua, quae fit mortali peccato perpetue quoque, et natura sua poenae reatum inducit. At vero cum peccato veniali non dirimatur ipsum interioris vitae principium, et ordinis, quo homo Deo inhaeret ab intrinseco, vi ejus principii reparari potest turbatio quae veniali peccato inducitur, nec proinde ex veniali peccato aeternae poenae reatus consequitur.

CAPUT VII.

An, et quomodo veniale peccatum evadere in mortale possit, et vicissim.

Veniale peccatum disponere ad mortale constat ex illo Ecclesiastici testimonio cap. 19. *Qui spernit modica paullatim decidet*, quae verba sic Patres interpretantur, ut significari velint ei qui minora peccata negligit, proclive admodum esse ut in majera ruat; disponit autem tripliciter. 1. Quia peccato veniali, maxime vero ejusdem frequentia et consuetudine augetur proclivitas ad peccandum in eo genere, quo fit, ut ipsa peccati turpitudo minus percellat, voluntas minus libidinem reformidet, eique se facilius adjungat, atque ad graviter peccandum pertrahi se sinat. Ita ex levibus furtis paullatim comparatur animus ad majora patranda: qui nimium ludis aut vanis colloquiis oblectatur, eo facile adducitur, ut vel propter ludum praetermittat impositum sibi officium, vel ex vanis colloquiis in turpia prolabatur. 2. Quia peccatis venialibus paullatim assuescit animus excutere, quam Deo debet, obedientiam, et subjectionem, quam proinde, paul-

lo vehementiore praesertim cupiditate instigante, negare in gravioribus non verebitur. 3. Quia peccata venialia minuunt fervore charitatis, obicemque afferunt auxiliis divinae gratiae, quibus homo firmatur adversus peccatorum mortalium illecebras. Atque hinc rectores animarum argumenta petere possunt, quibus doceant fideles, quanta cura et diligentia cavenda sint peccata etiam leviora, quamque periculosus eorum sit status qui ea negligunt.

Quaeritur autem utrum peccatum veniale fieri mortale aliqua ratione valeat, quae quaestio tripliciter intelligi potest. 1. Ut idem numero actus, primo quidem sit peccatum veniale, deinde mortale; atque hoc fieri nullo posse modo demonstrat S. Th. 1. 2. q. 88. a 4. Neque in hoc esse quidquam difficultatis potest, nam si voluntas quae actum peccati venialis eligit, non mutatur, evidens est nulla interveniente mutatione fieri haud posse, ut veniale peccatum mutetur in mortale. Si autem mutatur voluntas, non amplius unus, idemque erit actus moraliter, tametsi actio physice continuetur. 2. Sic intelligi potest ut ex multis venialibus veluti coacervatis et simul confusis unum conffetur peccatum mortale. 3. Quibus adjunctis peccatum quod ex genere suo veniale tantum futurum fuisset, evadet mortale.

PROPOSITIO I.

Ex venialibus peccatis quantumcumque multiplicatis nunquam unum conflari potest peccatum mortale.

Prob. 1. Conc. Trid. ses. 14. de Poenitentia cap. 5. docet venialia non excludere a gratia Dei, adeoque citra culpam taceri posse in confessione. Sed si ex multis venialibus confici aliquando posset unum mortale, qui multis esset venialibus obstrictus, per ipsa excluderetur a gratia Dei, illamque venialium multitudinem in confessione aperire teneretur, quae mortale peccatum efficeret. Igitur universim vera non esset Tridentini doctrina.

Pr. 2. Ex actus humani natura. Omnis enim actus voluntatis, quale est peccatum mortale, est quid simplex ex sese et individuum. Nequit igitur ex multis distinctis actibus velut partibus unus componi. Neque igitur ex multis venialibus unum effici mortale.

Pr. 3. Ex ipsa differentia peccati mortalis et venialis. Nam peccatum mortale importat aversionem a fine ultimo, veniale aliquam dumtaxat turbationem in ordine quo homo tendit ad finem ultimum. Ex quo fit ut peccatum veniale non habeat eamdem rationem magnitudinis cum mortali, ut docet S. Th. q. 7. de malo art. 3. Sitque, ut supra animadvertimus, diversi ordinis gravitas utriusque peccati. Jam vero, ut praeclare ibidem docet S. Th. quandocumque ex multis aggregatis fit unum, oportet eamdem esse quantitatis rationem utrobique. Sic ex multis parvis lineis fit una linea. Ubi vero est alia ratio quantitatis, ex multis non fit unum, sicut ex multis numeris non fit una linea. Cum ergo peccatum mortale et veniale sint in adverso genere magnitudinis, patet ex multis venialibus nunquam fieri posse unum mortale.

Pr. 4. Ex effectibus. Nam peccatum mortale privat infinito bono, nimirum bono increato. Veniale minuit tantum bonum creatum, scilicet fervorem caritatis; peccatum mortale inducit aeternae poenae reatum, veniale reatum poenae temporalis tantum. Sed increatum et creatum, aeternum et temporale infinito intervallo disjunguntur. Ergo ex uno in aliud perveniri nunquam potest, nec proinde ex imminutione quacumque boni creati potest nunquam tolli bonum increatum, neque ex additione quacumque poenae temporalis, seu reatus poenae temporalis, ad reatum poenae temporalis componi reatus poenae aeternae. Nec igitur unquam ex venialibus fieri peccatum mortale potest.

Obj. 1. Peccatum veniale dispositionem esse ad mortale, ergo poterit peccatum veniale multiplici sui incremento degenerare in mortale. Praeterea quodcumque veniale minuit charitatem: ergo venialia venialibus addita poterunt aliquando charitatem extinguere, atque ita vi sua peccatum mortale inferre.

R. Dispositiones non esse omnes unius ejusdemque rationis. Aliae tendunt vi sua in formam et habitum, cujus sunt veluti inchoationes quaedam, et a quo proinde non differunt nisi secundum perfectum et imperfectum, vel secundum magis et minus, atque hujusmodi quidem dispositiones transeunt in formam vel habitum in quem tendunt; sic inchoatum alicujus disciplinae studium dum augetur, crescendo tandem evadit in perfectam ejus disciplinae comprehensionem, sic

calor in ligno sensim auctus in formam ignis progreditur. Hujus rationis non est peccati venialis dispositio ad mortale. Aliae vero sunt dispositiones quae non eodem veluti genere, et ordine continentur, quo forma et habitus ad quem tendunt, sed solum propter quemdam nexum rerum inducendae facilius formae, vel habitui inserviunt, atque his quidem dispositionibus quantumcumque auctis nunquam pervenitur ad formam vel habitum, siquidem hic per alia et sua principia induci debet. Sic bonitas ingenii est quidem dispositio ad scientias, attamen sola ingenii bonitate, quantumvis aucta, nemo unquam doctus evadet. Sic logicae, et criticae artis studium praeclara est dispositio ad Theologiam, nemo tamen fiet Theologus solo criticae et dialecticae studio. Hujus porro rationis est peccati venialis dispositio ad mortale, ut ex superius dictis satis liquet. Ad id quod additur respondeo, peccato veniali non minui charitatem in sese spectatam, sed solum fervorem charitatis, quae fervoris diminutio potest in infinitum progredi, quin ipsa in se charitas labefactetur. Cujus rei exemplum praebet ipsa extensi diminutio quae fit divisione, nam quia divisio minuit solummodo magnitudinem extensi, non ipsum extensum in sese, cujus natura, sive in magno, sive in parvo eadem remanet, nulla divisione tolli unquam potest ipsum extensum, atque in nihilum redigi.

Obj. 2. Multis exiguis furtis conflari unum furtum grande, multis minutis comestionibus in die jejunii, multis parvis omissionibus in officii precibus recitandis, multis successivis temporibus in servili opere consumptis die festo, grande item et mortale peccatum conflari; ergo ex multis venialibus unum effici potest peccatum mortale.

R. In allatis exemplis non fieri ex multis venialibus unum mortale, sed ex multis minutis objectis quae ob parvitatem singula non sunt sufficiens materia mortalis peccati, fieri unum objectum grande, in quod dum voluntas fertur, peccatum certe mortale admittit. Itaque qui multis exiguis furtis magnam summam abstulit, mortaliter peccat non multorum venialium coalitione, sed ipsa intentione et voluntate magnam summam multis exiguis furtis comparatam auferendi, vel retinendi, quam voluntatem si jam habet, cum incipit furari, peccat mortaliter, licet furtum sit exiguum, si non habet, tum incipit mortaliter peccare in eo furto in quo summa,

quae ex eo et aliis furtis praecedentibus conflantur, tanta est, ut voluntas eam auferendi et retinendi sit peccatum mortale; sed ut patet hoc peccatum efficitur mortale unico et simplici actu magnam summam eripiendi, non coalitione peccatorum venialium, quibus multae leves summae ablatae fuerunt. Idem de reliquis dicendum.

Atque id quidem ex eo maxime confirmatur, quod si distincta venialium distinctorum objecta nunquam in unum morale objectum coalescant, nunquam etiam ex illis venialibus peccatum mortale fiat. Ita si quis singulis diebus jejunii paullum aliquod cibi praeter concessum degustet, si singulis diebus festis aliquantum temporis impendat operibus servilibus; si singulis omnino diebus exiguam aliquam officii particulam praetermittat, nunquam, sublato contemptu, ex illis venialibus tametsi toto vitae tempore accumulatis, et in magnam prorsus summam exaggeratis, exurget mortale peccatum, cujus rei ratio est, quia praecepta illa recitandi officii, abstinendi a servilibus operibus die festo, jejunii unica comestione transigendi, singulos dies singillatim afficiunt, ita ut singulis diebus absoluta recitatione officii, omissione operum servilium, uno convivio, praecepta illa perfecte impleantur, et obbligationi quae illis respondet, plene satisfiat. Quocirca si quae particula officii una die praetermittitur, haec omissio adversatur tantum praecepto pro ea die officii recitationem imperanti, nihil vero detrahitur illa omissione praecepto eamdem pro aliis diebus recitationem imperanti; quare ex illis particulis nunquam summa efficitur quae in unum objectum morale coalescat, faciatque, ut qui distinctis diebus eam summam praetermiserit, graviter fecisse sit censendus adversus aliquod praeceptum; quia ut dixi praeceptum recitandi officii non fertur in ipsam officii recitationem generatim et quocumque tempore persolvendam, sed fertur in singula officia prout singulis diebus recitanda; unde recitatio unius diei nullo pacto connectitur cum recitatione alterius; quod idem valet de unis epulis in die jejunii, de servilium operum omissione die festo.

Obj. 3. Augustinus Tract. 12. in Joan. ait: « Minuta plu« ra peccata, si negligantur, occidunt; minutae sunt guttae « quae flumina implent, minuta sunt grana arenae, sed si « multa arena imponatur, premit atque opprimit. Hoc facit

« sentina neglecta, quod facit fluctus irruens, paullatim per « sentinam intrat, sed diu intrando, et non exhauriendo, « mergit navim. » Et Tract. 1. epist. Joan. « Ista levia quae « dicimus, noli contemnere, si contemnis quando appendis, « expavesce quando numeras. Levia multa faciunt unum gran« de, multae guttae implent flumen, multa grana faciunt « massam. » Ergo quemadmodum multarum guttarum collectio flumen efficit, sic multis etiam venialibus existimavit effici peccatum grande, seu, quod eodem recidit, multa venialia perinde occidere ac mortale peccatum, et hominem aeternae damnationi obnoxium facere.

R. Hanc fuisse Augustini mentem, ut doceret minuta plura peccata occidere, quatenus minuta plura, si negligantur, proxime inducunt, adeoque tandem in mortale crimen desinunt; non quatenus multorum venialium collectio ipsa per se aliquando fiat peccatum mortale. Est autem infirmum argumentum quod ex similitudine ducitur. Haec enim vulgaris est, et probatissima artis regula, in similitudinibus non absolutam, et ex omni parte consentientem convenientiam quaerendam esse. Quare ex eo quod ad declarandum, quomodo venialia paullatim in mortale inducant, utatur Augustinus exemplo guttarum, quae in flumen coeunt, non sequitur ex Augustini sententia eodem modo ex venialibus mortale induci, quo flumen ex guttis conflantibus efficitur. Imo contrariam sententiam aperte adstruit Augustinus Serm. 88. de tempore his verbis. « Dum homines negligentes despiciunt peccata sua quia parva, crescentibus minutis peccatis, addun« tur etiam crimina, et cumulum faciunt. « Praeterea idem saepe in justis quotidiana peccata agnoscit, adeoque multa et frequentia. quibus tamen justi esse non desinunt, et locis allatis non de venialibus simpliciter agit, sed prout adjunctum habent contemptum, ex quo fiunt homines admodum proclives ut in mortalia labantur.

PROPOSITIO II.

Ex adjunctis peccatum genere suo veniale interdum evadit mortale.

Id vero tripliciter contingit: ex affectu peccantis, ex effectu peccati, ex objecto actus. Ex affectu quidem peccantis.

1. Quum quis peccatum facit ex genere suo veniale, quod ipse aut putat, aut dubitat esse mortale. Exemplum Apostolus suppeditat, imo regulam firmat ad Rom. 14. *Qui autem discernit*, idest falso putat illicitum esse manducare de idolothytis, *si manducaverit, damnatus est, quia non est ex fide*, idest ex conscientia. Unde divus Th. quodlib. 7. 9. q. 7. art. 15. affirmat, errorem quo creditur esse mortale, quod mortale non est, conscientiam ligare ad peccatum mortale. 2. Ratione finis, ut si quis jocosis verbis virginem ad peccatum inducere conetur: nam si actus natura sua indifferentes ex fine malo operantis fiunt mali, profecto veniale peccatum mortale fieri oportet si ad actum mortalis peccati refertur. 3. Ratione contemptus, nam qui proterve levia etiam mandata contemnit, gravissimae audaciae reus est.

Ex effectu peccati. 1. Ratione scandali, velut si quis levi quadam irrisione praevideat alium in gravem irae impetum, vel odium concitatum iri. 2. Ratione periculi proximi mortaliter peccandi, velut qui ex ludo nimium protracto non ignorat sibi periculum imminere aut rixandi, aut pejerandi.

Ex objecto actus. Quum nimirum multorum venialium objecta in unum morale objectum coalescunt grave, et ad mortale peccatum sufficiens, ut supra explicatum est.

Quaeritur autem etiam, utrum, et quomodo peccatum genere suo mortale effici veniale possit.

R. Peccatum genere suo mortale fieri posse veniale vel ob parvitatem materiae, ut patet in exiguo furto, levi detractione, et similibus: in his vero quae nullam etiam materiae parvitatem admittunt, ob imperfectionem actus quia ut docet S. Th. 1. 2. q. 88. art. 6. tunc non perfecte pertingit ad rationem actus moralis, cum non sit deliberatus, sed subitus, et hoc fit per subtractionem quamdam, scilicet deliberatae rationis, et quia a ratione deliberata habet speciem moralis actus, unde est quod per talem subtractionem solvitur species. Hinc ob defectum plenae deliberationis, et consensus indeliberati, actus infidelitatis, odii Dei, et similes fiunt peccata venialia. Sic etiam libidinosa cogitatio in homine non bene expergefacto, aut etiam in eo qui dubitat, num consenserit nec ne, censetur venialis, nam ubi adfuit plena deliberatio et consensus, ut plurimum sensum et fidem

sui facit. Quare ipsa dubitatio, praesertim in homine timoratae conscientiae indicium est indeliberati actus.

Licet ex dictis insignes veluti notas colligere quibus peccatum veniale a mortali distinguatur; quamquam non est dissimulandum in singularibus quae occurrunt, judicium istud ac discrimen difficile admodum esse, et perplexum. Nam, ut sapienter monet Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 27. « Quae sint ista peccata quae ita impediunt perventionem ad « regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impe« trent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosis« simum definire ». Additque, divino forte consilio effectum esse, ut hoc nos plerumque discrimen lateret, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat. Ut autem tutius de illis, quum opus est, dijudicent rectores animarum, ad eas potissimum regulas spectent oportet, quae ducuntur e sacris litteris, ex ecclesiae et traditionis auctoritate, ex communi doctorum sensu.

Primo peccata quae in sacris litteris execranda dicuntur, exosa Deo, excludere a regno coelorum, digna esse morte, aut in quae cadit detestatio quae particula *Vae* continetur, mortalia sunt; quae vero mitioribus verbis notantur et castigantur, venialia.

Prioris generis exemplum sit illud Isai. 5. « Vae qui po« tentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscen« dam ebrietatem, qui justificatis impium pro muneribus, « et justitiam justi aufertis ab eo ». Et illud etiam Apostoli ad Ephes. 6. « Hoc scitote intelligentes, quod omnis forni« cator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum « servitus, non habet haereditatem in regno Christi et « Dei ».

Posterioris generis exemplum illud sit proverb. 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Et Matth. 12. « Omne ver« bum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent ratio« nem de eo in die judicii.

Usum hujus regulae mirifice explanat illustratque Augustinus Ench. cap. 78. Ut ex multis unum proferam: « Sunt, « inquit, quaedam quae levissima putarentur, nisi in scri« pturis demonstrarentur opinione graviora. . . . qui existi« maret, quam magnum peccatum sit dies observare, et men« ses, et annos, et tempora, sicut observant qui certis die« bus, sive mensibus, vel annis volunt, vel nolunt aliquid

« inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum, « fausta vel infausta existiment tempora, nisi hujus mali « magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus « ait: timeo vos, ne forte sine caussa laboraverim in vo- « bis ».

2. Ex ecclesiae definitione colligimus, nullam in perjurio, nullam in venerea delectatione extra conjugium materiae levitatem reperiri, quae a lethali peccato excuset. Quippe damnata est ab Innocentio XI haec propositio: « Vocare « Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreveren- « tia, propter quam velit, aut possit damnare hominem. » « et ab Alexandro VII haec alia: Est probabilis opinio, « quae dicit, tantum esse veniale osculum habitum ob « delectationem carnalem, et sensibilem, quae ex osculo « oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutio- « nis. »

3. Ex communi doctorum sensu colligitur, peccatum esse mortale praeterire sacrum die festo, indictum vigiliis, aut quadragesima jejunium violare, praetermittere officii recitationem his, qui statu suo recitare tenentur.

Caeterum cavendum, ne in hoc judicio quidquam detur affectui: *Quae sint levia, quae gravia peccata*, inquit Augustinus loco cit. *non humano, sed divino sunt pensanda judicio*; et ut praeclare D. Bonaventura opusculo de processu religionis cap. 28. Cum Deo disputare velle stultum est, et « quasi velle convincere eum, ut non debeat judicare esse « peccatum mortale, quod nostra opinio non vult pro mortali « habere. Sua existimatio est regula justitiae infallibilis, non « nostra angulosa opinio.

QUAESTIO IV.

De conditionibus ad peccatum requisitis.

Actus humanus est, qui ex deliberata voluntate proficiscitur. Porro ad voluntatem deliberatam requiritur animadversio, et consensus, ut constat ex tractatu de actibus humanis; in hac tamen generali doctrina, prout ad peccata traducitur, triplici ex capite potissimum difficultates occurrunt. Nam 1. Deliberationem aliquam requiri ad peccandum, inter novatores plerique negarunt. 2. De ipsa ratione animad-

versionis quae requiritur, multa sunt a multis perperam dicta. 3. In explicanda etiam consensus ratione gravosa multis dubitationes moveatur, et ambiguitates.

CAPUT I.

Refellitur haereticorum error in motibus concupiscentiae prorsus indeliberatis peccatum existere affirmantium.

Sic prorsus existimarunt post Lutherum Calvinus, eorumque sectarii. Audiatur Calvinus lib. 3. instit. cap. 3. §. 12. « Omnes, inquit, hominum cupiditates malas esse docemus, « et peccati reas peragimus, non quatenus sunt naturales, « sed quia inordinatae. Inordinatas autem esse, quia ex na- « tura corrupta, et polluta nihil puri, et sinceri prodire po- « test. » Eadem docet Philippus Melancton in apologia confessionis Augustanae art. 2. de peccato originali; Kemnitius in examine sessionis V. Conc. Tridentini; Gomarus tractatu de concupiscentia, et passim alii. Qui error primum damnatus est a Leone X in Luthero, dum proscripsit articulum hujus secundum: « In pueris post baptismum negare rema- « nens peccatum, est Paulum simul et Christum conculcare: » deinde concil. Tridentino sess. V. Canone 5., deinceps a S. Pio V et Gregorio XIII in propositionibus Baii eumdem errorem exagitantibus, nimirum 50. « Prava desideria quibus « ratio non consentit et quae homo invitus patitur, sunt pro- « hibita praecepto, non concupisces. « Et 75. « Motus pravi « concupiscentiae sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti « praecepto: non concupisces; unde homo eos sentiens et non « consentiens, transgreditur praeceptum, non concupisces, « quamvis transgressio in peccatum non deputetur ». Et quidem in motione quavis animi, et actione indeliberata prorsus, et involuntaria peccatum existere posse, usque adeo abhorret a communi sensu, et recta ratione, ut qui de jure naturali tractare accuratius instituerunt ex novatoribus non pauci magna celebritate homines, magistrorum suorum vias deserere, et contrariam omnino inire fuerint coacti, quippe qui agnoscunt, nullam actionem esse aut laudabilem, aut culpabilem nisi prout est imputabilis, non porro imputabilem esse, nisi quatenus est in agentis potestate, et arbitrio posita.

Majoris vero distinctionis gratia, triplex concupiscentiae

motuum genus theologi aptissime distinguunt. Unum eorum, quos vocant primo primos, qui omnem prorsus deliberationem, animadversionem, consensumque antevertunt; alterum, quos primo secundos, quibus aliqua ajungitur animadversio et deliberatio, sed inchoata et imperfecta, cujusmodi apparet in cogitationibus, et motibus, quae inter somnum et vigiliam irrepunt aut occurrunt animo magnopere in aliam partem distracto et occupato. Tertium eorum, qui secundo secundi dicuntur, habentque plenam animadversionem adjunctam, cum nempe animus sui compos eos motus bene advertit, sibique inesse sibi sensu intimo conscius est, eosdemque patitur. His positis.

PROPOSITIO.

In motibus concupiscentiae primo primis nullum inest peccatum.

Haeretici sacra auctoritate praesertim hoc loco pugnantes, sunt nobis sacra auctoritate refellendi, quod quidem si bona fide agere vellent, facilius est, quam dici possit.

Sacrae litterae multis testimoniis quatuor haec docent. 1. Voluntatis esse peccare, aut non peccare. 2. Non pati Deum tentari hominem ad peccandum supra id quod potest. 3. Quae hominem coinquinant, ex corde, seu deliberata voluntate procedere. 4. Ut peccatum fiat, accedere concupiscentia oportere voluntatis consensum. Atqui omnia haec opponuntur contradictorie errori, quem refellimus. Ergo etc.

Major probatur per partes. Primo Joan. 5. *Ecce sanus factus es, jam noli peccare.* 1. ad Cor. 15. *Evigilate justis, et nolita peccare.* Frustra autem juberentur homines nolle peccare, si ipsi peccarent concupiscentiae motibus quos nolunt.

Secundo 1. ad Cor. 10. « Qui se existimat stare, videat « ne cadat .... fidelis autem Deus, qui non patietur vos « tentari supra id quod potestis. » Frustra quoque ista esset admonitio, si in concupiscentia tentante jam peccatum inesset.

Tertio Matth. 15. « Quae autem procedunt de ore, de « corde exeunt, et ea coinquinant hominem: De corde enim « exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornica-

« tiones, furta, falsa testimonia, blasphemiae: Haec sunt « quae coinquinant hominem. » Hujus porro generis non sunt concupiscentiae motus indeliberati, qui non e corde exeunt, sed in cor irrumpunt. Quod pulchre explicat Augustinus lib. de continentia cap. 2. « Posito igitur, inquit, ostio « continentiae in ore cordis, unde cuncta exeunt, quae co- « inquinant hominem, si nil tale inde permittatur exire, se- « quitur munditia, qua possit jam gaudere conscientia, « quamvis nondum sit illa perfectio, ubi non luctabitur cum « vitio continentia, nunc autem quamdiu concupiscit caro ad- « versus spiritum, sat est nobis non consentire malis, quae « sentimus in nobis. »

Adverte Augustinum ita peccatum a malo distinguere, ut non omne malum velit esse peccatum. Quare ex eo quod concupiscentiae motus mali plerumque dicantur, et lato sensu peccata, perperam concludunt haeretici, concupiscentiam esse vere et proprie peccatum, quod distincte explicat Augustinus lib. 6. adv. Julianum c. 5.: Regeneratus omni peccato caret, non omni malo: quod planius ita dicitur: regeneratus omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis.

Adverte insuper in illo superiore textu ex Augustino, concupiscentiam indeliberatam adversari perfectioni status, ad quam justi aspirant, non officio vitae, quod praecipitur. Ex hac enim distinctione expedita ratio patebit conciliandi Augustini, iisque locis occurrendi, quae ex ipso haeretici depromunt.

4. Ad Rom. 6.: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*: Hic distinguitur peccatum, et regnum peccati; peccatum dicitur quidem esse in concupiscentia, sed hoc peccatum non prohibetur; regnum vero peccati ex obedientia, et consensu voluntatis repetitur, et hoc regnum prohibetur; ex quo manifeste patet, peccatum quum dicitur de concupiscentia, non sumi pro peccato proprie dicto, seu transgressione legis, sed lato sensu pro malo, quod est ex peccato, et in peccatum inclinat; peccatum vero proprie dictum, quod prohibetur, significari per regnum peccati, cum nimirum concupiscentiae tentanti voluntas consensu accedit, eamque regnare permittit. Hinc Augustinus in illud Apostoli ad Rom. 7. Jam non ego operor illud sed quod habitat in me peccatum, sermone 151. cap. 1. haec habet: « Quia non mente operabatur consentiendo, sed carne con-

« cupiscendo; hoc enim peccati nomine appellat, unde oriun-
« tur cuncta peccata, idest ex carnali concupiscentia . . . .
« Huic ergo illicitae delectationi si resistamus, si non con-
« sentiamus, si membra velut arma non ministremus, non
« regnat peccatum in nostro mortali corpore, peccatum enim
« ante regnum perdit, et sic perit. » Luculentissime vero suam ipse mentem Augustinus aperit lib. 2. de Genesi contra Manichaeos cap. 14. ubi quae in nobis aguntur, dum labimur in peccatum, a prima incitatione ad consensum usque, et opus, pulcherrima imagine adumbrat per ea, quae in lapsu primi parentis contigisse sacrae litterae memorant. « Etiam nunc, inquit, in unoquoque nostrum nihil
« aliud agitur, cum ad peccatum quisque delabitur, quam
« tunc actum est in illis tribus; serpente, muliere, et viro.
« Nam 1. fit suggestio, sive per cogitationem, sive per sen-
« sus corporis: quae suggestio cum facta fuerit, si cupidi-
« tas nostra non movebitur ad peccandum, excludetur ser-
« pentis astutia; si autem mota fuerit, quasi mulieri jam
« persuasum erit, sed aliquando ratio viriliter etiam com-
« motam cupiditatem refraenat, atque compescit, quod cum
« fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione
« coronamur. Si autem ratio consentiat, et quod libido com-
« moverit, faciendum esse decernat, ab omni vita beata,
« tanquam de paradiso expellitur homo, jam enim peccatum
« imputatur, etiam si non subsequatur factum, quoniam rea
« tenetur in consensione conscientia ». Idem docent unanimi consensu vetustissimi ecclesiae patres; ut de apostolica traditione nullus sit dubitandi locus. Irenaeus lib. 4. adversus haereses cap. 9.: « Homo liber in arbitrio factus, et suae
« potestatis, ipse sibi caussa est, ut aliquando quidem fru-
« mentum, aliquando autem palea fiat, quapropter et juste
„ condemnabitur. „ Clemens Alexandrin lib. 2. Stromatum:
„ Peccatum est voluntaria injustitia, injustitia autem est vi-
„ tium voluntarium; non imputantur, quae non constat ex
„ instituto et libera electione. „ Tertullian. lib. 2. contra Marcionem: „ Nec boni nec mali merces juste pensatur ei, qui
„ aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non vo-
„ luntate. „ Cyprianus Sermone de Baptismo Christi: Invitus
„ nemo peccat. „ Et alii passim.

Opponunt 1. Haeretici multo apparatu ea multa scripturarum loca, in quibus concupiscentia dicitur peccatum.

R. Unam esse horum locorum, et legitimam interpretationem, quae superius allata est, nimirum peccatum ibi sumi late pro malo quod est ex peccato, et ad peccatum inclinat; caeterum ex iisdem locis apparere, peccatum illud proprie non fieri, nisi cum malum illud regnare permittitur, nec porro ipsum regnare posse, nisi accedente voluntatis consensu, quae explicatio confirmatur ex Augustino qui lib. 1. de nuptiis et concupiscentia declarat, ita dici concupiscentiam peccatum in renatis, sicut locutio dicitur lingua, quia a lingua procedit; qua ratione, inquit, dicere solemus, linguam aliam esse graecam, aliam latinam.

Obj. 2. Concupiscentiae motus involuntarios prohiberi decimo praecepto: *non concupisces*, nam aliud hoc praecepto prohibetur, quam prohibetur sexto: *non moechaberis*, et septimo: *non furtum facies*; sed istis duobus adulterium ipsum et furtum prohibentur. Ergo ultimis prohibentur concupiscentiae motus quicumque ad adulterium et furtum incitantes. Ita Gomarus.

R. Sexto, et septimo praecepto prohiberi adulterium, et furtum opere perfecta, nono et decimo mente concepta. Futuri quippe erant homines, ut pharisaei, qui putarent peccatum quidem esse opus ipsum adulterii et furti, minime vero internam adulterii, et furti voluntatem: quamobrem eos reprehendit Christus Matth. 5. *Audistiis quia dictum est antiquis: non moechaberis: Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo.* Quod autem motus deliberati qui feruntur in obiecta concupiscentis appetitus distinctis praeceptis prohibeatur, non motus deliberati qui feruntur in objecta irascibilis, nullumque sit praeceptum vetans concupiscere mortem proximi respondens quinto praecepto: *non occides*; id vero nulla ratione favet haereticis, nam ipsi etiam eadem difficultate implicantur. Siquidem indeliberati motus ad homicidium incitantes non minus per ipsos peccata sunt, quam inde liberati motus incitantes ad furtum. Congruentem autem ejus discriminis rationem affert D. Thomas 1. 2. q. 100. art. 5. ad 5. „ Nimirum, quod delectatio adulterii, et utilitas divitiarum „ sunt propter se ipsa appetibilia, in quantum habent ratio„ nem boni delectabilis, vel utilis; et propter hoc oportuit „ in eis prohiberi non solum opus, sed etiam concupiscen„ tiam; sed homicidium, et falsitas sunt secundum se ipsa

„ horribilia, quia proximus, et veritas naturaliter amantur, „ et non desiderantur, nisi propter aliud, et ideo non oportuit circa peccatum homicidii et falsi testimonii prohibere „ peccatum cordis, sed solum operis.

Obj. 3. Divum Augustinum ita pluribus in locis id praeceptum *non concupisces* interpretari, ut velit eo prohiberi motus quosque indeliberatos, et involuntarios. Sic Serm. 154. De verbis Apost. cap. 6. haec habet: « Si autem concupiscis « quidem quod lex vetat, cum dicit: non concupisces: servas tamen aliud, quod item lex jubet: post concupiscen« tias tuas non eas: mente spiritalis es, carne carnalis ». Et cap. 7. In persona ejus qui concupiscit nolens, ait: » Non » implet legem infirmitas mea, sed laudat legem volun» tas mea ».

R. Ex illis locis non aliud evinci, nisi motibus involuntariis ex Augustino legem non impleri, quod attinet ad illam summam perfectionem, et absolutam subjectionem inferioris partis ad superiorem, in quam lex tendit, minime autem illis motibus violari legem, quod attinet ad obligationem, quam imponit. Itaque idem Epist. 196. ad Aselicum haec habet: » In qua justitia (resistendo desideriis carnis) non» dum consummata perseveranter proficientes, ad ejus con» summationem quandoque veniemus, ubi peccati concupi» scentia non cohibenda, atque fraenanda, sed nulla sit: » hoc enim posuit lex dicendo: non concupisces: non quod id valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus ».

Obj. 4. Melancton et alii: Augustinus lib. 1. de nuptiis et concupiscentia ait: *Peccatum quidem in baptismo remitti, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur.*

R. Hoc loco haereticos doctorum suorum fraudes cernere posse, neque enim ait Augustinus peccatum, sed concupiscentiam in baptismo remitti, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur.

Opponit 5. Kemnitius locum ex lib. 5. Contra Julianum cap. 3. in quo jam antea vim quoque multam Calvinus fecerat in Antidoto contra Concil. Trident. Sic] porro urget argumentum Kemnitius: Quum Augustinus antea disputasset concupiscentiam in renatis non esse peccatum, sed tantum poenam peccati, atque hoc illius dictum Julianus arripuisset, et inde collegisset, non esse concupiscentiam tanquam peccatum aliquod aversandam, sed potius laudandam, velut ad-

ministram divinae justitiae, respondet Augustinus, fieri posse, ut unum et idem peccatum simul sit, et poena peccati, ut mentis caecitas, juxta illud Apostoli: propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum; deinde subjungit: Simili ratione concupiscentiam, adversus quam bonus concupiscit spiritus (sunt verba Augustini) et peccatum esse, quatenus inest ei inobedientia adversus dominatum mentis, et poenam peccati quatenus reddita est meritis inobedientis, et caussam quoque peccati defectione consentientis, vel contagione nascentis. Quo loco existimat Kemnitius, Augustinum ea retractasse, quae aliis locis in contrariam sententiam dixerat.

At vero inanem prorsus triumphum esse, quem hic agit Kemnitius, ex ipso ejus argumento apertissime potest declarari. Recte omnino, et ex omni parte sibi constat Augustini sententia. Recte scilicet ante constituerat Augustinus concupiscentiam in renatis non esse peccatum, peccati nomen proprie accipiendo; sed tamen Augustinus nunquam negavit, imo semper asseruit, concupiscentiam esse malum etiam in renatis, ac velut vulnus naturae inflictum, quo sensu peccati nomine latius accepto pro quacumque inordinatione, concupiscentia peccatum vocari potest. Ex eo porro quod Augustinus negaret, concupiscentiam in renatis peccatum esse proprie dictum, perperam Julianus colligebat, concupiscentiam esse bonam, et laudandam, non aversandam, non viribus animi omnibus oppugnandam. Quocirca Augustinus rectissime adversus Julianum tuetur concupiscentiam in sese spectatam, inordinationem esse, et vitium naturae adjunctum, quod satis est, ut non sit laudanda, et peccatum dici queat, latius accepto peccati nomine, tum eamdem esse poenam peccati, ac tandem caussam peccati proprie accepti; et id quidem duplici modo, vel contagione nascentis, nimirum in originali peccato, cujus materiale, ut vocant, est ipsa concupiscentia, vel defectione consentientis, nimirum in peccato actuali, quod proinde solum tunc admitti agnoscit hic Augustinus, cum concupiscentiae accedit consensus; tantum abest, ut quod olim dixerat retractaverit, ut inepte somniatur Kemnitius.

Opponitur 6. D. Th. qui peccatum saltem veniale in motibus concupiscentiae prorsus indeliberatis agnoscere videtur. Sic 1. 2. q. 74. art. 3. ad 3. ait: quod motus sensualitatis

rationem praeveniens est peccatum veniale. Cui sententia plures aliae similes aliis ex locis depromuntur.

R. Articulum illum legenti manifestam esse mentem D. Th., qui expresse docet, in sensualitate non posse peccatum inesse, nisi prout haec subest imperio voluntatis, atque adeo potest actus illius esse voluntarius. In responsione vero ad 3. loquitur de motu sensualitatis praeveniente perfectam deliberationem rationis, unde negat *esse perfecte actum humanum.* Sed tamen illum motum, quem dicit peccatum veniale, ait esse actum humanum imperfectum, et propterea etiam imperfectum in genere peccati, hoc est peccatum veniale: agnoscit igitur illum motum non praevenire imperfectam deliberationem, sine qua non esset imperfecte humanus actus ex principiis D. Th., at que hanc quidem mentem suam S. Doctor cum multis locis aperit, tum 2. 2. q. 158. art. 2. ad 3., ubi viam tradit expeditam difficultatibus de hac re omnibus occurrendi. « Homo est dominus suorum actuum per » arbitrium rationis, ed ideo motus qui praeveniunt judicium » rationis, non sunt in hominis potestate in generali, ut scilicet » nullus eorum insurgat, quamvis ratio possit quem libet sin» gulariter impedire, ne insurgat, et secundum hoc dicitur » quod motus irae non est in potestate hominis, ita scilicet » quod nullus insurgat, quia tamen aliqualiter est in homi» nis potestate, non totaliter perdit rationem peccati, si sit » inordinatus ». Ex quo patet, motus inordinatos, et praevenientes ex D. Th. non esse peccata, nisi quatenus aliquo modo sunt in potestate hominis, nec esse in potestate hominis, nisi prout subsunt arbitrio, et consequenter deliberationi rationis. Unde sequitur motus primo primos, qui omnem prorsus excludunt deliberationem, nullo modo subesse arbitrio rationis, nec proinde ullo modo esse in potestate hominis, neque adeo peccata esse posse.

Obj. 7. Ad peccati rationem satis est, ut inordinatio sit voluntaria voluntate primi parentis, ut patet in peccato primi parentis; ergo tametsi motus indeliberati concupiscentiae inordinati sint in se ipsis involuntarii, quia tamen voluntarii sunt voluntate capitis, utpote effectus peccati originalis, merito ad culpam imputari possunt.

R. D. Th. in 2. distinct. 3. q. 1. art. 2.: Oportet, quod secundum hoc quod aliquid rationem culpae habet, secundum

hoc ratio voluntarii in ipso reperiatur, sicut autem est quoddam bonum, quod respicit naturam, et quoddam quod respicit personam, ita etiam est quaedam culpa naturae, et quaedam personae. Unde ad culpam personae requiritur voluntas personae, sicut patet in culpa actuali quae per actum personae committitur: ad culpam vero naturae non requiritur, nisi voluntas in natura illa.

CAPUT II.

De animadversione ad peccatum requisita.

Perspicuum est, quae de ignorantia voluntaria, et involuntaria, directe, aut indirecte volita disputantur, pari jure incogitantiae accomodari posse, prout haec animadversioni opponitur. Ex quo sequitur, ad rationem constituendam actus humani simpliciter idem de animadversione, ac de cognitione, idem de incogitantia, ac de ignorantia ferendum esse judicium. Hic vero quaeritur quae peculiaris ratio animadversionis requiratur, ut actus in se voluntarius, et humanus proprie peccatum dici queat. Quaestioque omnis ad duo capita reducitur. 1. Utrum ad peccandum requiratur praesens animadversio, et consideratio malitiae peccati. 2. Utrum, ut peccatum sit proprie offensa Dei, requiratur, ut qui peccat non solum actum ejusque gravitatem agnoscat, se insuper sciat actum illum divinae legi adversari.

Et quidem quod attinet ad primum quaestionis caput, res confecta est ex his quae superius dicta sunt de peccatis ignorantiae, nam si et peccata aliqua procedunt ex ignorantia, et aliqua ignorantia est peccatum, ut probatum est; cum aliunde constet in ejusmodi peccatis ignorantiae, nullam subesse praesentem de malitia peccati aut suspicionem, aut notitiam, illud etiam necessario sequitur, aliqua esse peccatà sine hujus praesentis animadversionis interventu de actionis malitia. Quamobrem non est, cur in hoc primo capite diutius haereamus.

Quod vero attinet ad alterum caput, fuit nonnullorum Theologorum opinio, qui Deum aut ignorat, aut de Deo non cogitat, eum quantumvis peccet contra rationem, minime tamen peccare contra Deum, ejusque proinde peccatum, utpote soli rectae rationi adversum, philosophicum appellari posse,

minime vero esse offensam Dei, nec proinde peccatum Theologicum dignum aeternae poenae reatu. Prodiit aperte haec opinio in thesibus Divione propugnatis anno 1686 his verbis expressa. « Peccatum Philosophicum, seu morale est actus « disconveniens naturae rationali et rectae rationi. Theologi« cum vero et mortale est transgressio libera legis divinae: « philosophicum quantumvis grave in eo qui Deum vel igno« rat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, « sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale disso« vens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum ».

Damnavit hanc propositionem Alexander VIII. anno 1695. verens ne peccati philosophici species latius jam se ostentans labem ipsam obtegeret offensae Dei, minusque imprudentes homines, et scelerati aeternam poenam reformidarent, quo sese magis adversus ipsam scelere ipso et impietate tutos intelligerent.

PROPOSITIO.

Ut peccatum sit offensa Dei, aeternaque poena dignum, minime requiritur, ut quis aut Deum agnoscat, aut actu de Deo cogitet.

Innumerabilia in hanc rem Theologi argumenta protulerunt petita e Sacris Litteris, patribus, et ratione. Nos paucis in re non dubia contenti erimus; atque ut initio effugia omnia praecludantur, ac diverticula, quae ex eo quaerentur, quod nisi praesens quaedam animadversio aliquando saltem praecesserit, in his quae sequuntur, constare nequeat ratio voluntarii, satis fuerit ad captiones omnes repellendas animadvertisse, hanc esse humanae mentis conditionem, ut quum sese explicare incipit, hujus universitatis ipso moveatur aspectu ad ejus auctorem inquirendum, ipsaque humanarum actionum consideratione in boni et mali moralis generalem quamdam agnitionem ducatur; quare nisi homo rationis naturalis progressui voluntarium quoddam obstaculum afferat, nequit ipsa ratio formata carere aut notitia Dei, aut principiorum legis naturalis. Quam in rem pulchre Augustinus tract. 106. in Joan. in illa Christi verba Joannis 17. *Manifestabo nomen tuum hominibus* haec habet: « Non illud nomen tuum quo « vocaris Deus, sed illud quo vocaris Pater meus: quod

« nomen manifestari sine ipsius filii manifestatione non pos-
« set; nam quod Deus dicitur universae creaturae, etiam
« omnibus gentibus antequam in Christum crederent, non omni
« modo esse potuit hoc nomen ignotum. Haec est enim vis
« verae Divinitatis, ut creaturae rationali jam ratione utenti
« non omnino ac penitus abscondi possit ».

Primo itaque propositio ex sacris litteris probatur, quae utique apertissime ostendunt, eo magis homines impios fieri, ac detestabiles, Deoque ipsi odiosiores, quo magis culpa sua Deum ignorant, suisque in sceleribus minus de Deo cogitant. De homine pariter impio, et peccatore dicitur: *Non est Deus in cospectu ejus, inquinatae sunt viae illius in omni tempore.* Et psalm. 49. *Intelligite haec qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, et non sit qui eripiat.* Hinc etiam psalm. 78. *Effunde iram tuam in gentes quae te non noverunt.* Apostolus ad Ephes. 4. *Tenebris obscuratam habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam quae est in illis.*

Pr. 2. Argumento D. Th. 1. 2. q. 71. art 2. ad 4. quo plane ex ipsa rei natura efficitur, non posse peccatum rectae rationi adversari, quin simul repugnet aeternae legi, sitque adeo offensa Dei: « Quidquid est, inquit, contra ratio-
« nem artificiati, est etiam contra naturam artis, qua arti-
« ficiatum producitur. Lex autem aeterna comparatur ad or-
« dinem rationis humanae, sicuti ars ad artificium, unde
« ejusdem rationis est quod vitium, et peccatum sit contra
« ordinem rationis humanae, et quod sit contra legem ae-
« ternam ».

Hinc merito constituit idem S. Doctor q. 74. art. 7. ad 2. rationem judicari consentire peccato, sive cogitat de lege, sive non, quia quum cogitat de lege Dei, actu eam contemnit, cum vero non cogitat, eam negligit per modum omissionis cujusdam.

Hinc etiam Augustinus quum audisset ex Juliano Manichaeos versari in illa opinione, ut arbitrarentur immunes a culpa esse quicumque tranquilla conscientia peccant, quod nempe ad malitiam actionis, aut ad offensam Dei non attendant, horruit perversum dogma antea inauditum sibi, vixque de Manichaeis ipsis credendum: ita lib. 4. contra Julianum cap. 8. « Quod autem, inquit, ad nos pertinet, quia
« Manichaeos dicere affirmas, si quis homicidium formidante
« conscientia commiserit, reus est, quia timuit; si autem

« aliquod facinus exultante perpetravit audacia, velut cre-
« dens se ex fide facere quod male fecit, evasit culpam,
« quod quidem nunquam audivi dicere Manichaeos; sed, quid
« ad nos, sive dicant, sive etiam ipsis calumnieris, cum
« hoc catholica fides non dicat quam tenemus, et cujus te
« pondere urgemus? Nimis sane callidum consilium quo pro-
« bus fias, si imperterrite impius esse didiceris ».

Hinc denique S. Bernardus inter capitula errorum Abailardi Epist. 120. ad Innocentium II. illud etiam refert primum erroris caput de presente animadversione ad peccandum necessaria, e qua ipsum fluxit peccatum philosophicum. De Judaeis quippe qui Christum ignoranter crucifixerunt, sic statuebat Abailardus: « Nos dicimus quod revera illi sim-
« plices Judaei non agebant contra conscientiam, sed potius
« zelo legis suae Christum persequebantur, nec putabant se
« male agere, et ideo non peccabant: nec propter hoc ali-
« qui eorum damnati sunt, sed propter praecedentia peccata
« merito quorum in istam caecitatem devoluti sunt ».

Obj. 1. Illud Joan. 9. *Si caeci essetis, non haberetis peccatum*; sed qui caret praesente notitia aut malitiae peccati, aut offensae Dei, caecus est: ergo ille non habet peccatum, vel saltem Deum non offendit.

R. Nil eo loco aptius esse ad convellendum errorem quem refellimus. Jesus caeco nato, qui opem ejus implorarat, sanato, fuerat ab eo agnitus praesentibus Pharisaeis, cumque dixisset, se in id venisse in mundum, ut caeci viderent, calumniandi praetextum venantes Pharisaei quaesierunt ex eo num et ipsi caeci essent. Qui respondit, si caeci essetis, idest si velut iste caecus natus, cum caeci sitis, caecitatem vestram agnosceretis, atque adeo ad eum qui potest lumen praebere, confugeretis, peccatum non haberetis, quia ut a caeco nato caecitas corporis, ita etiam ex animis vestris caecitas depelleretur, nunc autem dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet: scilicet quia tametsi caeci estis caecitatem vestram non cognoscitis, in hac vestra caecitate et peccato manetis; erant ergo Pharisaei revera caeci, et solum dicuntur opinione sua non caeci, quod caecitatem suam non agnoscerent, et tamen propter istam caecitatem quam non agnoscebant, peccatum ipsorum manebat, eratque peccatum eorum illa ipsa non agnita caecitas, qua nimirum in Christum filium Dei, servatoremque suum non videbant; ergo incogi-

tantia de malitia peccati et offensa Dei, non eum excusare valet, qui culpa sua caecus est, nec ullum habet de sui actus pravitate suspicionem. Hinc merito S. Augustinus hunc locum ita interpretatur: « si caeci essetis, id est si vos caecos adverteretis . . . . . et ad medicum curretis, non haberetis peccatum ».

Obj. Apostolus ad Rom. 5. usque ad legem peccatum erat in mundo, sed peccatum non imputabatur, quum lex non esset: ergo ubi non est lex, et consequenter notitia peccati, quae est per legem, peccatum non imputatur.

R. Hunc locum adversariis potius adversari, nam fatetur Apostolus usque ad legem, peccatum fuisse in mundo, et peccatum quidem Theologicum. Nam propter peccatum quod viguit ante legem, homines fuisse damnationi obnoxios in ipso hoc capite, et in tota ea epistola saepius contestatur Apostolus. Peccatum ergo non imputabatur ante legem, idest non agnoscebatur, quia ut ipsemet ait cap. 7. peccatum non cognovi nisi per legem: et tamen haec ignoratio peccati non excusabat a damnatione, et solum poterat facere minus peccatum in his qui non ex affectata, sed ex crassa tantum ignoratione peccabant. Stat ergo peccatum esse posse cum ignorantia peccati, nec proinde requiri ad peccatum praesentem aut malitiae, aut offensae Dei animadversionem.

2. Mihi videtur etiam dici posse, Apostolum hoc loco sermonem habere de peccato originali, quod expressius per legem manifestatum est praecepto ipso non concupiscendi; dum jubemur enim non concupiscere, idest concupiscentiae non consentire, declaratur vitium concupiscentiae, quae est effectus, et veluti materiale ipsum peccati originalis. Et sane vers. 12. loquitur Apostolus de peccato quod per unum hominem in hunc mundum intravit, et per quod peccatum mors in omnes petransiit. Tum sequitur vers. 13. continens locum allatum, *usque ad legem peccatum erat in mundo*, cui versu proxime sequenti haec verba nectuntur. « Sed regnavit etiam « mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos, qui non « peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est « forma futuri; sed non sicut delictum, ita et donum ». Sensus ergo hic esse videtur de originali peccato, quo omnes in Adam peccaverunt, peccatum in mundum intrasse, quo peccatores sunt quicumque ex Adam nascuntur, et in mortis reatum, et damnationem incurrunt.

Hoc peccatum non fuisse imputatum, hoc est non agnitum ante legem, nec adeo expresse significatum, nihilominus mortem per id peccatum inductam regnasse ad Adam usque ad Moysem in eos, qui nullo se actuali peccato contaminassent, scilicet non peccassent in similitudinem praevaricationis Adae, quales sunt infantes.

Obj. 4. Augustinus lib. 3. de lib. arb. cap. 19. ait: « Peccatum quod proprie vocatur peccatum, libera voluntate a sciente committitur ». Ergo ad peccatum proprie dictum requiritur scientia, sive cognitio.

R. Ex Augustini mente ad peccatum requiri scientiam, seu cognitionem, quae opponitur ignorantiae prorsus involuntariae, non autem quae opponitur ignorantiae culpabili, hoc est directe, vel indirecte voluntariae. Sic enim Augustinus ipse lib. 1. retract. cap. 15. mentem suam explicat: « Quia voluit, ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, « nesciens peccatum esse quod fecit; ita nec tale peccatum « sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum fuit, hoc enim factum « est, quod fieri non debuit ».

Obj. D. Th. quodlib. 3. art. 8. scribit: cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum.

R. Eum non facere voluntarie peccatum voluntario directo, et explicito, sed voluntario indirecto, implicito, et interpretativo. Hoc autem sufficit ad peccatum proprie dictum, ut constat ex principiis S. Thomae, qui constanter docet peccata esse, quae ex ignorantia culpabili committuntur.

Obj. 5. Animadversionem malitiae illi prorsus esse impossibilem, cujus mentem nulla unquam subiit suspicio, vel cogitatio hujus malitiae, nam non potest intellectus actu aliquid considerare, nisi ad eam considerationem applicetur a voluntate, nec voluntas jubere potest eam considerationem, nisi aliqua jam rei considerandae cognitio praeluxerit.

R. Hoc argumentum fallaciae plenum opportunis distinctionibus facile dissolvitur. 1. Si animadversio sit absolute impossibilis, nullum est peccatum, ut in eo qui distractione prorsus involuntaria impeditus non attendit ea quae facere debet.

2. Ut animadversio et consideratio sit possibilis, non

requiritur quod rei considerandae explicita cognitio praeluxerit, sed solum implicita, ad eum modum, quo conclusiones continentur in principiis. Secus nunquam applicare se posset animus ad eruendas e notis principiis conclusiones ignotas.

3. Ut ergo incogitantia de Deo et actionis malitia in eo, qui sive Deum, sive malitiam actionis ignorat, sit possibilis, voluntaria, et culpabilis, satis est, ipsum potuisse, ac debuisse ex universitatis aspectu moveri ad investigandum ejus conditorem, et ex sensu omnibus ingenito aequi et boni, atque ex ipsa humanarum actionum comparatione, malitiam alicujus actus, velut furti, deprehendere. Quocirca tametsi nulla unquam praecesserit cognitio explicita malitiae furti, vel offensae Dei, quae furtum comitatur, non tamen defuit quod requirebatur, ut animus advertere posset, si voluisset, in furto malitiam peccati, et offensam Dei, quia praecesserunt principia generalia, quibus moveri potest, et deduci ad notitiam, ideoque ad animadversionem malitiae, et Dei offensae in furto.

CAPUT III.

De Consensu, et morosa delectatione.

Consensum dico acquiescentiam voluntatis in aliquo rationis judicio, quae definitio colligitur ex doctrina D. Th. de consensu 1. 2. q. 14. art. 1. Multiplex afferri solet divisio consensus. Contrahi tamen possunt istae divisiones, atque ad pauca capita revocari.

Cum enim animum subit rei malae cogitatio, ex eaque delectationis motus quidam suboritur; haec delectatio vel cadit in rem ipsam malam cogitatam, vel in ipsam tantumodo cogitationem, seu cognitionem rei malae. Velut qui revolvit animo, quae a Theologis disputantur de peccatis, delectari potest vel ab ipsis peccatis, vel de cognitione et scientia, quam acquirit circa peccata, ita ut objectum proximum delectationis non sit ipsum peccatum, sed cognitio peccati. Ita D. Th. hac q. art. 8.

Rursum consensus in rem illicitam, vel delectationem de re illicita, alius est positivus, quo animus positivo judicio eam approbat, fovetque, alius negativus, quo experiens ani-

mus eam delectationem, eamque advertans, non eam comprimit, vel rejicit. Item consensus alius est efficax, quo quis cogitans de re illicita, eam perducere ad effectum intendit: alius inefficax, quo ita delectatur de re illicita, ut tamen non intendat eam ad actum reducere. Denique consensus, alius absolutus, cum quis absolute vult rem malam, alius conditionatus, cum quis animo est ita dispositus, ut rem malam vellet nisi esset prohibita, ut si quis beneficium emere cuperet, nisi hoc lege prohibitum esset. Delectatio de re illicita, quam in se animus advertit, in eaque moratur, nec curat eam depellere, tametsi non intendat rem cogitatam illicitam ad actum perducere, dicitur delectatio morosa, ut habetur ex D. Th. hac q. art. 6. qui in responsione ad 3. animadvertit, eam delectationem non dici morosam ex mora temporis, seu diuturnitate, sed quod ratio deliberans circa eam immoratur. Idque sane aptissime etiam ille dicitur in mora, per quem stat ne officio suo fungatur. Statim autem atque deliberans ratio delectationem hujusmodi advertit, nec eam curat repellere, per ipsam rationem stat ne officio suo in illa repellenda delectatione fungatur. Idque S. Doctor auctoritate confirmat Augustini lib. 12. de Trin. qui cap. 12. delectationem morosam et perspicue definit, et peccatum esse declarat his verbis. « Nec sane cum sola cogitatione mens « oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, « tenens tamen, et volvens libenter, quae statim ut attigerunt animum, respui debuerant, negandum est esse peccatum ». Asseritque subinde: Damnandum esse hominem, nisi haec, quae sine voluntate operandi, sed cum voluntate animum oblectandi solum cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.

PROPOSITIO I.

Delectatio, et consensus in delectationem, quae oritur non ex re illicita cogitata, sed ex scientia et cognitione rei illicitae, non est mala, sed potius bona ex sese; quandoque tamen peccatum fieri potest non solum veniale, sed et mortale.

Pr. 6. Delectatio de cogitatione rei illicitae habet ipsam illicitam rei cognitionem pro objecto; sed illicitae rei cogni-

tio non est mala, nec illicita. Ergo delectatio quae ex ea oritur, non est mala, nec malus proinde consensus in eam delectationem; quin potius omnis cognitio veritatis etiam de re illicita per se bona est; hinc si propter finem honestum, et laudabilem de rebus turpibus cogitatio habeatur, ut rectores animarum, et medici, qui res turpes quandoque animo revolvere opus habent, ut officio suo fungantur, rite talis cogitatio non solum ex sese culpa omni vacabit, sed etiam honesta erit, et laudabilis, simulque honesta et laudabilis delectatio, quae percipitur ex cognitione necessaria vel utili ad proprium statum.

2. Si tamen hujusmodi cogitatio nulla necessaria, vel justa caussa susciperetur, sed per inanem curiositatem, esset illa venialis culpa, siquidem animum inutilibus cogitationibus detinere, peccatum veniale est.

3. Si propterea talis cogitatio vel susciperetur propter malum finem, vel ex ea immineret periculum consensus de ipsa re illicita cogitata mortaliter mala, esset peccatum mortale, ut ex communibus principiis manifeste colligitur. Hinc si quis etiam ad bonum finem in rerum turpium studium incumbit, peccat lethaliter, si ex eo periculum sibi proximum imminere intelligit consensus in res turpes. Sed haec, ut patet, dijudicari debent ex regulis, quae de occasione proxima peccandi traduntur.

PROPOSITIO II.

Consensus omnis, etiam inefficax in delectationem de re illicita cogitata, omnisque proinde morosa de re illicita delectatio est illicita.

Prob. Auctoritate superius allata D. Augustini, tum ratione D. Th. hac q. art. 8. Quod enim, inquit S. Doctor, aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipso actu cogitato, hoc contingit ex hoc, quod affectio ejus est inclinata ad hunc actum. Nullus enim delectatur, nisi in eo quod est conforme appetitui ejus. Atqui quod aliquis eam delectationem eligat, quod affectus suus conformetur his, quae secundum se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. Ergo etc.

Equidem nonnulli Theologi censent, consensum me-

rum negativum de re mortaliter, mala non esse peccatum mortale, secluso periculo positivi consensus, hunc autem consensum negativum dicunt, quo voluntas post animadversionem delectationis suspensa manet, nec consentiens, nec dissentiens.

Sed haec opinio adversari videtur Augustino, qui ad peccatum morosae delectationis hoc tantum requirit, ut voluntas non respuat, quae respui debuerunt, statim ac attigerunt animum, aitque propter id nisi remittatur, hominem damnandum. Tum etiam refellitur eadem opinio argumento D. Th. hac q. art. 6. ubi peccatum esse in ratione demonstrat, cum ratio deficit in directione interiorum vel exteriorum motuum. Dupliciter autem deficere quoad interiores motus ostendit, vel provocando positive illicitas passiones, vel motus irae, et concupiscentiae, vel quando tantum non reprimit, et secundum hoc dicit peccatum delectationis morosae esse in ratione.

Alii Theologi, et quidem graves allatam opinionem reprobant quidem hac cum exceptione: *Nisi subest justa caussa*, velut in sacerdote confessiones excipiente, in chirurgo abditas corporis partes medente, secluso tamen semper periculo ulterioris consensus.

Verum ista exceptio non mihi videtur satis opportune adhiberi; vel enim loquuntur de interna tantum delectatione, vel de externo opere, in quod Confessarius, et chirurgus dum incumbunt, nequeunt insurgentem ex eo delectationis motum penitus repellere. Si de ipsa interna delectatione, quaero, an hujus delectationis motus displiceat rationi superiori necne; adeo ut ratio superior huic obsistat, eamque invita patiatur. Si voluntas ei nullo modo obsistit, nec ei displicet, nec invita patitur, profecto ex Augustino, et Thoma constat, ibi esse peccatum morosae delectationis. Quid enim facit aliud voluntas, quam morari circa eam delectationem, cui nullo pacto dissentit, quae sibi non displicet, quam non invita experitur? Si vero obsistit interius, si displicet, si patitur invita, non amplius est consensus mere negativus, sed positivus dissensus.

Si loquuntur de actu externo, verissime docent illi Theologi, non teneri quempiam dimittere actum vel bonum, vel licitum, propter insurgentem ex eo delectationem, quae penitus non poterit depelli, si subest justa caussa ejus actus faciendi, et abest periculum ulterioris consensus; sed hoc non

amplius pertinet ad judicium de morosa delectatione, sed potius de occasione proxima peccandi.

Quaeritur porro, utrum liceat delectari de actu malo inculpabiliter admisso.

R. Nunquam licitum est delectationem capere de re et actu malo, adeo ut delectatio feratur in actum malum, vel rem ipsam malam, et illicitam; ratio est, quia omnis actio, et consequenter delectatio speciem sumit ex objecto. Ergo si delectatio deliberata feratur in aliquod malum velut objectum, erit mala. Constat etiam propositione 15. damnata ab Innocentio XI. « Licitum est filio gaudere de parricidio a se in « ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hae- « reditate consecutas ».

Damnata est etiam ab Innocentio XI propositio 14. quae ait: « Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, « non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, « quia nimirum obventura est ei pinguis haereditas ».

Unde conficitur, peccatum esse desiderium rei malae, tametsi cupiatur non ut est malum aliquod, sed ut est bona cupienti. Quod autem dicitur de desiderio, valet etiam de delectatione. Nam desiderium est affectus in bonum consideratum ut praesens; affectus ergo, seu amor, et inclinatio voluntatis, cum eadem sit in desiderio atque in delectatione, profecto si in illo perversa est, in ista quoque pravam esse necesse est.

R. 2. Cum actus malus et inculpate admissus recogitatur, licitum est laetari, quod nulla in eo culpa intervenerit. Nam quod nulla culpa fuerit, id vere bonum est: propter eamdem rationem, si ex actu, vel re de qua directe delectari non licet, bonus aliquis effectus provenit, licet ex illo effectu secundum se spectato laetitiam capere. Aliud enim est laetari de morte alicujus propter haereditatem inde obvenientem, quod sane non licet; aliud laetari de ipsa haereditate, prout jam obvenit, vel spe percipitur. Nam haec haereditas non habet malum morale adjunctum; similiter licitum est laetari de alleviatione naturae, et aestuantis cupiditatis imminutione, quae ex inculpata prorsus seminis decisione contigit.

Quaeritur insuper, quid sit sentiendum de consensu, vel desiderio conditionato, ut in eo qui cuperet rem illicitam ag-

gredi, nisi aut lege, aut voto, ut alia quavis consideratione impediretur.

Tres in hanc rem afferri solent generales regulae. 1. Si conditione apposita penitus tollit malitiam actionis, nullum est in eo conditionato desiderio peccatum. Non peccat adeo qui hunc actum elicit: vellem hac die jentaculum sumere, nisi indictum esset jejunium. Si vero conditio non penitus tollat malitiam actionis, peccatum in eo desiderio manet, ut patet in eo qui sic diceret: Vellem fornicari, nisi essem voto castitatis obscrictus, nam etiamsi nullum esset votum, adhuc ei illicita esset fornicatio.

Altera est, si desiderium, quo quis vellet ex. gr. fornicari nisi esset fornicatio illicita, excludit quidem voluntatem fornicationis faciendae, non autem affectum, et complacentiam circa ipsam, tum profecto illud inefficax, et conditionatum desiderium peccatum est. Siquidem in eo desiderio vera inest delectatio morosa, ut liquet ex dictis.

Tertia in his quae sunt prohibita, quia intrinsece mala, si quis cuperat ea licita esse, vel non prohibita, et mala, illius futurum esset perversum desiderium, atque peccatum. Quippe illa sunt mala, quia natura sua repugnant ordini divinae sapientiae. Ergo cupere illa non esse mala, idem est atque cupere perversionem ordinis divinae sapientiae; sed eam perversionem cupere, est sane cupere rem omnino malam: igitur malum est, ac perversum ejusmodi desiderium.

QUAESTIO V.

De effectis peccati.

Effectus peccati ad haec tria capita revocantur a D. Th. 1. 2. q. 85. Ad imminutionem boni naturae, ad maculam animae, ad reatum poenae, de quibus jam agendum, sed paucis pro brevitate temporis.

CAPUT I.

De imminutione boni naturae.

Bonum humanae naturae triplex distingui posse docet S. Th. q. cit. art. 1. « Primo principia ipsa naturalia quibus

natura humana constat, et constituitur, simulque proprietates inde manantes. Secundo, inclinatio quae ex ipsa natura humana, utpote rationis participe naturaliter exoritur ad bonum rationi consonum, seu honestum, nimirum inclinatio ad virtutem. Tertio, potest dici, ait S. Doctor, bonum naturae donum originalis justitiae, quod fuit in primo homine collatum toti humanae naturae. « Non autem quod sit naturalis conditio ejusdem, ut perperam Bajus pronunciavit. Ex his tribus bonorum generibus postremum peccato primi parentis penitus ablatum fuisse constat: Primum nullo peccato tolli, vel imminui: Secundum vero quolibet peccato imminui, nam quolibet humano actu fit inclinatio quaedam ad similes actus; cum autem ex una parte peccatum sit virtuti contrarium, ex alia parte quantum quis inclinatur in unum contrarium, tantumdem ejus inclinatio erga aliud imminuatur, consequens fit, ut quolibet actu peccati imminuatur inclinatio ad virtutem.

Atque hinc intelligi commode potest, quemadmodum natura humana per peccatum affecta sit quatuor illis ingentibus vulneribus, nimirum ignorantia, malitia, infirmitate, et concupiscentia: sunt enim in homine quatuor vires praecipuae in quibus virtutes veluti in proprio subjecto insidere possunt; scilicet ratio quae prudentia perficitur, voluntas quae justitia, appetitus irascens qui fortitudine, concupiscens qui temperantia ornatur. Jam vero per peccatum primi parentis sublata est justitia originalis, qua vires istae debito ordine continebantur, vulnus autem naturae dicitur haec ordinis destitutio, quo vires istae tendunt ad virtutem. Itaque quatenus ratio destituta ex ordine suo ad verum, vulnus inflictum est ignorantiae. Quatenus voluntas destituta est ordine suo ad bonum, vulnus malitiae; et similiter vulnus infirmitatis ex eo quod irascibilis ordine suo destituitur ad arduum; vulnus tandem concupiscentiae ex defectu ordinis appetitus concupiscentis ad bonum delectabile ratione moderatum. Atque haec quidem vulnera quae primum per peccatum originale inflicta sunt, ex singulis etiam peccatis actualibus consequuntur, ac velut exasperantur, quatenus nimirum quolibet peccato et obcaecatur ratio in agendis, et voluntas obdurescit adversus bonum, et difficultas augetur bene agendi, et concupiscentia magis exardescit. Huc etiam referuntur, velut effecta peccati, mors ipsa, et alii defectus corporales. Nam ut ait Apostolus

ad Rom. 5. « Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors »; quod luculenter explicat S. Th. hac eadem q. art. 5. Scilicet originali justitia quae in primo homine collata fuerat toti humanae naturae, non solum inferiores animae vires sub ratione continebantur absque ulla perversione, verum etiam totum corpus ipsum sub anima continebatur absque ullo defectu. Sublata proinde peccato primi parentis originali justitia, quemadmodum vulnerata est humanà natura quod attinet ad animam perversione potentiarum, si etiam corruptioni obnoxia effecta est deordinatione corporis. Cum igitur originalis justitiae subtractio habeat rationem poenae; hinc mors et defectus corporales poenae sunt, et effectus proinde peccati originalis.

Prima difficultas autem, quae ducitur ex aequalitate requisita inter caussam et effectum, ut evincatur, defectus corporales non esse orignalis peccati effectus, quandoquidem defectus corporales non sunt in omnibus hominibus aequales, tametsi aequale sit in omnibus peccatum originale, prima haec, inquam, difficultas nullius est momenti. Nam haec aequalitas valet quidem in caussis, quae dicuntur per se, non in his quae agunt per modum removentis prohibens, ut loquuntur scholae; peccatum autem originale induxit mortem, et defectus corporales, non ut caussa per se, sed quatenus removit justitiam originalem, qua prohibebantur. Non est autem necesse, ut aequales sint effectus, qui remoto prohibente consequuntur, velut si quis eodem ictu duas columnas removeat, quibus duo corpora gravitate disparia continentur, certe quod erit gravius majore impetu decidet, sic etiam natura humana velut relicta sibi subtractione originalis justitiae, pro diversitate temperiei in diversis hominibus, pluribus aut paucioribus defectibus est obnoxia.

Obj. 2. Remota caussa removetur effectus; atqui deleto per baptismum, vel poenitentiam peccato, non propterea mors, et alii corporis defectus, et infirmitates expelluntur. Non igitur sunt effecta peccati.

R. Praeterquamquod axioma illud minime referri potest ad eas caussas, quae agunt per modum removentis prohibens, egregie advertit S. Th., cujus virtute removetur ipsa culpa, sive originalis, sive actualis, futurum etiam ut illi defectus quoque removeantur, quippe ait Apostolus ad Rom.

8. *Vivificabit corpora vestra per inhabitantem spiritum ejus in vobis.* Verum utrumque ex divinae sapientiae ordine congruo tempore praestatur. Nam cum nos oportet conformari passionibus Christi, ut perveniamus ad immortalitatem, et impassibilitatem gloriae quae est in Christo inchoata, et per Christum nobis acquisita, consequens est ut patiendi conditio ad tempus in nobis resideat, antequam immortalitate donemur.

Obj. 3. Majoris culpae ratio se prodit in peccato actuali, quam in originali; atque tamen actuale peccatum non afficit naturam corporis aliquo defectu, ergo multo minus peccatum originale, ideoque mors, et alii defectus minime censenda sunt effecta peccati.

R. D. Th. Quod actuale peccatum ratione culpae privat gratia, quae homini tribuitur ad regendos animae actus, non ad cohibendos corporis defectus, ut ipsa cohibebantur originali justitia; quamvis ergo major sit ratio culpae in actuali, quam originali peccato, patet quemadmodum originali peccati culpam consecuta sit pernicies corporis propter ejus justitiae remotionem, non autem ex actuali peccato eadem se corporalium pravitatum copia effundat. Praeterqnamquod et ipse actus peccati ex sese quandoque perniciem affert, ut in iis cernitur, quos intemperantia occidit, et saepe etiam in hac vita peccatores poenas dare incipiunt divinae justitiae suae improbitatis, et nequitiae.

CAPUT II.

De Macula peccati.

Duo sunt hic disputanda. 1. Utrum actus peccati maculam relinquat in anima. 2. In quo consistat ejusmodi macula. Quod attinet ad primum Lutherani et Calvinistae nullam peccato maculam induci agnoscunt, ut enim volunt hominem fieri justum sola imputatione justitiae Christi, sic etiam opinantur hominem sola imputatione peccati peccatorem constitui, ita ut post actum nil remaneat intrinsece vitiatum, cui principio consentit eorum doctrina de justificatione: contra quos nobis est catholica doctrina propugnanda, quae ex peccato actuali aliquid in anima relinqui profitetur, quo peccator inquinatur, quodque macula peccati, et peccatum habituale communiter dicitur.

PROPOSITIO I.

Peccatum actuale revera producit maculam in anima.

Pr. Multis sacr. Litterarum testimoniis, quibus expresse significatur, peccatis homines inquinari, opusque habere ut peccati sordibus mundentur, quae animae adhaerescunt, eamdemque contaminant. Sic Ezechiel 36. „ Effundam super vos „ aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamen- „ tis vestris. „ Isai. 4. „ Si abluerit Dominus sordes filiarum „ Sion „. Jerem. 2. „ Maculata es in iniquitate tua coram „ me, dicit Dominus. „ Apostolus ad Titum 1. „ Inquinatae „ sunt eorum et mens et conscientia. „ Hinc conc. trident. sess. 2. can. 2. Pronunciat Adam inquinatum per inobedientiae peccatum. Can. 4. Parvulos in remissionem peccatorum veraciter baptizari, nimirum ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Ex quo intelligitur contractum generatione peccatum velut maculam parvulis inhaerere. Can. 5. Anathemate percellit eos qui asserunt, baptismo non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud, tantum radi, aut non imputari. Ex quo etiam intelligitur, aliquam esse peccati maculam, quae vere tolli debet per baptismum.

Quod porro pertinent ad alterum caput disputationis, nimirum in quo sita sit macula peccati, non una est doctorum sententia. Scotus fertur eam constituere in reatu poenae, vel in ordinatione passiva ad poenam propter peccatum commissum. Vasquez in denominatione quadam extrinseca proveniente ex peccato praeterito moraliter perseverante, quia non retractato. Alii in quodam habitu quo anima post peccatum conversa manet ad bonum commutabile. D. Thomas denique ipsam constituit in privatione nitoris animae, considerata prout refertur ad peccatum, a quo est illa privatio inducta: nitorem porro intelligit qui oritur in anima ex praesentia luminis naturalis rationis tum maxime qui fulget ex divino lumine sapientiae et gratiae, ejusque nitoris detrimentum maculam animae metaphorice vocari pronunciat.

PROPOSITIO II.

Peccati macula non in reatu poenae, non in aliqua denominatione extrinseca, non in habitu positivo, sed in privatione nitoris animae, prout refertur ad peccatum unde est inducta, videtur esse cum D. Thoma constituenda.

Pr. Quoad primam partem. Nam obligatio ad poenam consequitur ipsam peccati maculam; non enim ideo est quis peccati macula contaminatus, quia tenetur poenam luere, sed potius luere poenam tenetur, quia est peccato maculatus: ergo macula natura ipsa antecedit reatum, seu obligationem ad poenam. Non ergo in reatu consistit. Quare luculenter D. Th. in 2. dist. 42. « Macula, inquit, est medium inter actum peccati et reatum; quasi effectus actus, et fundamentum reatus ».

Evincitur idem firmissime ex damnatis propositionibus Baji 56. « In peccato duo sunt: actus et reatus, transeunte autem actu, nihil remanet nisi reatus, sive obligatio ad poenam. Et 57. in Sacramento Baptismi, aut in sacerdotis absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu ».

Pr. Quod alteram partem efficacissima ratione ducta ex originali peccato. Nam peccatum originale in Adae posteris dici nequit ipsummet Adae peccatum, ut moraliter perseverans, et extrinsece denominans; siquidem originali peccato constituuntur homines intrinsece peccatores nec solum extriusece tales denominantur. Ergo etiam peccatum actuale praeteritum, et moraliter perseverans non valet hominem constituere habitualiter peccatorem, sed aliquid praeterea intrinsecum requiritur, quo formaliter injustus dicatur, quodque in ipso Deus abominetur. Et sane ut homo justus dicatur, non satis est actualis justitia, sive actus meritorius praeteritus moraliter perseverans, sed requiritur ipsa justia habitualis, qua ut docet Tridentinum sess. 6. c. 7. *Non modo reputemur, sed vere justi nominemur, et simus, justitiam in nobis recipientes.* Ergo ut homo dicatur vere peccator, nec solum putetur talis, haud sufficit actuale peccatum praeteritum moraliter perseverans, verum insuper labes aliqua requiritur pec-

cato ipso animae inusta, ei adhaerens, eamque contaminans.

Pr. Quoad tertiam partem ratione D. Th. in 4. dist. 18. q. 1. art. 2. « Macula peccati sine gratia non aufertur. Po« test autem dispositio et habitus manans ex aliquo peccato « destrui sine gratia per contrariam consuetudinem, ut pa« tet in eo, qui semel admisso peccato prodigalitatis letha« li, sese deinceps totum avaritiae tradiderit, in hoc manet « sane macula pristinae prodigalitatis, tametsi omnis ad pro« digalitatem dispositio, superveniente avaritia, deleta pe« nitus fuerit ».

Pr. Denique sententia D. Th., quia nil aptius, aut planius ea proponi potest ad intelligentiam ejus maculae quam sacris litteris docemus animae ex peccato inhaerescere. Nam, ut ipsemet suam sententiam explicat q. 86. art. 1. macula dicitur in corporibus, quando corpus nitidum perdit ex alterius corporis contactu nitorem suum. Est autem tactus quasi quidam animae, quo per amorem rebus ipsa aliquibus inhaeret. Illis autem peccando sic inhaeret, ut recedat a lumine sapientiae et gratiae. Ex quo fit, ut splendorem suum, et nitorem amittat, cujus privatio proinde merito macula nuncupatur. Et sane quemadmodum corpus quod ex praesentia lucis lucidum nuncupatur, propter ejus absentiam dicitur tenebricosum; sic etiam quum homo per gratiam sanctificantem dicatur justus, consequens est, ut per ejusdem absentiam peccator sit, ac denominetur.

Obj. 1. Si macula consisteret in privatione gratiae sanctificantis, inducta semel per unum peccatum hac privatione, peccata subsequentia nullam amplius maculam possent imprimere. Atqui hoc est falsum. Deinde peccata omnia tametsi specie diversa, unam tantum specie maculam inducerent, ipsam videlicet gratiae sanctificantis privationem.

R. D. Th. „ Macula non significat privationem solam, „ sed significat privationem quamdam nitoris animae in or„ dine ad suam caussam, quae est peccatum, et ideo diversa „ peccata diversas maculas inducunt. „ Quod expressius exponit in 2. dist. 42. qu. 1. art. 2. ad 4. „ Quamvis quolibet actu peccati mortalis quaelibet virtus privetur, non ta„ men eodem modo, sed actu luxuriae castitas per se pri„ vatur, et aliae virtutes ex consequenti secundum quod sunt „ castitate adnexae . . . . ideo non oportet quod omnium

" peccatorum sit una macula ". Et in 4. dist. 18. q. 1. art. 2. q. 1. ad 1. " Quamvis quantum ad ipsam privationem " gratia non differant maculae peccatorum, tamen differunt " quantum ad caussam, ex qua macula consequitur. Et se- " cundum hoc etiam quodlibet peccatum unam maculam ad- " dit, in quantum novum obstaculum gratiae ponit ".

Obj. 2. Ita se habet macula ad peccatum in sententia D. Th., ut se habet umbra ad corpus; sed remoto corpore unde umbra spargitur, ipsa quoque umbra dispellitur. Ergo transacto actu peccati, nulla amplius ex eo macula superesset, eo vel maxime quod remota caussa removetur effectus. Ergo remoto actu peccati, qui actus est caussa maculae, macula nequit ipsa consistere.

R. At vero praeclare docet S. Th., disparem esse rationem umbrae corporis, et maculae, qua inficitur anima, quod attinet ad durationem, nam quod versatur in umbra propter interjectum aliquid opacum, hoc recedente statim illustratur quia est aliunde in debita propinquitate et situ relate ad corpus illuminans. At vero transeunte actu peccati, non propterea reperitur anima in eadem erga Deum habitudine, qua erat ante peccatum; nam actu peccati fit recessus a Deo, quemadmodum ex motu locali sequitur distantia localis. Unde quemadmodum cessante motu locali, non tollitur distantia localis, ita etiam cessante actu peccati, non tollitur ille recessus a Deo, quem recessum sequitur privatio nitoris seu macula. Ex quo etiam patet, remota caussa non semper effectum removeri, sed tum solum, cum effectus a caussa pendet, non tantum ut sit, verum etiam ut conservetur.

Obj. 3. Si macula peccati consisteret in privatione gratiae sanctificantis, peccatum veniale nullam induceret maculam: sequeretur etiam in statu purae naturae, in quo nulla fuisset gratia sanctificans, nullam quoque futuram fuisse maculam peccati.

R. Revera peccati venialis maculam non ejusdem esse generis, et ordinis quo macula peccati mortalis. Neque enim peccato veniali simpliciter, et absolute maculatus esse dicitur. Tamen peccatum veniale aliquo modo maculam inurere dici potest, quatenus minuit fervorem caritatis, vel actus ejus praepedit. Ad alterum: Quum D. Th. maculam repetat non solum ex privatione luminis sapientiae et gratiae superna-

turalis, verum etiam ex privatione nitoris in anima fulgentis ex lumine naturalis rationis, plane intelligitur, quemadmodum in eo statu, in quo nulla esset gratia sanctificans, nihilominus locum haberet macula peccati.

CAPUT II.

De reatu poenae.

Reatus nomine intelligitur obligatio poenae propter peccatum perferendae: poena autem quum peccanti sit a superiore infligenda, duplicem respectum habet, unum ad ipsum superiorem, cujus est peccantis proterviam, et peccati malefactum poena coercere, et vindicare: alterum ad ipsum peccantem, qui suo peccato dignus poena efficitur. Ipsa erga poena, prout ad punientum refertur, et ordine justitiae continetur, non est mala, sed bona: « Ordo enim justitiae, ut ait « D. Th. q. 1. de malo art. 1. ad 1., hoc requirit ut aliquis peccans privetur bono quod appetit: sic ergo poena « ipsa est bona simpliciter. » Et ut habet D. Dionysius de Divin. Nominib. cap. 4. « Puniri non est malum, sed fieri « poena dignum ». Tametsi ergo reatus interdum sumatur pro culpa et pro poena, non est tamen cum alterutra confundendus; est enim quid medium inter utramque, culpam subsequens et ad poenam inducens. Et quidem oriri ex peccato reatum poenae, cum ratio satis ipsa per se docet, quae ostendit aequum et par esse, ut qui contra ordinem perverse insurgit, ab ordinis principe deprimatur, ipsaque adeo aequabilitas ordinis labefactata culpa, ipsius poena restituatur; tum innumerabilibus constat sacrarum litterarum testimoniis, quibus peccatores declarantur digni morte, rei gehenna ignis, iram divinam, et justitiam vindicem in se concitare. Verum de tota reatus conditione gravissimae quaestiones pertractantur a theologis, quae ad haec duo potissimum capita revocantur: Utrum peccatum mortale inducat reatum aeternae poenae; deinde utrum dimissa culpa, interdum remaneat obligatio ad poenam temporalem. Et primum quidem, quod propius ad nostrum institutum pertinet, paullo copiosius agemus. De altero, cui necteretur ipsa disputatio de purgatorio, silentium inducunt angustiae temporis.

PROPOSITIO.

Peccatum mortale inducit reatum aeternae poenae.

Propositio haec est adversus Origenem, inter cujus errores hoc etiam refertur, quod daemonum, et impiorum supplicia aeterna fore negaverit; quem errorem ferunt ipsum e Platonicis fontibus hausisse, tametsi Plato, ut vidimus in philosophia morali, conscleratos homines aeterno cruciatu puniendos constituerit: tum etiam adversus socinianos, qui ut poenarum aeternitatem tollerent, cogitare maluerunt daemones et animas, aliquando interituras.

Pr. 1. Isai. 66. « Ignis eorum non extinguetur ». Matth. 25. « Discedite a me maledicti in ignem aeternum ». Apostolus 1. ad Cor. « Iniqui regnum Dei non possidebunt ». Atque his quidem testimoniis bene perpensis, et inter se collatis, ut alia innumerabilia omittamus, recluditur origenistarum effugium, quibus placet loca scripturae, quibus aeterna supplicia dicuntur, interpretari de temporis diuturnitate, propterea quia nonnullis in locis revera sacrae litterae utuntur aeternitatis nomine ad longissimum quoddam temporis intervallum significandum. Nam primo non de tempore quamtumvis diuturno intelligi potest locus Isaiae: Nam si finem habitura aliquando essent reproborum supplicia, aliquando ignis eorum extingueretur. Atqui ex Isaia nunquam futurum est, ut ignis eorum extinguatur: Ergo etc. Unde Augustinus contra Priscillanum cap. 5. « Qualiscumque, inquit poena significata « sit nomine vermis, atque ignis, certe si non morietur, at« que extinguetur, sine fine praedicta est ». Secundo ex ipsa verbi proprietate Augustinus idem erudite loco citato evincit. « *Aion* Graece aliquando aeternum, aliquando saeculum si« gnificat; tamen quod ex hoc nomine derivatur, et appel« latur *Aionion*, nec ipsi graeci, quantum existimo, solent « intelligere, nisi id quod non habet finem ». Porro in adducto loco Matthaei graece habetur *Aionion*. Tertio inanem subtilitatem eorum, qui futurum quidem ignem aeternum concedebant, aeternam futuram combustiouem negabant, praeclare idem Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 23. convellit paritate rationis inter praemium et supplicium: Si utrum« que aeternum, profecto aut utrumque diuturnum, aut u-

« trumque sine fine perpetuum intelligi debet, par pari enim « relata sunt, hinc supplicium aeternum, inde vita aeterna. « Dicere autem in hoc uno eodemque sensu, vita aeterna « sine fine erit, supplicium aeternum finem habebit, mul- « tum absurdum est ».

Pr. 2. Constanti patrum traditione. Justinus Apolog. 2. « Cum omnium etiam qui unquam extitere, mortalium cor- « pora excitabit, atque dignos quidem induet natura corru- « ptibilitatis universae expertes, injustos autem in perpetuo « sensu una cum malis geniis in ignem mittet sempiternum. » Iren. lib. 4. adv. Haereses cap. 47. « Quibuscumque dixerit « Dominus: *Discedite a me maledicti in ignem perpetuum*, isti « erunt semper damnati. » Tertull. lib. de testimonio animae cap. 4. ait: « Animam pro meritis aut cruciatui destinari, « aut refrigerio utroque sempiterno ». Chrisost. homil. 9. in 1. ad Cor. « Non est parva, inquit, quae proponitur quae- « stio, sed et de maxime necessariis, et de iis quae quae- « runt omnes homines, an finem habeat ignis gehennae. » Tum concludit « Atque quod non habeat quidem finem et « Christus pronunciavit, et Paulus quoque id dicit, ostendens « immortale supplicium, et quod peccatores dabunt poenas exi- « tiosas, et aeternas. » Hieron. in cap. 25. Matth. « Pru- « dens lector adverte, quod et supplicia aeterna sint, et vita « perpetua, metum deinceps non habeat minarum ». Hinc etiam fuit hoc dogma quintae synodi generalis, et aliarum quae consecutae sunt, auctoritate definitum.

Pr. 3. Rationibus, et illa imprimis quae petitur ex natura perversionis, quam peccatum mortale inducit, quamque suo loco exposuimus. Cum enim peccatum mortale deordinationem efficiat vi sua, et ab intrinseco irreparabilem; manente autem deordinatione permanere necesse sit reatum poenae, sequitur, ut irreparabili perversioni adjungatur irreparabilis reatus, atque adeo reatus poenae aeternae.

Praeterea tametsi momentaneus aliquando sit actus peccati mortalis, quisquis per tale peccatum sic adhaeret bono commutabili, ut ipsum Dei charitati anteponat, certe sic ei bono adhaeret, ut ait D. Th. in 2. dist. 46. q. 1. art 5. ad 3. ut ei in aeternum adhaereret, si impune posset; voluntatem itaque habet in aeternum peccandi, ex quo consequitur, prout habet Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 44. quod qui in suo aeterno peccavit contra Deum, in aeterno Dei puniatur.

Insuper quisquis lethali se culpa contaminat, privat sese gratia, sine qua nec remitti peccatum, nec ipse resurgere potest. « Peccato porro manente, non solvitur poena, inquit « D. Th. q. 7. de malo art. 10. quia in operibus Dei ni« hil potest esse inordinatum. Et ideo sicut homo qui se in « puteum projiceret, unde per se non posset exire, quantum « in ipso est faceret, ut in perpetuum esset ibi; ita etiam « qui mortaliter peccat, quantum in ipso est, se in poenam « aeternam inducit. Jam vero cum nulla gratia sit amplius « eis conferenda, qui maculati culpa lethali migrant ex vi« ta, sequitur, ut aeternae poenae reatu constricti manere « debeant ».

Obj. 1. Postulat aequum judicium, ut poena culpae respondeat: atqui poena aeternum duratura non respondet culpae momentaneae; ergo etc. Secundo finis boni, et aequi legislatoris in poena sancienda, est ipsa emendatio delinquentis; est enim crudelis animi poena ipsa, et cruciatu delectari. Deus ergo piissimus judex in peccato mortali puniendo spectabit emendationem peccantis. Non ergo puniet poena aeterna.

R. Haec D. Th. egregie dissolvit. Nam hac q. 87. art. 5. ad 2. « Aeternitas poenae, inquit, non respondet quantitati « culpae, sed irremissibilitati ipsius ». Quod latius explicat art. 3. his vesbis: « Poena peccato proportionatur secundum « acerbitatem, tam in judicio divino, quam in humano ». Sed sicut Augustin. dicit l. 21. de civit. Dei: In nullo judicio requiritur, ut poena adaequetur culpae secundum durationem, non enim quia adulterium, vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea poena punitur, sed quandoque quidem perpetuo carcere, vel exilio, quandoque etiam morte, in qua non consideratur occisionis mora, sed potius quod in perpetuum auferatur a societate viventium, et sic repraesentat suo modo aeternitatem poenae inflictae divinitus. Ad alterum respondet in propositione ad secundum, quod poena, quae etiam secundum leges humanas infligitur, non semper medicinalis est ei qui punitur, sed solum aliis: sicut quum latro suspenditur, non ut ipse emendetur, sed propter alios, ut saltem metu poenae peccare desistant, secundum illud prov. 19. « Pestilente flagellato, stultus sapien« tior erit ». Sic igitur et aeternae poenae reproborum a Deo inflictae, medicinales sunt his, qui consideratione poenarum

abstinent a peccatis, secundum illud psalmi 59. « Dedisti « metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus ». Neque vero ex hoc sequitur, Deum velle poenam propter poenam, atque in reproborum cruciatu propter ipsum cruciatum delectari; sed ut ait S. Th. in 2. dist. 49. art 5. ad 2. *Deus delectatur in ordine justitiae suae, cujus pulchritudo apparet in perpetua poena perpetuae culpae.* Conferenda sunt etiam quae habet S. Doctor lib. 3. contra gentes cap. 144.

Obj. 2. Apostolus omnes indiscriminatim pronunciat salvos futurós « Sic tamen quasi per ignem » 1. ad Cor. cap. 3. Marci ultimo: « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, sal« vus erit. » Jo. 6. „ Qui manducat meam carnem, et bi„ bit meum sanguinem, habet vitam aeternam „. Quo etiam pertinent illud Lucae 12. „ Non exies inde donec etiam no„ vissimum minutum reddas „; ex quo sequitur, peccatores postquam constitutam poenam persolverint, fore aliquando liberandos. Item objiciunt ea loca, quae docent inter gravitatem culpae et poenae rationem servandam, ut Apocalips. 18. „ Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date „ illi tormentum et lucrum „. Non servaretur autem haec proportio, si futurae essent poenae reproborum aeternae. Item ea quibus divina misericordia finem suppliciis allatura innuitur, ut psalmo 109. „ Non in perpetuum irascetur, neque „ in aeternum comminabitur „. Addunt ea quae mortem et perditionem peccatoribus denunciant, quibus mirum in modum abutuntur Sociniani, ut adstruant, animas tandem aliquando in inferorum cruciatibus interituras.

Responsio expedita est ad singula capita. Primo non de omnibus indiscriminatim pronunciat Apostolus, salvos futuros quasi per ignem, sed de iis qui super fundamentum aedificant foenum et stipulam: de iis ergo loquitur, qui in fundamento, idest in Christi charitate manentes, levia peccata committunt, ut explicavimus ubi de peccato mortali et veniali: valet ergo hic locus ad astruendum purgatorium, non ad convellendam aeternitatem poenae peccato mortali debitae. In eumdem sensum est intelligendus locus ex cap. 21. Lucae prolatus. Ex locis Marci, et Joannis eruitur, salvos fideles futuros, quorum fides viva fuerit, et qui Christi participes effecti, in ejus corporis unitate manserint, gratia, et charitate ipsi conjuncti. Secundo Apocalypsis loco eruitur, in-

ter gravitatem culpae, et poenae talem quidem futuram proportionem ut acerbius puniatur qui gravius peccaverit, non ut poenae diuturnitas respondere culpae quantitati debeat, prout superius explicatum est. Tertio psalm. 109. commendatur divinae misericordiae indulgentia erga eos, qui poenitentia ducti revertuntur ad ipsum Deum. Quarto notum est in sacris litteris tormenta, et cruciatus nomine mortis, et perditionis frequenter designari.

Obj. 3. Hieron. in cap. 66. Isaiae refert eorum sententiam: *Qui volunt supplicia aliquando finiri*, nec eam refellit, sed potius multa profert sacrarum litterarum testimonia, quibus confirmari posse videtur. In epistolam vero ad Galatas disertis verbis pronunciat: *Nullam hationabilium creaturarum apud Deum perire in perpetuum.* Secundo expressius etiam in dialogo 1. adversus Pelagianos: « Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, et diabolo tribuit poenitentiam: quid ad nos, qui et diabolum et satellites ejus, omnesque impios, et praevaricatores dicimus perire perpetuo, et christianos si in peccato praeventi fuerint salvandos esse post poenas? » Tertio in commentariis in cap. 1. Nahum docere videtur fidelem, qui deprehensus in adulterio decollatur, aeternos evadere cruciatus, subditque: « Si quis autem punitus sit, ut ille in lege, qui Israelitis maledixerat, et qui in sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri, quia culpa levis praesenti supplicio compensata est ».

Ad triplex hoc genus testimoniorum, quae petuntur ex Hieron. triplici quoque via est occurrendum. Primam aperit Hieronymus ipse, cui cum Ruffinus exprobrasset, quod in Commentariis in Epistolam ad Ephesios de futuris cruciatibus Origeni consentiret, sic respondet apolog. 1. ad Ruffinum; « Ego in commentariis ad Ephesios sic Origenem, et Didimum, et Apollinarium secutus sum, qui certe contraria inter se habent dogmata, ut fidei meae non amitterem veritatem. Commentaria quid operis habent? alterius dicta edisserunt . . . . multorum sententias replicant . . . . . nam diversae interpretationis: et contrariorum inter se sensuum tenebitur reus, qui in uno opere quod edisserit, expositiones posuerit plurimorum? « Idem affirmat de suis commentariis super epistolam ad Galatas, epist. 75. ad Augustinum: et revera post verba, quae opponuntur, subdit Hie-

ronymus: *Hucusque Origenes.* Idem par est sentire de commentariis super Isaiam, quibus refert Origenis sententiam, ejusque fundamenta, sed non probat, quamque immo constat ab eo rejectam fuisse, cum multis aliis locis, tum iis ipsis quae inter objecta referuntur.

Ad alterum genus testimoniorum viam respondendo aperit Augustinus lib. de gestis Pelagii cap. 3. ubi refert, in Palaestina synodo recitatam fuisse hanc propositionem Pelagii: *In die judicii iniquis, et peccatoribus non esse parcendum, sed aeternis eos ignibus esse exurendos.* Accusatum autem fuisse hoc dictum Pelagii a fratribus, qui ejus doctrinam noverant, utpote qui disputationes ejus, vel discipulorum ejus audire consueverant, propter hanc rationem, quod haec ab ipso ita diceretur: « Tanquam omnes peccatores aeterno essent supplicio puniendi, non eis exceptis, qui fundamentum habent « Christum, quamvis superaedificent ligna, foenum, stipulam, de quibus dicit Apostolus: si cujus opus exustum fuerit, detrimentum patietur, ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem ». In hoc propterea situm fuisse errorem Pelagii, quod nulla exceptione distingueret peccatores per ignem salvandos a peccatoribus aeterno supplicio puniendis. His ex Augustino memoratis, jam expedita est responsio. Scilicet Hieronymus eo dialogo hunc oppugnat errorem Pelagii, meritoque urget, impiorum seu infidelium, et christianorum disparem conditionem. Nam impii non habent fundamentum Christum; non ergo salvandi per ignem, sed aeternis ignibus exurendi. Christiani vero, tametsi peccatores, propter levia nimirum delicta, sine quibus nemo vivit, manent in fundamento; non ergo sempiternis ignibus addicendi, sed piacularibus flammis purgandi; reprehendit proinde Hieronymus Pelagium, quod sacrarum litterarum loca, quae impiis denunciant aeterna supplicia, detorqueret in omnes peccatores generatim, non exceptis etiam christianis, qui levibus culpis inquinati, revera peccatores dici possunt. Hinc ait in eo ipso loco, qui objicitur: « Omnis impius iniquus est, et peccator, nec reciprocatur, ut possimus dicere, omnis peccator, « et iniquus etiam impius est ». Quo satis ostendit, quidquid dicitur contra impios, non valere contra omnes peccatores. Tum subdit: „ Impietas proprie ad eos pertinet, qui notitiam „ Dei non habent, vel cognitam transgressione mutarunt „. Atqui hoc secundum commode referri potest ad christianos

mortaliter peccantes, quos proinde Hieronymus in suppliciorum aeternitate impiis adjungit, ut aliis in locis facit. Luculentius vero mentem suam prodit Hieronymus, qua ratione hoc ipso loco refert, ac refellit argumentationem Pelagii. „ Argumentaris, inquit, hominem non esse sine peccato, sed esse posse, ergo solus ille salvetur, qui nunquam fuit, nec est, sed futurus est, aut forsitan nec futurus: et pereant omnes quos retro fuisse legimus. „ Ex eo itaque quod homo possit esse sine peccato, argumentabatur Pelagius: Quicumque peccasset, aeternis addicendum suppliciis. Cum autem probe sciret Hieronymus, neminem esse prorsus sine peccato, saltem levi et veniali, ostendit futurum ex doctrina Pelagii, ut nemo prorsus esset salvandus. Patet itaque, id solum fuisse propositum Hieronymo, ut christianos homines non esse damnandos ostenderet, etiamsi aliquo peccato teneantur: quod nimirum haec duo constent: Christianos tametsi justos, et charitate Christo adhaerentes, non tamen esse omnis peccati, scilicet venialis, expertes, et neminem fore damnandum, qui Christo charitate conjunctus migret e vita.

3. Denique ad locum petitum ex Commentario in Nahum, animadvertendum est, D. Hieronymum eo loco agere contra Marcionem, Deum auctorem legis criminantem, quasi bis de eodem peccato supplicium sumeret, nimirum in hac, et futura vita: contra quem docet Hieronymus, Deum peccatores afficere poenis temporalibus, ut resipicant, nec aeternis suppliciis puniantur. Porro qui castigati praeterita facta non emendant, sed obstinato animo permanent in peccato, in eoque moriuntur, aeternis addicuntur suppliciis propter ipsam in peccato pervicaciam, et impoenitentiam, quae in ipsis perseverat post poenas temporales, quibus affecti fuere. Quo sensu contendit Hieronymus, Deum non bis vindicare in idipsum; neque aliter intelligi potest Sanctus Pater, alioquin sequeretur Sodomae habitatores, et Aegyptios, et Israelitas in solitudine, qui receperunt mala in vita sua, non fore puniendos in altera, quod est expresse contra mentem ipsius, quem supra vidimus minime in eo haerere, ut impios omnes aeternis addicat suppliciis, quin etiam hoc pacto mentem ipse suam interpretatur his verbis: in cap. 1. Sophoniae: « Certe in finem mundi, et in consummatione hu-

« gebunt, qui non egerunt pro peccatis dignam poeni-
« tentiam ».

Opponunt 4. D. Gregorium Nissenum, qui libro de anima et resurrectione, ex illo Apostoli loco: *In nomine Jesu omne genuflectatur etc.* « Concludit, quod vitiositate longis « saeculorum anfractibus, et circuitionibus aliquando abolita, « atque extincta, nihil praeter bonum relinquetur; sed etiam « daemones concorditer, et consentientes dominationem Chri- « sti confitebuntur ».

R. Photius Bibliothecae Codice 233. corrupta fuisse ab Origenianis clara, et salutaria scripta S. Nisseni Praesulis, profertque in hanc rem auctoritatem S. Germani Patriarchae Costantinopolitani. Equidem haec depravatio minime probata est magnis viris Petavio, et Huetio, qui ex stylo, et dicendi charactere, et tota consequenti oratione argumentantur, pura, et incorrupta pervenisse ad nos scripta Gregorii, ut libentius scilicet Sanctissimo Viro aliquam labem Origeniani erroris adspergant. Verum pace horum dixerim, cum miris hallucinationibus obnoxia sint argumenta, quae petuntur ex styli ratione profecta, non sinit recta judicandi ratio, nt expressis auctoritatibus summorum virorum anteponantur. Quare Sancto Germano, et Photio consentimus. Caeterum quam longe absit Nissenus ab Origenis errore, intelligi potest ex commentario in 6. Psalm. de Octava, ubi haec habet: « Non « enim amplius erit in morte, qui morbum ex vitiositate ac « nequitia sibi contractum, per recordationem Dei curare « possit, quoniam in terra confessio quidem vires habet, in « inferno autem non itidem ». Tum etiam fideles monet, ut semper in oculis habeant terribilia supplicia, tenebrosum ignem, et vermen nunquam emorientem.

Opponunt 5. D. Greg. Nazianz. Qui Orat. 39. in Sancta Lumina, posteaquam immites Novatianos est allocutus, ut eos ad misericordiam flecteret, de his ita pergit: « Atque « hi quidem nostra, si velint, atque adeo Christi via, sin « minus sua insistant. In altero aevo igni fortasse baptiza- « buntur, qui postremus est baptismus, nec solum acer- « bior, sed et diuturnior, qui crassam materiam instar « foeni depascitur, vitiique omnis levitatem absumit. » Ergo etc.

Verum quae sit germana hujus loci intelligentia pulchre explanat Nicetas Gregorii interpres commentario in hanc ip-

sam orationem: « Quod si vos non flectimus, inquit (Gregorium scilicet inducens novatianos alloquentem,) pro vobis utpote incurabili morbo correptis lacrimas effundemus; « igni enim sempiterno baptizabimini; qui terrenam et crassam materiam, tanquam foenum comedit, ut Isaiae verbis « utar, hoc est crassis, et obscaenis corporis voluptatibus « servientes exurit, atque homines peccato leves et aridos ita « excruciat, ut tamen non absumat . . . . Porro per ignis « baptismum, examen, censuramque extremi judicii intelligit, « justa id quod ait Apostolus, uniuscujusque opus quale est, « ignis probabit ». Quod ergo ai Gregorius ignem apud inferos vitii levitatem absumere, sic est intelligendum, ut peccatores vitio leves urat, quin tamen consumat.

Opponunt 6. Basilium Commentario in cap. 4. Isaiae super illud: « Abluit Dominus sordes filiorum; e filiarum « Sion, et sanguinem Jerusalem purgabit ex medio eorum « in spiritu judicii, et in spiritu combustionis »: ubi Basilius cum triplicem distinguat baptismi acceptionem, nimirum expurgationem sordium, regenerationem per spiritum, et probationem quae fit igne judicii, docet peccata per ignorantiam commissa, sordium nomine designari, et ea quidem purgatione, quae per levationem fit, indigere. Peccata vero ad mortem, eorum scilicet qui post acceptam cognitionem voluntarie delinquunt, sanguine significari, et ustionis judicio egere; additque illos, qui post acceptam vitam sibi ipsi insidiantes reddunt se sanguini obnoxios, necesse est hos purgari per ignem. Ergo futuro igne purgari peccata ipsa ad mortem, non aeternum punienda duxit Basilius.

R. Commentarium in Isaiam tametsi communi fere consensione Basilio tribuatur, tamen ab eo abjudicari sine ulla dubitatione a doctissimo Petavio Tom. 3. Theologiae Dogmaticae lib. 1. cap. 2. num. 41., ut Erasmum praeteream, Julianum autem Garnier ex congregatione S. Mauri Basilii editore, dictum Petavii, opusque illud Basilio indignum, tametsi antiquum, multis argumentis in sua praefatione confirmare. Caeterum ex eo loco nil evinci potest adversus aeternitatem poenarum; non enim significat purgatione per ignem peccatorum ad mortem ipsam peccati maculam aliquando eluendam. Quare haec intelligi possunt eo fere sensu, quo dici solet malefactoris supplicio scelus ipsius purgari, et expiari, non quod supplicium sceleris maculam eluat, sed quod

ordo justitiae scelere violatus conscelerati supplicio restituatur. Basilium vero aeternitatem poenarum agnovisse, intelligi potest ex Homilia in psalm. 53., ubi fideles ne peccent, hortatur, ut semper in oculis babeant baratrum inferius, tenebras impermeabiles, ignem obscurum, postremo durissimam poenam, probrum illud, et dedecus sempiternum.

Opponunt 7. Ambrosium in Expositione in psalm. 116. Serm. 20. num. 22. « Diabolus, inquit, et ministri ejus « cum hominibus non flagellabuntur; separata est poena, « ubi distat et culpa ». Et num. 23. « Ideo dives in Evan« gelio, licet peccator, poenalibus urgetur aerumnis, ut ci« tius possit evadere. Diabolus autem pervenisse ad judicium « demonstratur, nequamquam adhuc poenis esse subjectus, « nisi quas ipse tantorum conscius scelerum solvit timore « perpetuo, ne aliquando securus sit ». Ex quibus infertur, sensisse Ambrosium, Daemones nondum judicium subiisse, ut aeternum crucientur; homines vero in altera vita, ut divitem Evangelii, poenalibus aerumnis affligi, ut tandem omni supplicio liberentur; eo vel maxime quod ait Expositione in psalm. 1. num 56. « Vides quia surgunt impii, et non sur« gunt in judicio justorum, quia peccatores etsi non resur« gunt in consilio justorum, resurgent tamen in judicio ». Impios autem, non alios eo loco intelligit Ambrosius, quam infideles.

R. Verum tametsi aliquid sit in his locis obscuritatis, rite tamen explicari potest Ambrosii sententia. Et primo constat, eum sensisse peccatis gravioribus coinquinatos fideles e vita migrantes, sine fine poenas daturos. Sic enim in psalm. 37. num. 2. « Nam, inquit, si hinc peccata gra« via portaveris illic, nempe in futura vita, requiem non « habebis. » Deinde in eo quod ait de dilato Daemonum judicio, deque peccatoribus qui resurgent in judicio, non in consilio justorum, videri potest dictum ex eorum sententia, qui putabant justos primum resurrecturus, et cum Christo mille annis in spiritualibus deliciis regnaturos, posteaque futuram generalem resurrectionem, et universale judicium, quod nil pertinet ad presentem quaestionem. Hinc cum ait, homines non fore flagellandos cum Daemonibus, et separatam esse poenam, ubi separata est culpa, non omnes homines intelligit Ambrosius; nam impios, quos distinguit a peccatoribus, manifeste excipit; nec etiam omnes peccatores, sed

eos tantum quorum culpae piacularibus poenis abstergi possunt, in quo recte docet distare hominum conditionem, et daemonum. Nam daemonum culpa inexpiabilis, poenis autem expiabiles culpae hominum, sive in hac vita, sive etiam aliquae in altera vita: qui sensus ex verbis antecedentibus eruitur; « Non vult Dominus commune Sanctis cum diaboli so« ciis consortium esse judicium; diabolus enim, et ministri « ejus etc. » tum etiam ex eo quod enarratione in psalm. 1. disserit de impiis, qui surgunt ad poenam, et quos a justis in ipso judicio plane sejungit. Hos vero esse dicit, qui dilexerunt magis tenebras quam lucem. Quod etsi proprie accipiendum putet de iis, qui non crediderunt, tamen demonstrat etiam intelligi posse de iis, qui mala opera habent, credentes tamen in Christum, volentes quidem recte vivere, sed victi illecebris peccatorum, dilexerunt plus tenebras quam lucem. Eos igitur ejusdem conditionis futuros existimavit atque infideles ipsos, atque aeternum puniendos. Quod vero divitem Evangelii proponat in exemplum, nil contra efficit: nam dici potest ipsum intellexisse non divitem Epulonem, sed divetem avarum, de quo dicitur Lucae 12. *Stulte hac nocte animam tuam repetent a te.* Ex quo sequeretur, quod verissimum est, correptionem in hac vita valere posse ad expiationem culpae: vel si intellexit divitem Epulonem, id tantum in animo habuit Ambrosius, significare hoc exemplo futuras pro quibusdam peccatoribus in altera vita piaculares poenas, quod etiam verissimum est.

Opponunt 8. Augustinum, cujus haec sunt verba in Enchirid. cap. 117. « Sed poenas damnatorum certis temporum « intervallis existiment, si hoc eis placet, mitigari. Etiam « sic quippe intelligi potest manere in illis ira Dei, hoc est « ipsa damnatio. Haec enim vocatur ira Dei, non divi ani« mi perturbatio, ut in ira sua, hoc est manente ira sua, « non tamen contineat miserationes suas, non aeterno sup« plicio finem dando, sed levamen adhibendo vel interpo« nendo cruciatibus ».

R. In eo ipso capite Augustinum firmissime tueri aeternitatem poenarum, et tantum non plane refellere opinionem eorum qui commiseratione potius, quam ratione ducti aliquam inducebant in aeternae poenae asperitate mitigationem, ex quo effici hoc solum potest, eam opinionem illis temporibus utcumque tolerabilem adhuc fuisse, nunc vero alienam esse

ab Ecclesiae Catholicae sensu constat, ex eo quod Ecclesia non oret pro damnatis. Nihil igitur ex eo loco duci potest adversus nostram propositionem, quae est de poenarum aeternitate.

Opponunt 9. Multis Historiae Ecclesiasticae monumentis constare, damnatorum animas sanctorum virorum precibus interdum ex inferis eductas fuisse. Sic Augustinus sermone 323. et 324. testatur in Uxali civitate Africae, cujus episcopus erat frater ejus Evodius, infantem sine baptismo mortuum a matre delatum fuisse ad memoriam divi Stephani, illam suis precibus et lacrimis Divi opem exigentibus impetravisse, ut infans reviviscerct, tumque baptizatus assumeretur. Gregor. Magnus lib. 2. Dialogorum cap. 23. narrat D. Benedictum jussisse, ut pro duabus mulieribus in excommunicatione defunctis sacrificium offerretur, quo ipsae ab excommunicatione revera liberatae fuerunt. Tandem celebris est pervulgata historia de Trajani liberatione ipsiusmet D. Greg. precibus impetrata.

R. 1. Generatim ex doctrinâ D. Th. q. 71. in supplemento art. 5. ad 5. « Quicumque in lethali peccato defuncti, et « miraculo suscitati leguntur eos pro extraordinaria quadam « ratione divinae providentiae, non adhuc fuisse irrevocabili « sententia cruciatibus aeternum perferendis addictos, sed se« cundum praesentem propriorum meritorum justitiam. Secun« dum autem superiores caussas, quibus praevidebantur ad « vitam revocandi, fuisse de iis aliter disponendum ». Ita nil vetat, ut putemus aliquorum, qui ex inferis liberati dicuntur, suspensam fuisse a supremo Judice sententiam, ut Sanctorum precibus, quibus praedestinationem nostram juvari credimus, ipsis reviviscentibus reconciliationis gratia concederetur. Itaque nulla difficultas esse potest in exemplo, quod ex Augustini sermone depromitur, quod sine insigni temeritate revocari in dubitationem non potest, nec in aliis similibus exemplis, quae ex probatis auctoribus proferri possent.

Eadem responsio transferri potest ad factum a D. Gregorio narratum, quod etiam minus habet difficultatis. Nam S. Benedictus tantum dicitur misisse ad eas mulieres qui suis verbis denunciaret: *Nisi linguam continueritis, excommunico vos*, et illae quidem linguam non refraenarant, et paullo post obierant. Sed in ipso saltem mortis articulo fieri potuit,

ut eas poeniteret suae loquacitatis et contumaciae, sicque Deo reconciliatae migrarent e vita, ut proinde cum excommunicatione solutae leguntur, non aeternis suppliciis ereptae, sed in piacularibus flammis levationem accepisse putandae sint; praeterquamquod fuit aliquorum sententia, non eam fuisse canonicam excommunicationem, sed velut maledictionem quamdam, seu comminationem divinae ultionis, nisi respicerent; quam sententiam referunt, nec refellunt doctissimi editores Maurini in nota ad hunc locum, tametsi D. Gregorius aliter sensisse videatur. Quod attinet ad liberationem Trajani, nemo est hac aetate paullo doctior, qui non eam inter fabulas rejiciendam putet, post Baronium ad annum 100, et 604. Nam quod fuerit clarissimis et santissimis viris probata nil efficit, quandoquidem eos ad ità sentiendum praesertim adduxit sermo Damasceni nomine vulgatus de fidelibus defunctis, quem illi Damasceni fuisse putarunt, constat autem non esse Damasceni. Nec etiam quidquam valere potest ad persuadendum auctoritas Joannis Diaconi, qui hoc factum memorat in vita Gregorii lib. 2. cap. 44., utpote qui fuit scriptor saeculi noni, atque adeo Gregorii aetate remotioris. Deinde, quod multi non animadvertunt, ipse Joannes diaconus eam sic proponit, ut vehementem de illius veritate suspicionem injiciat, ut ex his ejus verbis intelligi potest: « Sed « cum de superioribus miraculis romanorum sit nemo qui « dubitet, de hoc, quod apud Saxones legitur, hujus pre- « cibus Trajani animam ab inferni cruciatibus liberatam, ob « id vel maxime dubitari videtur, quod tantus doctor nequa- « quam praesumeret pro pagano prorsus orare, qui quarto « dialogorum suorum libro docuerit eamdem caussam esse, « cur non oretur a Sanctis in futuro judicio pro peccatori- « bus aeterno igne damnatis ». At haec objecta eludere dua- « bus viis nititur Joan. diaconus, ne illam narrationem penitus deserat, scilicet Gregorium dici pro Trajano non orasse sed flevisse; deinde Trajani animam non ab inferno liberatam, et in paradiso repositam, sed tantum ab inferni cruciatibus liberatam commemorarit. Sed cum harum ratiuncularum levitas satis ipsa per se manifesta sit, non est cur in illis refellendis tempus insumatur.

Denique breviter animadvertendum censemus nihil adversus dogma de poenarum aeternitate concludi posse ex quibusdam ecclesiae precibus, quibus orat, ut animae defuncto-

rum a poenis inferni liberentur. Satis enim constat inferni nomine his locis purgatorium significari, locum nempe inferiorem, in quo animae purgantur. Eademque responsio adhiberi commode potest ad nonnulla patrum testimonia, qua referre hic singillatim opus non est. Quaeritur hic vero, cum quis migrat e vita peccati non solum lethalis, sed etiam venialis culpa et reatu obligatus, utrum in eo peccatum ipsum veniale ratione conjunctionis cum mortali aeterna poena mulctetur.

Sententia est affirmans D. Th. contra Scotum et alios. Sic enim S. Doctor. statuit in 2. q. 42. q. 1. art. 5. ad 6. « Di« cendum quod ille qui decedit cum mortali et veniali si« mul punitur in inferno pro veniali, et punitur in aeter« num. Longe tamen minus acerba poena, quam illa quae « est pro mortali. Hoc autem accidit veniali in quantum « conjunctum est mortali, quod gratia privat, sine qua nulla « poena potest esse purgativa vel expiativa ». Scilicet tametsi per se non debeatur aeterna poena peccato veniali, quia tamen peccatum veniale in decedente cum mortali remitti amplius non potest, ideo per accidens obnoxium fit aeternae poenae: quia ut ait S. Doctor: *Aeternitas poenae non respondet quantitati culpae, sed irremissibilitati ipsius.*

Quaeritur 2. Cum homini e vita migranti cum lethali peccato solvendum quid superest poenae temporalis propter alia peccata mortalia vel venialia, quae ante fuerunt quoad culpam remissa, utrum in eo poena illa temporalis evadat aeterna, quia inferno luenda.

Sententia negans videtur esse D. Th. qui in 4. Distinct. 22. q. 1. art. 1. ad 5. minus probat eorum opinionem, qui aliter statuebant paritate ducta ex peccato veniali, quod in purgatorio punitur poena temporali, in inferno aeterna. Sed, inquit, non videtur simile, quia veniale ideo in inferno aeternaliter punitur, quia semper manet, cum non sit ibi aliquid, quod culpam delere possit; sed poena ex hoc ipso quod solvitur, expiatur, et ideo alii dicunt, quod poena, cujus est aliquis debitor post culpam remissam in inferno, punietur temporaliter. Nec propter hoc sequitur quod sit in inferno redemptio, quia poena quae solvitur non redimitur. Nec est inconveniens, quod quantum ad aliquid accidentale poena inferni minuatur usque ad diem judicii, sicut etiam augetur.

Quaeritur 3. Utrum unum peccatum sit quandoque poena alterius peccati.

R. Peccatum esse quandoque poenam alterius peccati, sacris litteris non obscure significari. Apostolus enim ad Rom. cap. 1. commemoratis gentium plurimis flagitiis docet: « Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eo« rum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora « sua in semetipsis ». Et deinceps. « Et sicut non proba« verunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in re« probum sensum, ut faciant ea quae non conveniunt ». Hanc veritatem egregie tuetur Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 3. S. Gregorius lib. 25. moralium cap. 12. Et alii passim.

Docet autem S. Th. peccatum per se spectatum non esse poenam peccati. Nam peccatum per se consideratum habet rationem culpae, et hoc pacto libere a voluntate ipsa proficiscitur. Non ergo est poena, cujus proprium est ut voluntati adversetur. Per accidens vero intelligitur peccatum esse poenam peccati, quatenus pro peccato praecedente subtrahuntur auxilia gratiae, quibus homo consequentia peccata vitasset. Hinc sequitur Deum non esse censendum peccati auctorem, tametsi ex una parte peccatum sit quandoque poena peccati, et ex alia parte justae poenae sint a Deo. Nam, ut dictum est, peccatum per se non infligitur a Deo tanquam poena peccati, sed justo Dei judicio subtrahuntur auxilia grasiae, cujus subtractione consequitur ipsum peccatum. Nec vero idipsum divinae sapientiae ordini adversatur. Nam ut inquit S. Doctor hac q. 87. art. 2. ad 1. Hoc etiam quod aliqui puniuntur Deo, dum permittit eos in aliqua peccata profluere, ad bonum virtutis ordinatur, quandoque quidem etiam ipsorum qui peccant, cum scilicet post peccatum humiliores et cautiores resurgunt. Semper autem est ad emendationem aliorum, qui videntes aliquos ruere de peccato in peccatum, magis reformidant peccare.

TRACTATUS DE PECCATIS

PARS II.

De Peccatis singillatim.

Ut de peccatis singillatim disputatio recte et ex ordine instituatur, sunt ea in certas classes distribuenda, et ad pauca veluti summa capita quam accomodatissime fieri possit revocanda. Id vero a Sanctissimis theologiae doctoribus Gregorio et Thoma est diligenti sane et accurata consideratione perfectum, qui septem praecipue peccata notarunt, e quibus quum ut plurimum reliqua prodire soleant, vulgo capitalia audiunt. Itaque ex doctrina D. Th. 1. 2. q. 84. peccatum capitale illud esse intelligitur, quod secundum rationem finis principium est movens ac dirigens in alia peccata. Sic nempe habet, ut bono commutabili, in quod peccatum capitale perverse tendit, homines vehementer alliciantur; propterea que ut id consequantur, in multa peccata incidunt.

De illis porro peccatis ita scribit D. Gregor. lib. 31. moralium cap. 31. « Ipsa vitiorum regina superbia, cum « devictum cor plane ceperit, mox illud septem principali« bus vitiis, quasi suis quibusdam ducibus devastandum tra« dit, quos videlicet duces exercitus sequitur, quia ex eis « procul dubio importunae vitiorum multitudines oriuntur. « Radix quippe cuncti mali superbia est, de qua scriptura » testante dicitur: Initium omnis peccati est superbia: pri« mae autem ejus soboles, septem nimirum principalia vi« tia de hac virulenta radice proferuntur, scilicet inanis « gloria, invidia, ira, tristitia, seu accedia, avaritia, ven« tris ingluvies, luxuria. Nam qui his superbiae vitiis nos « captos doluit Redemptor noster, idcirco ad spirituale li« berationis pretium spiritu septiformis gratiae plenus ve« nit ».

Cujus distinctionis cum duplicem luculentissimam rationem attulerit D. Th. hac q. art. 4. alteram saltem afferre operae pretium fuerit. « Bonum, inquit S. Doctor, praecipue movet « appetitum ex hoc quod aliquid participat de proprietate « felicitatis, quam omnes appetunt; de cujus ratione est: 1. « Quaedam perfectio. Nam felicitas est perfectum bonum, ad

« quod pertinet excellentia, vel claritas, quam appetit superbia, vel inanis gloria: 2. De ratione ejus est sufficientia, « quam appetit avaritia in divitiis eam promittentibus. 3. « Est de conditione ejus delectatio, sine qua felicitas esse non « potest, ut dicitur in primo ethicorum, et hanc appetunt « gula et luxuria. Quod autem aliquis bonum fugiat propter « aliquod malum conjunctum, hoc contingit dupliciter: quia « aut hoc est respectu boni proprii, et sic est accedia, quae « tristatur de bono spirituali propter laborem corporalem « adjunctum, aut est de bono alieno, et hoc si sit sine in- « surrectione pertinet ad invidiam, quae tristatur de bono « alieno, in quantum est impeditivum propriae excellentiae, « aut est cum quadam insurrectione ad vindictam, et sic est « ira, et ad eadem vitia pertinet prosecutio mali oppositi ». Ex hac porro D. Th. ratione sequitur utrum superbia quae in excellentiam, an inanis gloria quae in claritatem perverse tendit, inter peccata capitalia eodem gradu et loco habeatur ac reliqua. Equidem S. Doctor inanem gloriam cum aliis capitalibus connumerat, superbiam vero constituit velut universaliorem quamdam peccatorum omnium originem, eo quod quidquid homo peccat, alicujus excellentiae acquirendae sibi caussa peccat.

Verum non absurde pressius insistendo super allatae rationi, dici potest hominem in commutabile bonum niti non semper cupiditate assequendae cujusdam excellentiae, sed aut sufficientiae sibi comparandae, aut delectationis percipiendae. Quod si quis contenderet in sufficientia excellentiam quoque spectari, hujus tamen considerationem a delectationis cupiditate saltem sejungi posse vix dubitationem habet. Neque enim videtur voluptati opus esse illecebras aliunde, quam ex sese petere ad vehementer commovendos alliciendosque hominum animos.

Notandum est autem superbiam et avaritiam praecipua quadam ratione capitalia peccata censeri. Nam de superbia expresse dicitur ecclesiastici 10. *Initium omnis peccati est superbia:* De avaritia vero 1. ad Tim cap. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas*, quo loco significari avaritiam, sive inordinatam cupiditatem divitiarum recte concludit. S. Th. ex eo quod Apostolus ibi loquatur de iis, qui quum volunt divites fieri, *incidunt in tentationem et laqueum diaboli.* Neque vero haec pugnant inter se, quod superbia initium omnis pec-

cati constituatur, simulque radix omnium malorum dicatur avaritia. Nam ut praeclare nodum hunc solvit S. Th. q. 84. art. 2. In actibus voluntariis duplex ordo invenitur, intentionis et executionis: in illo quidem ordine habet rationem principii finis. Cum autem finis in bonis temporalibus acquirendis sit, ut homo per illa quamdam perfectionem et excellentiam sibi comparet, ideo ex hac parte superbia, quae est appetitus excellentiae, ponitur initium omnis peccati. In ordine autem executionis primum illud est, quod praebet opportunitatem explendi omnia desideria peccati, idque habet rationem radicis. Tales autem sunt divitiae. Quare ex hac parte avaritia ponitur esse radix omnium peccatorum.

Denique ad amovendas inanes difficultates tenendum cum D. Th. art. 4. ad 5. vitia haec omnino capitalia dici, quia ex his ut plurimum alia oriuntur, unde nihil prohibet aliqua peccata interdum ex aliis caussis oriri. Nunc ad ea particulatim explicanda veniendum.

QUAESTIO I.

De Superbia.

CAPUT I.

De Superbiae natura ejusque speciebus.

Superbiae naturam et pravitatem luculenter explicat D. Augustinus lib. 14. de civit. Dei cap. 13. « Quid est autem « superbia nisi perversae celsitudinis appetitus? Perversa « enim celsitudo est deserto eo, cui debet animus inhaere« re, principio, sibi quodammodo fieri, atque esse princi« pium. Hoc fit cum sibi nimis placet etc. » Et lib. 10. cap. 12. « Superbia perverse imitatur Deum, odit namque cum « sociis aequalitatem sub illo, sed imponere vult sociis do« minationem suam pro illo ». Recte propterea definitur a D. Th. superbia: Inordinatus appetitus propriae excellentiae. 1. 2. q. 162. art. 2.

Quatuor ejus vitii species a D. Gregorio distinctas probat S. Doctor art. 4. Sunt autem primo quum bonum quis a semetipso habere se existimat. Tales sunt superbi hominis et impii, qui psalmo 11. sic loquentes inducuntur: « Lin-

« guam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, « quis noster Dominus est? » Talis etiam fuit gentilium philosophorum superbia, qui reliqua bona Deo virtutem sibi acceptam referebant, ut habetur ex Tullio lib. 3. de natura Deorum. Secundo quum bonum, quod habet, desuper quidem acceptum, sed suis meritis tributum gloriatur. Notat autem D. Thomas ad superbiam non requiri, ut bonum quod quis ita sibi arrogat, universali et speculativo judicio constituit, se aut a se ipso, aut ex suis meritis habere; tunc enim ipsa superbia deflecteret ad infidelitatem, sed satis esse ut practico et singulari judicio ita sibi de bono suo blandiatur, sive non aliter se gerat, ac si revera ita crederet. Tertio quum jactat quis se habere bonum quod non habet. Quarto quum quod habet, appetit despectis caeteris singulariter videri se habere.

PROPOSITIO.

Superbia peccatum est genere suo mortale, idemque gravissimum.

Pr. Ad Rom. 1. Superbi numerantur inter eos qui digni sunt morte. Proverb. 8. Sapientia dicitur detestari arrogantiam et superbiam. Atqui peccata quae dicuntur in scripturis aut digne morte, aut detestata etc. peccata sunt mortalia. Ergo etc. Hinc D. Greg. lib. 24. Moral. cap. 18. *Evidentissimum*, inquit, *reproborum signum superbia est.*

Nec vero dubium esse potest quin prima, et altera superbiae species sint genere suo lethales, utpote quae divinae beneficentiae gravem injuriam inferunt, negantque Deo eam praestantiam, quae ipsius propria maxime est, ut ab eo bonum omne, datumque optimum desuper in homines descendat. Tertia species est mortalis, sive quod quis gloriatur de commutabili bono, quod sit cum mortali culpa conjunctum, sive cum ex bono, quod falso se habere jactat, alii culpa sua inducuntur in errorem sibi graviter noxium. Quarta vero quotiescumque cum aliorum gravi contemptu conjuncta est.

Gravissimum vero peccatum superbiam esse constat multis rationum momentis, quod tamen ut docet S. Th. non est intelligendum ratione objecti, seu conversionis ad bonum

commutabile, nam ex objecto alia sunt peccata graviora ipsa superbia; sed ratione aversionis a Deo. Siquidem ut habet S. Doctor art. 6. « In aliis peccatis homo a Deo avertitur vel « propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive pro- « pter desiderium cujuscumque alterius boni. Sed superbia « habet aversionem a Deo, vel ejus regulae subjici ». Ex quo concludunt: « *Ipsum averti a Deo et ejus praeceptis, quod* « *est quasi consequens in aliis peccatis, per se ad superbiam* « *pertinere* »: hincque fieri ut reliqua peccata velut infideli- tatis, desperationis, graviora fiant cum e superbia procedunt. Primo itaque superbia ratione aversionis gravissimum pecca- tum est, atque ut ex Boetio habemus: cum omnia vitia fu- giant a Deo, sola superbia se Deo opponit. Unde Jacobi 3. Deus speciatim dicitur superbis resistere.

2. Superbiae gravitas prodit se maxime in funestissima omnium ruina, quam in paradiso terrestri, et inter Angelos ipsos edidit, unde Augustinus serm. in psalm 118. « Maxi- « mum peccatum in homine superbia est, quandoquidem inde « manavit nostri origo delicti. Hoc telo nos primum Diabo- « bolus vulneravit et perculit: Nam nisi homo serpentis « persuasione deceptus, sicut Deus esse voluisset . . . . nun- « quam feralis culpae ad nos transisset haereditas. Et quid « de homine dicam? Ipse Diabolus per superbiam naturae « suae amisit gratiam, dum dicit: ponam thronum meum « super nubes et similis ero altissimo, consortiis excidit An- « gelorum ».

3. Quia nullum vitium natura sua latius patet, quam ipsa superbia, cui quodcumque bonum, quod sub appetitum cadit, materiam et pabulum suppeditat, ut pulchre explicat D. Greg. lib. 34. moral. cap. 18. « Elatio alios ex rebus « saecularibus, alios vero ex spiritualibus possidet; alter « namque intumescit auro, alter eloquio, alter infimis et « terrenis bonis, alter summis, coelestibusque virtutibus ».

4. Hinc fit quod pessimam superbiae indolem ostendit, ut ex ipsis etiam virtutibus obrepat, iisdemque insidietur ac perniciem inferat, unde Augustinus epist. 211. « Alia quae- « cumque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiat, su- « perbia vero etiam bonis operibus insidiatur ut pereant ». Et D. Isidorus lib. 2. Sentent. cap. 38. Superbiam vocat ruinam omnium virtutum.

CAPUT II.

De ambitione, et praesumptione.

Ex superbia seu inordinato appetitu et amore propriae excellentiae, quo quis nimium sibi de suis vel veris, vel ementitis dotibus placet, tria proxime vitia nascuntur: Ambitio, qua quis honorem, quasi externam ab aliis in se profectam propriae excellentiae testificationem perverse appetit: Praesumptio qua perperam de se confidit: Inanis gloria qua perverse gestit praestantiam ipse suam aliis prodere. De ambitione et praesumptione hic agemus, de inani gloria seq. cap. dicturi.

Ambitio itaque ex D. Th. est inordinatus appetitus honoris. Cum honor definiatur reverentia quae alicui exhibetur in testimonium ejus praestantiae, hinc fit ut honores dicantur ea munera, quae splendorem dignitatis quemdam adjunctum habent, quod in his existat clarissima commendatio virtutis ejus, cui committuntur. Jam quidquid est, quo homini homo antecellit, non habet a se, sed est in eo divinum quiddam, unde ex illo non ipsi, sed Deo praecipue honor debetur. Id vero a Deo tribuitur, ut ex eo homo prosit homini. Tripliciter igitur perverti potest honorum appetitio. Primo, quum quis appetit honorem virtutis et praestantiae debitum et congruentem, qua ipse est destitutus. Secundo, quum honorem quem cupit, ne refert in Deum. Tertio, quum ita quiescit in honore, ut eo non studeat aliis prodesse.

Ambitionem peccatum esse constat, tum quia est inordinatus appetitus, ut mox dictum est, tum ex illo Apostoli ad Cor. cap. 13. *Caritas non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt.* Nihil autem repugnat charitati, nisi peccatum. Est ergo ambitio peccatum, dum in honore quaerit quae sua sunt, idest quaerit honorem sibi non debitum, quasi suum, vel eum ita sibi quaerit, ut sibi soli velit, non referens in Dei gloriam, et proximi utilitatem.

Lethalis est autem ambitio quadruplici potissimum ex capite. Primo, quum in honore finis ultimus constituitur. Quod sane illis ego contingere puto, qui non aliis cogitationibus, non aliis studiis occupati esse videntur, quam quibus ampli-

ficare suum: ii enim videntur totam vitam suam in honoris consecutionem referre, ipsumque adeo honorem tanquam ultimum finem sibi proponere. Secundo, si qui honores quaerit cum gloriae Dei detrimento, vel proximi damno et injuria. Tertio, cum mediis illicitis quaerit, velut largitionibus et simonia, fraude et detractione. Quarto, cum munera ambit, quibus est indignus, nec ut par est fungi valet, ex quo fit, ut in continuo periculo versetur graviter delinquendi contra officium.

Omnino tenendum est non intrusione, sed vocatione aditum patere licitum ad honores, maxime vero ecclesiasticos: atque ne cupiditas in re tanti momenti fucum faciat, habenda prae oculis doctrina D. Th. quodlib. 12. q. 10. art. 2., quae principia suppeditabit tollendis inanibus difficultatibus aptissima. « Contingit appetere praelationem dupliciter; aut « propter necessitatem urgentem, aut non urgentem. Primo « modo dupliciter, vel quando imponitur a superiore, vel « quando non invenitur aliquis, qui velit onus praelationis « subire; tali necessitate existente, meritorium est appetere. « Unde Isai. 6. Quem mittam, et quis ibit ex nobis? Respondit: « Ecce ego mitte me: tamen ante dixit se indignum. Secun« do modo (scilicet quando non urget necessitas) sic non « licet; quia non potest carere aut vitio injustitiae, si velit « se minorem praeferri majoribus; aut vitio praesumptionis, « si reputet se sufficientem praeferri aliis. Unde Chrysost. su« per illud: Reges gentium dominantur eorum etc. Luc. 22. « Primatus, ait, ecclesiasticos concupiscere, nec justum, nec « utile ».

Praesumptio est inordinatus appetitus aliquid aggrediendi supra vires. Fit lethale hoc vitium, primo quum quod quis aggredi praesumit, in gravem cedit injuriam honoris Dei, vel damnum proximi, ut patet in his, qui sufficienti habilitate destituti munera et officia suscipiunt ecclesiastica vel saecularia, quibus administrandis pares non sunt, velut parochi, confessarii, magistratus etc. Secundo, quum virium suarum experimentum facere quis praesumit cum praesenti periculo salutis aut animae, aut corporis. Itaque non sunt a lethali peccato excusandi, qui ut aliis jucundum praebeant suarum virium, vel dexteritatis spectaculum gravi se exponunt periculo vitae. Nec magis qui praetextu etiam charita-

tis ut aliis subveniant, conscii propriae infirmitatis in proximas se conjiciunt peccandi occasiones.

CAPUT III.

De inani gloria, et vitiis ex ea manantibus.

Gloria est manifestatio virtutis et praestantiae, qua quis excellit. Unde ab Augustino dicitur: *Clara cum laude notitia.* Appetitus gloriae ex sese pravus non est, ut docet D. Th. 2. 2. q. 32. art. 1. Nam quod aliquis cognoscat bonum suum et approbet, non est peccatum. Similiter etiam non est peccatum, quod aliquis bona sua opera ab aliis velit approbari: dicitur enim Matthaei 5. « Luceat lux vestra coram ho« minibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent pa« trem vestrum, qui in coelis est ». Sed appetitus gloriae vanus, adeoque inordinatus vitiosus est; talisque fit ex D. Th. tripliciter. Primo ex parte rei, de qua quis gloriam aucupatur, cum quis gloriam captat vel de eo quod non est, vel de eo quod non est gloria dignum, sicut de re aliqua fragili et caduca. Secunda ex parte ejus, a quo gloriam quaerit, puta hominis, cujus judicium non est certum. Tertio ex parte ipsius, qui gloriam appetit, dum eam in debitum finem, vel honoris Dei, vel boni proximi referre non studet.

Explicat autem S. Doctor art. 4. Utrum, et qua ratione inanis gloria sit censenda lethalis: ait autem peccatum ex hoc esse mortale, quod caritati est contrarium. Peccatum autem inanis gloriae in se consideratum non videri caritati adversari, quod attinet ad dilectionem proximi, verum quod attinet ad dilectionem Dei charitati opponi, sive quum quis glorietur de aliquo, quod reverentiae divinae adversatur, ut illi qui de peccatis suis gloriantur, e quibus mundani honoris fructum, vanumque plausum percipiunt, sive cum quis bonum temporale, de quo gloriatur, praefert Deo, sicque testimonium hominum praefert testimonio Dei, quales illi Judaei fuerunt, qui Pharisaeorum metu Christum palam agnoscere verebantur, de quibus dicitur Joan. 12. « Verumtamen « et ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter « Pharisaeos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur; dilexerunt enim gloriam hominum magis quam glo-

« riam Dei ». Sive deinque cum quis intentionem suam refert ad gloriam tanquam ad ultimum finem, ad quem scilicet ordinat etiam virtutis opera, et ob quem consequendum non praetermittit facere ea, qúae sunt contra Deum. Talis est virgo quae peccato consentit verita infamiam, quam ipsi petulans adolescens minatur, ni ei obsequatur. Talis theologus imperitus qui perperam respondet consulentibus, ne si haesitet, indoctus videatur. Talis medicus qui in difficili morbo peritioris consilium capere praetermittit, ne alii ejus imperitiam, cujus eo casu ipse sibi conscius est, suspicari possint.

Septem vitia e vana gloria prodire docet S. Gregorius lib. 30. Moralium cap. 31. videlicet inobedientiam, jactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam et novitatum praesumptionem. Horum originem pulchre demonstrat D. Th. 2. 2. q. 132. art. 5. Nam vitia illa dicuntur principalis vitii foetus, quae apta sunt ordinari ad finem capitalis ejus vitii. Finis autem inanis gloriae est manifestatio propriae excellentiae in quam homo tendere potest dupliciter, uno modo directe, sive per verba, et sic est jactantia, sive per facta, et sic si sint verba habentia aliquam admirationem, est praesumtio novitatum, quas homines solent magis admirari; si autem per facta sit, sic est hypocrisis. Alio autem modo manifestare quis nititur propriam excellentiam indirecte, ostendendo se non alio minorem. Et hoc quadrupliciter. Primo quantum ad intellectum, et sic est pertinacia, per quam homo nimis innititur suae sententiae, nolens credere sententiae meliori. Secundo quantum ad voluntatem, et sic est discordia, dum non vult a propria voluntate discedere, ut aliis concordet. Tertio quantum ad locutionem, et sic est contentio, cum aliquis verbis clamose contra alium litigat. Quarto quantum ad factum, et sic est inobedientia, dum scilicet aliquis non vult exequi superioris praeceptum.

De Jactanctia.

Jactantia dici potest immoderata sui ipsius, rurumque ad sese pertinentium gloriae aucupandae caussa praedicatio. In exageratione autem hujusmodi aliqua mendacii perspicuum est contineri. Hinc ut dijudicetur utrum lethalis sit an venialis tantum jactantia, docet S. Th. 2. 2. q. 112. art. 2. Eam

spectari oportere vel ratione sui, seu mendacii quod involvit, vel ratione caussae: lethalis est ratione sui, cum quis jactat se se de aliquo, quod est contra gloriam Dei, vel caritatem proximi. Contra gloriam Dei fuit jactatio regis illius Tyri, de quo habetur Ezech. 28. *Elevatum est cor tuum et dixisti: Deus ego sum.* Contra caritatem proximi ostentatio apud Luc. 18. ejus pharisaei qui dicebat: « Non sum sicut « caeteri hominum raptores, injusti, adulteri, velut etiam « hic publicanus », et generatim cum quis inanem de se praedicationem conjungit cum gravi contumelia et contemptu aliorum. Ratione vero caussae est lethalis cum procedit ex superbia vel vanagloria, quae sit ipsa mortalis, vel cum lucri caussa jactat se aliquis de arte, aut facultate quam non habet, cum gravi damno proximi, ut faciunt plerumque circulatores, qui se divinandi, aut morborum curandorum arte pollere, quasi Apollines et Esculapii, profitentur, rudesque et simplices in fraudem saepe ipsis exitiosam illiciunt.

Jactantia de peccato mortali peccatum est mortale includens non solam malitiam ipsius jactantiae ratione sui spectatae, verum etiam malitiam ejusdem speciei, atque est peccatum, de quo quis gloriam captat. Ratio est, quia nemo gloriam aucupatur, nisi de re, de qua sibi complacet, quamque aliqua dignam approbatione judicat. Sed complacentia et approbatio peccati mortalis habet malitiam ejusdem speciei, cujus est ipsum mortale peccatum. Ergo etc.

De Hypocrisi.

Hypocrisis est simulatio sanctitatis, quam quis non habet. Itaque ut docet S. Th. 2. 2. q. 111. art. 4. in hypocrisi duo sunt, scilicet defectus sanctitatis, et simulatio ipsius. Si ergo hypocrita dicatur ille, cujus intentio fertur ad utrumque, ut scilicet aliquis non curet habere sanctitatem, sed solum sanctus apparere, sicut consuevit accipi in sacra scriptura, sic manifestum est hypocrisim esse peccatum mortale. Ipsum quippe non curare sanctitatem sine peccato mortali esse nequit. In tales hypocritas cadit illud Apostoli 2. ad Timoth. cap. 3. *Habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.*

Si autem, pergit S. Doctor, hypocrita dicatur ille, qui

simulat sanctitatem, qua privatur per peccatum mortale, tunc, quamvis sit in peccato mortali, ex quo privatur sanctitate, non tamen semper ipsa simulatio est ei peccatum mortale, sed quandoque veniale. Idque est discernendum ex fine, qui si repugnat caritati Dei, et proximi, tum illa simulatio est peccatum mortale, velut in his qui sanctitatem simulant, ut falsam doctrinam disseminent. De quibus dicitur Matth. 7. « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces »; qui in hypocrisi loquuntur mendacium, ut ait Apostolus 1. ad Timoth. 4. Aut qui sanctitatem simulant, ut adipiscantur ecclesiasticas dignitates indigni, vel quaecumque alia temporalia bona, in quibus finem constituunt.

Si denique finis intentus non repugnet caritati, hypocrisis erit peccatum veniale; puta cum aliquis in ipsa factione delectatur, de qua dicitur 4. Ethic. quod magis videtur vanus, quam malus.

Hinc vero patet hypocrisim si proprie accipiatur prout habet adjunctum contemptum sanctitatis, et finem caritati Dei vel proximi contrarium, peccatum esse gravissimum. In quod proinde merito et aptissime cadunt innumerabilia sanctorum patrum loca, quibus ejus sceleris atrocitatem gravissimis verbis et sententiis declarant. Sublato porro contemptu illo, et pravo fine adhuc intelligitur peccatum simulatione quomodocumque vitiosa obtectum, gravius esse ipso eodem peccato sine simulatione propter ipsius vitiosae simulationis malum adjunctum. Unde Hieron. in cap. 6. Isaiae « In comparatione « duorum malorum, inquit, levius est aperte peccare, quam « sanctitatem simulare ». Fieri tamen potest ut ratio consequentis scandali peccatum apertum sit gravius.

De Contentione.

Contentio dicitur generatim pugna et certatio, quae oratione fit inter dissentientes ad confirmandum, vel confutandum accommodata. Ut ergo judicetur, num contentio sit prava, necne, duo sunt attendenda ex D. Th. 2. 2. q. 38. art. 1. Intentio contendentis, et modus contendendi, Quod spectat ad intentionem, considerandum est utrum aliquis repugnet veritati, quod est vituperabile, an falsitati, quod est laudabile. Quoad modum vero, utrum sit conveniens personis et rebus.

qui modus est laudabilis, an minime conveniens, ex eoque fit contentio vituperabilis. Contentio itaque prout importat impugnationem veritatis, et inordinatum modum, quo pacto definitur a D. Ambrosio: *Impugnatio veritatis cum confidentia clamoris*, peccatum est genere suo mortale. Et sane Apostolus ad Rom. 2. Iram et indignationem detestatur in eos qui sunt ex contentione, Et ad Galat. 5. Contentiones numerat inter opera carnis, quae qui agunt regnum Dei non consequuntur. Si vero contentio dicatur impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniae, sic est prorsus laudabilis.

Si accipiatur prout importat impugnationem falsitatis quidem, sed tamen cum inordinato modo conjunctam, erit peccatum veniale, nisi tanta sit in modo inordinatio, ut inde scandalum generetur. Quo nomine prohibetur ab Apostolo Timotheus ne verbis contendat 2. ad Timoth. 2. « Noli verbis « contendere; ad nihil enim utile est nisi ad subversionem « audientium ».

Hinc de controversiis, quae vigent sive inter doctos, sive inter litigantes, et in judiciis conflictantes statuendum cum S. Doctor in eo completam esse rationem contentionis, prout est peccatum mortale, qui sive in judicio contendens, impugnat veritatem justitiae, sive in disputatione contendens intendit impugnare veritatem doctrinae. Ex quo patet quid sit sentiendum de causidicis, qui justas a se cognitae caussas oppugnant, injustas contentione et clamoribus vincere conantur.

De Discordia.

Ex D. Thom. doctrina q. 37. art. 1. elici potest haec discordiae definitio, ut sit voluntatem dissensio circa bonum, in quo unus alteri ex caritate consentire tenetur, quippe discordia opponitur concordiae. Concordia autem gignitur ex caritate quatenus multorum corda conjungit in aliquo uno, quod est principaliter bonum divinum, secundario vero bonum proximi.

Haec autem dissensio, qua quis ab alio discrepat circa ejusmodi bonum, vel procedit ex directa intentione dissentiendi a bono divino, vel proximi, in quod consentire tenetur, tumque discordia est peccatum genere suo mortale, utpote caritati adversum. Quare ad Galat. 5. discordia etiam

numeratur inter opera carnis, quae qui agunt; regnum Dei non consequentur.

At vero dissensio a bono divino, vel proximi, est quandoque praeter intentionem, cum scilicet plurium intentio fertur quidem ipsa per se in bonum, sed unus quidquam bonum esse existimat, alius vero contrariam gerit opinionem, tumque discordia nonnisi per accidens adversatur bono divino, vel proximi, haecque per se non est peccatum, non enim adversatur caritati, quae est voluntatum conjunctio, non opinionum. Talis fuit dissensio, quae narratur act. 15. exorta inter Barnabam et Paulum, ita ut discederent ab invicem. Fieri tamen peccatum potest, si opinionum discrepantia conjunctam habeat pertinaciam, vel errorem circa ea, quae sunt de necessitate salutis.

Ex quibus sequitur in dissensione unum quandoque dumtaxat peccare, alium vero minime. Scilicet quum unus vult bonum, alter hujus voluntati scienter resistit. Quandoque vero peccatum esse ex utraque parte, cum scilicet uterque dissentit a bono alterius, proprioque bono adhaereret.

Quam grave peccatum sit discordias inducere, intelligi potest ex illo Prov. 6. « Sex sunt quae odit Dominus, et « septimum detestatur anima ejus » et hoc septimum ponit in eo « qui seminat inter fratres discordias ». Sed notandum est malum non esse, imo laudabile, dirimere pravam hominum in malo consentientium conspirationem, et concordiam. Quo pacto legitur act. 23. D. Paulus orationem habuisse ex qua inducta est dissensio pharisaeos inter, et sadducaeos.

De Pertinacia.

Pertinacia ex D. Th. 2. 2. q. 138. art. 6. est perseverantia in propria sententia plusquam oportet, eaque oritur ex vanagloria propter nimiam proprii judicii aestimationem. Pertinaciae crimine se involvunt, qui veritatibus ab Ecclesia definitis, sive ad mores pertinentibus, firmam plenamque assensionem praebere detrectant, ut in sua sententia permaneant, eaque est propria haereticorum pertinacia. Tum etiam qui propriae opinionis studio definitiones Ecclesiae acutis, ut sibi blandiuntur, et subtilibus, sed revera contortis, et ina-

nibus interpretationibus eludunt, qui suae sententiae innituntur, nolentes credere sententiae saniori, ut habet S. Th. 9. de malo art. 3. Qui denique in consiliis, vel comitiis, in quibus res aguntur ad Ecclesiae, vel reipublicae, vel cujusvis societatis bonum pertinentes, aequiorem, et saniorem, sententiam postponunt minus justae, quam ipsi aut proposuerunt, aut semel amarunt.

De Inobedientia.

Inobedientia generatim dici potest omnis cujuscumque praecepti violatio. Sed ut recte animadvertit D. Th. 2. 2. q. 105. art. 1. ad 1. Talis violatio non constituit propriam speciem peccati inobedientiae, nisi cum habet adjunctum ipsum praecepti contemptum, quia ex fine morales actus speciem habent. Quare si quis facit contra praeceptum, non ex contemptu auctoritatis, et imperii, sed propter alium finem, erit materialis tantum inobedientia. Ipsa autem violatio praecepti pertinebit ad aliam speciem peccati, velut furti, detractionis etc., non autem erit peccatum inobedientiae proprie dictum.

Inobedientia formalis, violatio scilicet praecepti ex contemptu, peccatum est ex genere suo mortale, adversatur enim caritati Dei, et proximi. Nam ut habetur Lucae 10. *Qui vos spernit, me spernit.* Et ad Rom. 13. *Qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit.* Est autem inobedientiae peccatum eo gravius, quo praeceptum de re graviori, et quo major est auctoritas praecipientis. Caeterum in rebus etiam minimis potest lethalis esse inobedientia, si contemptus sit perfectus, et absolutus, cum nimirum quis ita est affectus, ut nullo modo velit parere superiori, quidquid praecipiat, et ideo renuit obedire, quia est praeceptum.

De Praesumptione novitatum.

Novitatum praesumptio vitium est, quo quis inanis gloriae studio contra probata veterum instituta novitates inducere aggreditur. Tales sunt qui novas, easdemque periculosas opiniones in morum disciplinam invehunt. Qui novas aut vestium, aut epularum, aut spectaculorum formas, et apparatus excogitant, quibuus luxus, et intemperantia fovetur,

novaeque illecebrae cupiditatibus admoventur. Ut autem intelligatur, quid in eo genere sit novitatis nomine accusandum, regula haec generalis adhiberi potest: perniciosae novitatis esse, quidquid ab auctoritate Scripturae, ab Ecclesiae traditione, et institutis, a sanctorum Patrum sententiis, constitutisque decretis dissentit.

QUAESTIO II.

De avaritia.

CAPUT I.

De avaritia natura, et pravitate.

Avaritia definitur immoderatus amor divitiarum. Cum autem in divitiis existat ratio boni utilis, siquidem divitiae referuntur ad usum vitae, hinc fit, ut cupido divitiarum specie distinguatur a cupiditatibus, quae in ea objecta spectant, in quibus existit ratio boni delectabilis. Ex quo concludit S. Th. 2. 2. q. 118. art. 2. avaritiam pro peculiari sui objecti ratione esse peccatum speciale. Jam vero ex hoc, quod divitiae ad vitae usum, tanquam finem, natura sua referantur, illud est consequens, ut ex hoc usu, tanquam regula, definienda sit, ac terminanda divitiarum appetitio, nec aliter expetantur, quam prout necessariae sunt ad vitam cujusque secundum suam conditionem, ut statuit S. Doctor art. 1. Nam quidquid est ad finem, commensurari debet ipsi fini, ut medicina sanitati. Quod autem eam, quae ex fine est, mensuram praetergreditur, vitiosum fieri necesse sit. Ex quo patet qui sit immodicus amor divitiarum, et quemadmodum sit peccatum.

Haec porro immoderatio circa divitias, duplici ratione attendi potest. Aut enim immoderatio, quae per avaritiam inducitur, est in ipsa divitiarum acquisitione, et conservatione, tumque illa immoderatio consistere nequit sine injuria proximi; cum enim bona temporalia nequeant simul a multis possideri, quod uni superfluit, necesse est aliis deficere. Unde si quis aut acquirit, aut conservat pecuniam ultra debitum, consequens est, ut alii minus habeant,, quam ipsis debitum est. Hoc pacto avaritia opponitur justitiae, in

quantum scilicet aliquis acquirit pecuniam ultra debitum aliena surripiendo, vel retinendo. Ita D. Th. art. 3. Hoc modo accipitur avaritia Ezech. 23., ubi avari describuntur quasi lupi rapientes praedam ad effundendum sanguinem, et avara lucra sectanda. Sic etiam Tullius, aut quisque est auctor librorum ad Herennium lib. 4., avaritiam ait esse injuriosam appetitionem aliorum.

Alio modo avaritiae immoderatio spectari potest circa interiorem affectum ad divitias, cum nimirum eas quis immoderate appetit, aut in his immoderate delectatur; atque hoc pacto avaritia opponitur liberalitati, cujus est interiorem illam affectionem moderari.

Avaritia prout opponitur justitiae, peccatum esse genere suo mortale, iisdem argumentis constat, quibus evincitur, injustitiam ipsam esse genere suo lethale: quare in hoc declarando non est cur diutius immoremur.

Ut vero liberalitati opponitur, distinctio est adhibenda, quam facit D. Th. art. 4. Vel enim tantum amor divitiarum crescit, ut praeferatur caritati Dei, et proximi, tumque etiam est peccatum mortale: vel immoderatio cupiditatis divitiarum in hoc sistit, ut quamvis superflue quis eas expetat, non tamen earum amorem praefert amori Dei, vel proximi, tumque est solummodo peccatum veniale, quod quidem est manifestum. Siquidem peccatum mortale illud est, quo caritas tollitur, veniale, quod non tollit caritatem.

Verum in hoc aliquid esse potest difficultatis, utrum, et quomodo avaritia, quae nullam habeat injustitiae adjunctam labem, caritati adversetur. Ad cujus rei explicationem sit.

PROPOSITIO.

Avaritia sine ulla etiam injustitiae admixtione, multis ex capitibus adversari potest caritati, fierique adeo peccatum mortale.

Pr. Affectus deliberatus, quo quis ad bonum creatum convertitur, sicut ad finem, adversatur caritati, estque peccatum lethale. Nam ut ait S. Th. q. 13. de malo art. 2. inde oritur aversio ab incommutabili bono, quod debet esse ultimus finis. Atqui quandoque amor, et desiderium divitiarum

tale est, ac tantum, ut ad eas, tanquam ad finem homo convertatur. Ergo etc.

1. Id contingit, cum diffidens quis divinae providentiae, et benignitati, vitae praesidium in divitiis quaerit, in iisque spem, et felicitatem collocat. Talis est, de quo dicitur psalm. *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et praevaluit in vanitate sua.* Et psalm. 48. *Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.*

2. Quum quis ita cupide suis inhaeret divitiis, ut eas propter Deum amittere non sit paratus. Huic caussae tribuit S. Cyprianus multorum christianorum defectionem: « A fide « decepit, inquit lib. de lapsis, multos patrimonii sui amor « caecus, nec ad recedendum parati esse potuerunt, quos « facultates suae, velut compedes, ligaverunt, illa fuerunt « remanentibus vincula, illae catenae, quibus et virtus re« tardata est, et fides pressa, et mens vincta, et anima « praeclusa, ut serpenti terram secundum Dei sententiam « devoranti praeda, et cibus fierent, qui terrestribus cupidi« tatibus inhaererent ».

3. Cum tanta cupiditate fertur animus in divitias, ut etiamsi abunde suppetant, quae requiruntur ad vitam pro status conditione honeste transigendam, nulla tamen fiat in exagerandis copiis cessatio, nulla intermissio, quippe ista augendarum sine fine divitiarum cupiditas animum prodit divitias sine fine diligentem, illisque adeo, tanquam fini, adhaerescentem, non eas tanquam media sumentem ad necessaria vitae munia. Hinc Isai. 5. « Vae qui conjungitis domum ad « domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum lo« ci: Nunquid habitabitis vos soli in medio terrae? » In quae verba D. Hieron. « Quae rabies, inquit, quum tecta, « et agri ad depellendos imbres, et ad serendas fruges ha« bere debeant, ea habere cupere, in quibus cunctis habitare « non possis, et quae colere non sufficias, alteriusque neces« sitatem suam facere voluptatem? « Valet in eamdem sententiam Christi parabola Luc. 12. « Hominis cujusdam divi« tis uberes fructus ager attulit, et cogitabat intra se dicens: « quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos? « et dixit: hoc faciam: destruam horrea mea, et majora fa« ciam, et illuc congregabo omnia, quae nata sunt mihi, « et bona mea, et dicam animae meae: anima habes multa

« bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, « epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam «tuam repetent a te: quae autem parasti cujus erunt? Sic « est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives ». Bene autem advertit Augustinus Serm. 178. de verbis Apostoli, divitem istum nullo notari vitio injustitiae, sed nimio tantum affectu in divitias. « Non de cujusquam vicini agris, non limite perturbato, non spoliato paupere, non circumvento simplici, sed tantummodo de suis colligendis cogitabat ». In eo porro quod stultus a Deo appellatus fuerit, in eo judicium divinum demonstrat Augustinus: « Non « sic dicit Deus stulte, quomodo homo dicit. Tale in quem- « quam Dei verbum judicium est. Nunquid enim Deus stul- « tis daturus est regnum caelorum? quibus autem non est « daturus est regnum caelorum, quid eis restat nisi poena « gehennarum? »

Huc pertinet quod ait Christus Math. 6. « Nolite the- « saurizare vobis thesauros in terra . . . ubi enim est the- « saurus tuus, ibi est et cor tuum ». Quippe thesaurus quid aliud est, quam quo fruitur animus, non utitur, cui proinde corde, seu toto affectu, et amore inhaerescit? Proinde illo eodem loco dicitur: *Non potestis Deo servire, et mammonae.* Hinc apostolus ad Ephesios 5. avaritiam vocat idolorum servitutem. *Hoc enim colitur quod diligitur*: inquit S. Augustinus. Hinc ad Rom. 6. « Nescitis, quoniam cui exhibetis vos ser- « vos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive « peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam ». Qui- « bus omnibus non obscure significatur, etiam sine ulla injustitia tanta quandoque cupiditate divitiis haerere animum, ut in iis finem suum constituere videatur, eaque proinde *cupiditas*, ut ait Augustinus libro de quaestionibus 88. q. 36. *venenum sit caritatis.*

4. Sine ulla etiam injustitia fit avaritia lethalis, cum inducit ad ea praetermittenda officia, quae proximo ex caritate debentur, ut distinctius explicaturi sumus cap. sequenti.

Ex his sequitur 1. Avaritiae vitio non divites tantum, sed etiam pauperes implicari. Nam ut ait Augustinus in psalm. 15. *Quid tibi prodest, si eges facultate, et ardes cupiditate?* Unde cum Dominus dixisset, facilius est camelum intrare in regnum caelorum: Apostoli apud se dicentes, quis poterit

salvari? quid attenderunt? Non facultas sed cupiditates; viderunt enim ipses pauperes, etsi non habentes pecuniam, tamen habere avaritiam.

2. Avaritiam peccatum esse contra proximum, seipsum, et Deum. Contra proximum, nam, ut ait S. Cyprian. epist. 1. ad Donatum: « Ex avari pecunia nulla in clientes largitio est, cum indigentibus nulla partitio, et pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam sollicito labore custodiunt, ex qua non amicis, non liberis quidquam, non sibi denique impertiunt, possident ad hoc tantum, ne possidere alteri liceat ». Contra se ipsum, nam avaritia maxime pervertitur affectus hominis, rebusque inferioribus subjicitur, quo naturae humanae dignitas, et praestantia violatur quam maxime. Contra Deum; siquidem illa pravitate avari contra proximum et seipsum, ac naturalis ordinis perversione violatur lex aeterna, Deusque offenditur.

3. Avaritiam peccatum maximum dici aliquo modo posse. Nam ex duplici capite fieri potest inter peccata contentio gravitatis; ex parte boni, quod per peccatum tollitur, quod quanto majus est, tanto etiam est peccatum gravius. Alio modo ex parte boni, cui inordinate subditur appetitus humanus, quod quanto minus est, tanto est peccatum deformius. Turpius est enim subesse bono inferiori, quam superiori. Sunt autem facultates, utpote externae, infimae inter humana bona, sunt quippe minoris, quam bonum corporis, quod ipsum minus est bono animae. Ideoque avaritia, quo exterioribus etiam rebus appetitus subjicitur, quae bona sunt minima, deformitatem habet maximam. Ita D. Th. 2. 2. q. 118. art. 8.

4. Denique avaritiam esse morbum aliquo modo insanabilem, longeque periculosam; procedit enim ex defectu, in quem ipsa aetate ingravescente semper magis vergit humana natura; est enim ipsa jam natura per se deficiens, augeturque ista aetate deficientia, unde semper magis indiget externarum rerum praesidio, fitque adeo semper animus in avaritiam proclivior. Ita D. Th. ibid. ad 3.

CAPUT II.

De Avaritia per eleemosynam superanda.

Probat. S. Th. 2. 2. q. 32. art. 1. traditam his verbis eleemosynae definitionem. *Eleemosyna est opus, quo datur aliquid indigenti ex commiseratione propter Deum.* Ex quo patet eleemosynam opus esse misericordiae, quod ipsa etiam indicat vis graeci nominis, eaque ratione pertinere ad caritatem.

Cum autem homines aliorum ope indigeant in his, quae pertinent non ad corporis tantum, sed etiam ad animi salutem, propterea duplex eleemosynarum ratio constituitur, quarum aliae corporales dicuntur, spiritales aliae. Simul etiam utraeque pro diversa indigentiae ratione in septem genera distinguuntur: in corporalibus quidem pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, excipere hospitem, visitare infirmum, redimere captivum, sepelire mortuum, quae hoc versu continentur. *Visita, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.* In spiritualibus vero docere ignorantem, consiliam dare deliberanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offensas, molestos ferre; orare pro omnibus, quae etiam hoc versiculo comprehenduntur. *Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.* Ubi consulendi verbo non consilium tantum, sed etiam doctrina comprehenditur. De spirituali porro eleemosyna non hic loquimur, utpote cui avaritia directe non adversetur.

Quaeritur autem utrum, et quemadmodum eleemosyna corporalis posita sit in praecepto. Qua in re duo sunt imprimis attendenda, necessitas in indigente, superfluum in abundante. Necessarium dupliciter dicitur: Unum quod pertinet ad ipsam vitae, et corporis incolumitatem, alterum, sine quo non potest vita convenienter transigi secundum conditionem, et statum propriae personae, et aliorum, quorum cura incumbit alicui, ut ait S. Th. art. 6. Uno verbo aliud est necessarium vitae, aliud necessarium personae; primum ex natura, secundum ex officio, munere, dignitate cujusque definitur.

Triplex vero in ipso necessario gradus distinguitur, unus qui dicitur extremae necessitatis, eaque intelligitur, qua quis in proximum vitae discrimen adducitur, ut si hominem vi-

deas fame mox necandum, aut frigore, nisi opem tuleris: Alter est gravis necessitatis, quae aut in toleranda vita ingentem difficultatem affert, aut periculum gravis alicujus damni, velut carceris, infamiae etc. Tertius est gradus ejus necessitatis, quae communis dicitur, propterea quia communiter cernitur in iis, qui mendicando ea sibi quaerere opus habent, quae faciunt ad usum vitae. Hinc sequitur, gravi necessitati obnoxios esse, quibus ea desunt, quae ad statum quomodocumque tuendum necessaria sunt. Nam status imminutio ista, seu potius jactura, est certe temporale damnum gravissimum.

Notandum etiam diligenter ex D. Th. art. 6. Ejus necessarii, quod personam, et statum respicit: « Terminum non « esse in indivisibili constitutum, ita ut multis etiam additis non possit dijudicari esse ultra tale necessarium, et multis subtractis adhuc remaneat, unde possit convenienter aliquis vitam transigere secundum proprium statum ».

Itaque aliud judicium est faciendum de necessario ad statum absolute tuendum, quo sublato status ipse ruat penitus necesse est, ac de necessario tantummodo ad majorem quamdam decentiam status, quo detracto non propterea quis e statu dejicitur, sed solum non valet ornamenta illa sibi comparare, sine quibus conditio status consistit, et quae tametsi adsunt, eam conditionem praetergredi non censentur.

Ex his porro quae dicta sunt de necessario facile intelligi potest contrariorum lege, quid sit superfluum: sive superfluum vitae, aut naturae, illud nimirum, sine quo saluti corporis, et incolumitati sufficienter prospicitur; sive superfluum personae, sine quo haberi queunt quae requiruntur aut ad statum, aut ad status dignitatem, et amplitudinem conservandam.

PROPOSITIO I.

Eleemosynam de superfluo dare, et necessitatem patienti, est in praecepto.

Pr. Ex D. Th., cujus est allata propositio art. 5. Nullus punitur poena aeterna pro alicujus omissione, quod non cadat sub praecepto. Atqui aliqui punientur poena aeterna ob prae-

termissam eleemosynam, ut constat ex illo Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, esurivi enim, et non dedistis mihi manducare.* Ergo etc.

Pr. 2 Dilectio proximi est in praecepto. Ergo etiam ea sunt praecepta, sine quibus illa conservari nequit. Pertinet autem ad dilectionem proximi, ut non solum bonum ei velimus, verum etiam operemur. Juxta illud Joan epist. 1. cap. 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate.* Ut autem alicujus bonum et velimus, et operemur, necesse est, ut ei necessitatem patienti succurramus, quod fit per largitionem eleemosynae. Ergo etc.

Innumerabilia sunt in hanc rem Scripturae, et sanctorum patrum oracula. Joan. loco cit. « Qui habuerit substantiam « hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habe« re, et clauserit viscera sua ab eo quomodo caritas Dei « manet in eo? »

D. Greg. Homil. 20. in Evangelia explicans illa verba Joan. Baptistae Luc. 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas, similiter faciat*, ait: « Per hoc « hoc quod tunica plus est necessaria usui nostro, quam pal« lium, ad fructum dignum poenitentiae pertinet, at non so« lum exteriora quaeque, et minus necessaria, sed ipsa valde « nobis necessaria dividere cum proximis debeamus, scilicet « vel escam qua carnaliter vivimus, vel tunicam, qua ve« stimur; quia enim in lege scriptum est: diliges proximum « tuum, sicut te ipsum, minus proximum amare convinci« tur, qui non cum eo in necessitate illius, etiam ea, quae « sibi sunt necessaria, partitur ». Huc spectat illud, quod Ambrosio tribui solet, referturque prima parte decreti distinct. 86. cap. *Pasce*: « Quisquis pascendo hominem ser« vare poteras, si non pavisti, occidisti » D. Crysosth. Concione 2. de Lazaro. « Nostrae facultates, undecumque obve« nerint, illius sunt domini, cujus obsequio mancipati su« mus .... ideo uberiores divitias nobis indulsit Deus, non ut eas in scortationes, in temulentiam, in ingluviem, super« basque vestes, foedamque mollitiem effunderemus, sed ege« nis, et calamitosis earum largitione succurreremus.... qua« propter si quis majorem ejusmodi pecuniarum copiam, « quam poscat sua ipsius necessitas, suos in usus conver« tat, se gravissime plectendum esse noverit. Non enim ejus « sunt quae possidet, sed conservorum, quos egestas afflixe-

« rit. Parcamus igitur nostris opibus, ut alienis, ut vere in « nostram possessionem transeant: quomodo autem illis parcemus? Si eas non contulerimus in sumptus supervacaneos, « nec in nostros dumtaxat usus converterimus, sed in manus pauperum effuderimus. Nam quamtumvis opulentus fueris, creditarum tibi pecuniarum redditurus es rationem, si « ex eis impenderis plusquam tua necessitas postularet ». D. Ambrosius lib. 1. de officiis. cap. 30. « Grandis culpa si, « sciente te, fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, « fame laborare, aerumnam perpeti, qui praesertim egere « erubescat, si in caussam ceciderit, aut captivitatis suorum, « aut calumniae, et non adjuves, si sit in carcere, in poenis, et suppliciis propter debitum aliquod justum excrucietur, si tempore afflictionis suae nihil a te impetret, si tempore periculi, quo rapitur ad mortem plus apud te pecunia tua valeat: quam vita morituri ».

Atque illa quidem testimonia valere non solum ubi extrema, sed etiam gravi necessitate indigens premitur, satis ostendit: Primo ipsum indefinitum necessitatis vocabulum a D. Joan. adhibitum, quod sane ex communi omnium sensu, atque intelligentia, multo latius patet, quam ea, quae dicitur extrema necessitas: Secundo quod Chrysostomus docet: eo praecepto subveniendum esse calamitosis, quos egestas afflixerit. D. autem Ambrosius memorat etiam captivitatem, et carcerem, et calumniam, et poenas, et generatim aerumnas, afflictionem, periculum, quae omnia in gravi necessitate occurrunt: Tertio quod nisi sublevaretur gravis necessitas proximi, ea mox fieret extrema, ut patet. Est proinde concors theologorum sententia, eademque certa, et vera, teneri quemquam sub lethali de superfluo quod habet, subvenire indigenti, non in extrema tantum, sed etiam gravi necessitate positum.

Ut vero ubi speciatim occurrit extrema proximi necessitas sublevanda, disputatur, utrum de omni superfluo naturae, et vitae, atque adeo de necessario personae, et statui, opem proximo ferre debeamus. Multi prorsus ita existimant, hac praesertim ratione ducti, quod ipse caritatis ordo velit omnino, ut vita proximi statui proprio anteponatur; verum alii non assentiuntur, negantque teneri hominem sub lethali, quod sibi ad status conservationem necessarium est, erogare ad proximi extremam sublevandam inopiam. Moventur au-

tem his potissimum rationibus. Primo quod interest reipublicae, ut quisque statum suum conservet, siquidem ex privatorum statu ipse coagmentatur, et efflorescit status reipublicae; quare etsi vita proximi praestantius si bonum, quam status nobilis, aut divitis, si utrumque ex sese tantummodo spectetur, negant tamen, vitam unius hominis majus esse bonum, quam statum divitis, si spectetur hujus status conjunctio cum publico bono. Secundo, quod nemo teneatur pati abscissionem membri, vel totum patrimonium effundere ad medicinam parandam longe pretiosissimam, tametsi vitae conservandae necessariam, ex quo inferunt, non semper teneri homines minus bonum projicere ad servandum majus bonum, cum scilicet minus id bonum sine ingenti, et extraordinaria difficultate amitti nequit. Tertio, si praedo habens quempiam in potestate, ingentem pecuniae summam exigeret, nece alioquin hominem laceraturus, profecto non videretur quispiam lethalis noxae accusandus, qui nollet cum sui status gravissimo detrimento redimere hominem, aut latronis improbitati eripere.

Nobis ipsi non tantum sumimus, ut in hac doctissimorum hominum controversia certi quidquam statuere audeamus. Ut autem quae nobis videtur esse via planior breviter dicamus, duo potissimum animadvertenda censemus. Primum quod personae dicitur necessarium, aliud esse simpliciter, et absolute necessarium, quo deficiente status ipse prorsus corruat oportet. Aliud, quod ad majorem quamdam status decentiam pertinet, quo detracto non statim propterea status ipse amittatur. Alterum, quod etiam diligenter notari volumus, istud est, quod in ordine caritatis non ipsa solum est attendenda major, vel minor boni diligendi praesentia, et dignitas, verum etiam et ipsa major, et minor cum diligente conjunctio, ut plane docet S. Th. 2. 2. q. 26. de ordine caritatis; quibus postis.

Si agitur de eo, quod simpliciter, et absolute necessarium est personae, non videtur quisquam sub lethali obligatus id necessarium detrahere ipse sibi, ut extremae proximi necessitati consulat: tametsi hoc plerumque sit admodum laudabile. Haec sane videtur esse sententia D. Th. q. 32. art. 6. cujus haec sunt verba. « Inordinatum esset, si aliquis tan-
« tum sibi de propriis bonis subtraheret, ut aliis largiretur,
« quod de residuo non posset vitam transigere convenienter

« secundum proprium statum, et negotia occurrentia, nullus enim inconvenienter vivere debet ». Hic sane S. Th. vitiosam docet esse, et inconsultam largitionem eam, qua quis rem familiarem prorsus everteret. Tria vero esse demonstrat, quae cum eveniunt, omnem vitii notam removent, ex effusa liberalitate, quae status convenientiam tollit: « Quorum, inquit, primum est, quando aliquis statum mutat, « puta per religionis ingressum; tunc enim omnia sua propter Christum largiens, opus perfectionis facit se in alio « statu ponendo. Secundo quando ea, quae sibi subtrahit, « etsi sint necessaria ad convenientiam vitae, tamen de facili resarciri possunt, ut non sequatur maximum inconveniens. Tertio quando occurreret extrema necessitas alicujus privatae personae, vel etiam aliqua magna necessitas reipublicae; in his enim casibus laudabiliter praetermitteret aliquis id, quod ad decentiam sui status pertinere videatur, ut majori necessitati subveniret ». Laudabile id quidem affirmat esse S. Doctor, non debitum ex praecepto. Neque vero unum ex alio sequi videtur, ut infert Natalis Alexander, sed potius unum alteri opponitur. Nam cum D. Th. constituisset eam esse vitiosam liberalitatem, qua quis ea effundit quae sunt necessaria statui, affert postmodum exceptiones huic generali sententiae adscribendas, quarum proinde haec vis est, ut ab omni labe purgare valeant profusam liberalitatem illam, non ut eam necessariam etiam, ac debitam efficiant. Moveor etiam eo, quod habet S. Doctor q. 26. art. 5., ubi constituit, magis esse diligendum ex charitate proximum quoad animae salutem, quam corpus proprium. Quippe id sibi objicit, non omnem hominem teneri exponere corpus proprium pro salute proximi, sed hoc esse perfectorum. Cui difficultati hoc pacto respondet ad 3. « Dicendum, quod cuilibet homini imminet cura proprii corporis, non autem cuilibet homini imminet cura de salute proximi, nisi forte in casu necessitatis, et ideo non est « de necessitate caritati, quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur ejus saluti providere; sed quod aliquis sponte ad hoc se offerat, « pertinet ad perfectionem caritatis ». Quo posito sic fas est argumentari: Non minus praestat salus ipsa, et spiritualis vita proximi conservationi, et bono proprii corporis, quam praestet vita corporalis proximi conservationi, et bono status

seu personae. Atqui nihilominus ex D. Th. nemo tenetur ex necessitate charitatis proprium corpus exponere pro salute proximi, nisi cui specialis cura incumbit; sed hoc pertinet solum ad perfectionem charitatis. Ergo etiam nemo censendus est teneri ex necessitate charitatis exponere totum suum statum pro vita temporali proximi, sed hoc solum pertinet ad perfectionem charitatis. Unde id quidem laudabile esse, concludi potest, quod ait S. Th. loco cit.; prorsus esse debitum concludi non potest, nec ait S. Th. Constant autem in hoc sibi mirifice principia sancti doctoris, quia ut ex ipso vidimus, in ordine charitatis non ipsa tantum spectanda est excellentia objecti diligendi, sed etiam arctior cum diligente proximitas, et conjunctio.

Illud insuper me movet aliquantum, quod video a sapientissimis Theologis esse constitutum, in proximo sublevando eamdem fere habendam rationem gravis necessitatis, atque extremae, propterea quod gravi ex necessitate praeceps sit lapsus in extremam. Jam vero nequit homo honoratus, et nobilis e gradu suo penitus dejici, quin incidat in gravem miseriam, et necessitatem. Si enim ipsum redigis ad solum naturae necessarium, profecto non aliud ei relinques, quam quod necessarium est ad se, suamque familiam quomodo, et plebejo prorsus modo sustentandam; quod etsi naturae sufficit, non satis est tamen, ut valeat reliqua, quae sunt vitae transigendae necessaria, sibi comparare, nam plurima ipso labore corporis et industria sibi plebeji homines comparant adjumenta vitae, atque honoratus homo se, suosque demittere nec deberet, si posset, nec insuetus, et inexercitatus posset, etiamsi maxime vellet. Quocirca in eo statu positus haud valeret liberis eam, quam maxime oportet, educationem adhibere, nec filias elocare, nec illis quae ad reliquum vitae tempus e re forent, relinquere. Quis autem eam egestatem, et inopiam, quacum tamen consistere potest necessarium naturae, gravissimae necessitatis loco merito habendam esse non censeat? Quocirca si nequit quisquam e statu suo penitus excidere, ut extremae alterius necessitati opem ferat, quin ipse in gravem necessitatem incidat, finitimam extremae, profecto nemo videtur obligandus in extrema etiam necessitate proximi, sibi ea detrahere, quae ad statum retinendum sunt absolute, et simpliciter necessaria.

Si vero agitur de necessario illo, quod solum pertinet ad status decentiam, estque tale, ut suscipiat magis et minus, ita ut multis additis, ut docet S. Th., non prodeat extra modum necessarii, multis vero detractis, adhuc supersit, unde convenienter vita transigi queat, non dubitamus affirmare de illo additorum genere, sive de illa copia, tametsi necessarii ad decentiam limites non praetergrediatur, multa esse detrahenda, cum occurrit gravis proximi necessitas; in extrema tantum esse impertiendum, ut sine status amissione, vix quidquam amplius detrahi possit. Neque aliud innuere videtur testimonium D. Th. in 4. Sent. dist. 15. q. 2. art. 1. quaestiuncula 4. « Praeceptum legis ad haec obbligat, ut « illud quod superest alicui, post subventionem perfectam, « et sibi conjunctis, caput familiae, quam gubernare debet, « respectu utriusque necessitatis in eleemosynas expendat ad « subveniendum aliis respectu utriusque dictarum necessitatum . . . ., et similiter praeceptum legis obligat, quod etiam « necessitati extraneorum absolutae primo subveniatur, quam « necessitati propriae, vel propinquorum conditionatae; et « ideo dicitur conveniens, quod dare eleemosynam de superfluo cadit in praecepto, et sic dare eleemosynam ei, « qui est in extrema necessitate; dare autem de eo, quod « est necessarium necessitate secunda, non autem de eo, « quod est necessarium necessitate prima, quia hoc esset « contra ordinem charitatis ». Ai ergo S. Doctor impertiendum quidem esse proximo extrema necessitate laboranti de eo, quod est necessarium necessitate secunda, seu conditionata, quam dicit illam esse, quae pertinet ad status decentem conservationem, sed profecto impertiri aliquid ad decentiam status, non idem est ac totum elargiri, quod simpliciter, et absolute necessarium est ad statum conservandum. Primum esse in praecepto docet S. Th., non secundum; imo cum status amissionem gravis continuo necessitas consequatur, ut dictum est, ex hoc jure concludere possumus, illud ipsum, quod est necessarium necessitate prima, quodque omnino requiritur ad subventionem perfectam, ut ait S. Th., naturae, ac vitae, desinere, et compleri in illo gradu, in quo incipit necessarium statui, et personae, juxta illud philosophorum effatum, quo statuunt, inferioris ordinis supremum gradum esse infimum gradum superioris. Quare cum ex cit. D. Th. loco praeceptum eleemosynae non obliget, nisi

de eo quod superest ad subventionem perfectam, perfecta autem subventio in ordine naturae comprehendat infimum gradum necessarii in ordine status, nempe necessarium illud, quo detracto status plane corrueret; videtur ex eo colligi posse non obligare praeceptum eleemosynae, ut quis statum suum penitus amittat ad subveniendum extremae proximi necessitati.

Hioe tametsi contenderet quisquam locum sup. cit. ex q. 32. art. 6. sic interpretandum esse, ut quod ait S. Doctor urgente proximi necessitate extrema, laudabile esse illi opem ferre, ea in ipsum conferendo, quae pertinent ad status decentiam, id laudabile dicat, prout laudabile opponitur vituperabili, non vero prout excludit praeceptum; adhuc tamen praeclare cum mente sancti doctoris nostra potest constare sententia. Cum enim aliud sit statum conservare, aliud ea retinere, quae faciunt ad decentiam status, ex eo quod S. Th. docet laudabiliter facturum, qui occurrente proximi extrema necessitate, praetermitteret ea, quae facere videntur ad decentiam status, etsi concedatur laudabile hoc loco habere vim praecepti, solum efficitur, quod ipsi contendimus, nimirum, in extrema necessitate minime parcendum esse his, quae pertinent ad majorem quamdam status decentiam, et splendorem, non autem statum ipsum esse omnino abjiciendum. Et sane quum ea quaestione extremae necessitatis nomine, quo utitur D. Th., gravem etiam necessitatem comprehendi et Sylvius doceat, et res ipsa satis per se testetur; si occurrente tali necessitate, proprius status ex mente D. Th. laudabiliter abjiceretur, non possit autem e suo statu quisquam excidere, nisi incidat in gravem necessitam, sequeretur aliquem teneri gravem necessitatem pati, ut gravi proximi necessitati consulat. Ex quo confirmatur ibi S. Doctorem loqui de his, quae in decentia status magis et minus suscipiunt, non de his, quae ad statum retinendum sunt omnino necessaria.

PROPOSITIO II.

Communi tantum occurrente necessitate, tenetur quisquam sub lethali de superfluo eleemosynam elargiri.

Expressam propositionis hujus confirmationem necessariam facit praepostera nonnullorum Scholasticorum benignitas, divitum cupiditati plus sane, quam par est blandientium. De quibus Dominicus Soto haec habet lib. inscripto *Caussa pauperum* cap. 8. « Theologi scholastici ne divites vehementer perterrefacere videantur, multa comminiscuntur, antequam sub peccato mortali homines ad eleemosynas obligent, nempe quod habeant superfluum, quod pauperes graviter indigeant, aliaque hujusmodi . . . . At ubi Sanctos Patres attentus lego, existimo, quod neque in pauperibus tam gravem necessitatem, neque in divitibus tantam super statum redundantiam desiderabant, ut sub poena peccati mortalis eleemosynas elicerent, quin vix forte credebant esse hominem, si pauper ipse non esset, qui non aliquid haberet, quod erogare teneretur ».

Pr. autem facile propositio primo Lucae 11. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam*, qua generali Christi sententia liquet, quotiescumque adest superfluum, faciendam esse eleemosynam, ubi locus sit faciendae eleemosynae. Atqui occurrente communi tantum necessitate, locus datur eleemosynae faciendae. Ergo etc. Ita plane haec verba interpretatur S. Gregor. lib. 10. Epist. 30. ad Augustinum episcopum, ad interrogationem secundam: « Omne quod superest necessitatibus, in caussis piis, ac religiosis erogandum est, Domino, ac magistro omnibus dicente: *Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* ».

2. Ex terribili sententia, quam adversus reprobos laturus perhibetur Christus Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, esurivi enim, et non dedistis mihi manducare* etc. Ex quo dubitari non potest, lethalem omissionem eleemosynae plerisque hominibus caussam futuram damnationis aeternae. Jam vero non adeo frequens est extrema, aut gravis proximi necessitas. Igitur nisi occurrent communi tantum necessitate, urgeret praeceptum erogandae de superfluo eleemosynae, non nisi raro etiam eveniret, ut ob praeter-

missam eleemosynam lethali se culpa homines obstringerent. Non ergo tam late pateret lethale illud crimen, quam revera patere ostendit allata Christi sententia.

3. Ex illis Joan. Baptistae verbis Lucae 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas similiter faciat.* Idem colligit D. Hieron. Epist. 150. ad Ediliam, ubi docet: « Unius tunicae nomine significari quidquid corpori « nostro sufficere potest, et humanae succurrere imbecillita- « ti. Escarum vero, seu victus unius diei nomine, quidquid « in praesentibus alimentis necessarium est. » Tum addit: « Si plus habes, quam tibi ad victum, vestitumque ne- « cessarium est, illud eroga, et in illo debitricem esse « te noveris ».

4. Apostolus ad Ephes. 4. *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut tribuat necessitatem patienti.* Quod si Apostolus praecipit quibus facultates non suppetunt, ut proprio labore sibi comparent, quae impertiantur indigentibus, profecto inique, et turpiter, et perperam sibi blandiuntur, qui opibus abundantes necessitatem aviditate mentiuntur, nec sibi quidquam superfluere putant. Prima proinde ad Timoth. cap. 6. idem Apostolus: *Divitibus*, inquit, *hujus saeculi praecipi .... divites fieri in operibus bonis, facile tribuere.* Divitibus ergo praescribitur, ut facile tribuant: non igitur ubi adest tantummodo extrema, et gravis necessitas, quae raro occurrunt, et in quibus ea in tribuendo facilitas se prodere non possit.

Pr. 2. Ex traditione. D. Basilius hom. in illa Lucae verba: *Destruam horrea mea* etc. « Esurientis est, inquit, pa- « nis, quem tu retines: nudi est vestis, quam in arca servas, « discalceati calceus, qui apud te marcescit, indigentis ar- « gentum, quod possides defossum. Quocirca tam multis inju- « riam facis, quam multis opem conferre potuisti ». Chrysost. Conc. 2. in Lazarum sic monet divites: « Non plura « caeteris accepisti bona, ut solus ea consumeres, sed ut ea « proximis indigentibus impartiendo, boni dispensatoris glo- « riam tibi comparares ».

Ambrosius lib. de Nabbute cap. 12. « Ne dixeris, inquit « Deus, cras dabo: qui non patitur dicere, cras dabo, quo- « modo patietur dicere, non dabo? non de tuo largiris pau- « peri, sed de tuo reddis. Quod enim commune est in om-

« nium usum datum, tu solus usurpas. Omnium est terra,
« non divitum: sed pauciores, qui non utuntur suo, quam
« qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebi-
« tum. Ideo ait Scriptura: *Declina pauperi sine tristitia au-*
« *rem tuam, et redde debitum tuum, et responde illi pacifi-*
« *ca mansuetudine* ». Et Serm. 8. in Psalm. 118. « Miseri-
« cordia quidem justitiae portio est, ut si velis donare pau-
« peribus, misericordia haec justitia est ». Revera miseri-
cordia, quae benignitas dicitur, virtus est annexa justitiae, tametsi a perfecta justitiae ratione deficiat. Ex quo intelligi potest, quae sit ista ratio debiti, quod Sancti Patres magnopere urgent, ubi de officio eleemosynae pertractant.

Augustinus in illa Domini verba apud Aggaeum cap. 2. *Meum est aurum, et meum est argentum:* haec habet: « Meum
« est, inquit, aurum, et meum argentum, non vestrum o
« divites terrae. Quid ergo dubitatis pauperi dare de meo,
« aut quid extollimini, cum datis de meo »?

Greg. Magnus part. 3. Pastoralis Curae Admonitione 22.
« Admonendi sunt quoque, inquit, ut sollicite attendant,
« quod ficulnea quae fructum non habuit, contra hanc
« districtius agricola queritur, quod etiam terram occu-
« pavit. Terram quippe ficulnea sine fructu occupat, quan-
« do mens tenacium hoc, quod prodesse multis poterat, inu-
« tiliter servat ».

De mente vero D. Th. etsi nonnulli dubitant, nulla tamen videtur esse ratio dubitandi; dubitant autem propterea quia D. Th. q. 32. art. 6. duplicem conditionem requirere videtur, ut quis alligetur praecepto eleemosynae, nimirum quod superfluum habeat, et quod pauper laboret extrema necessitate; ex quo concludunt, si non adsit pauper, quem premat extrema, vel gravis necessitas, non obstringi quempiam sola superflui ratione ad eleemosynam erogandam, communem tantum necessitatem patientibus. Verum in hoc hallucinatur, quod ea duo sic posita putent a D. Th., quasi duas conditiones, quae simul concurrere debeant ad inducendam obligationem eleemosynae, et non potius velut duo fundamenta ejusdem obligationis. Sic enim perspicue mentem ipse suam explicat pluribus locis, velut loco cit. ex 4. sent., et 2. 2. q. 118. art. 4. ubi duplicem hunc titulum expresse distinguit, adstruens debitum esse « Bona sua pauperibus ero-
« gare, vel propter periculum necessitatis, vel etiam propter

« periculum necessitatis, vel etiam propter superfluitatem « habitorum ». Sic ergo intelligendus est D. Th. ut velit, extremam necessitatem requiri, qua gravis etia conprehenditur, ut qui alicui determinate opem ferre teneatur, caeterum communi tantum occurrente necessitate: « Cum non possit, « ut ipsemet ait illa q. 32. art. 6., ab aliquo uno omnibus « necessitatem habentibus subvenire, talem necessitatem non « inducere quidem obligationem, uni potius, quam alteri « subveniendi ». Attamen propter ipsum superfluum vigere semper obligationem illius in pauperes erogandi, prout etiam docet q. 66. art. 7. « Res, quas aliqui superabundanter « habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi ». Ubi certe non loquitur de pauperibus extrema necessitate afflictis.

Adversus constitutas propositiones multa comminiscitur callida simul, et improba opum aviditas.

Obj. 1. Largitionem eleemosynae non esse in praecepto, nam consilia distinguuntur a praeceptis. Sed eleemosynam dare est consilii juxta illud Danielis 4. *Consilium meum Regi placeat, peccata tua eleemosynis redime.* Ergo etc.

R. S. Th. q. 32. art. 5. ad 1. « Quod Daniel loqueba- « tur regi, qui non erat legi Dei subjectus, et ideo ea « etiam, quae pertinent ad praeceptum legis, quam non « profitebatur, erant ei proponenda per modum consilii; « vel potest dici, quod loquebatur in casu illo, in quo da- « re eleemosynam non est in praecepto ». Mihi etiam videtur alia se offerre commoda hujus legis explicatio, nimirum: haec verba Danielis: *Consilium meum regi placeat*, non esse ad ipsam eleemosynam in se spectatam referenda, quasi rex ille Nabuchodonosor non esset divina lege, si non positiva, saltem naturali, obligatus ad eleemosynam, et consilio tantum ad id virtutis officium cohortandus: sed referenda esse ad ipsum Danielem, qui vocatus a rege ad somnii iterpretationem, cum ipse imperare regi non posset, consilium dedit, sive ipsum monuit, hortatusque est, ut vellet naturali eleemosynae praecepto satisfacere, simulque abundantioribus eleemosynis peccata redimere.

Obj. 2. Praecepta omnia revocantur ad praecepta decalogi. Atqui nullibi praecipitur in decalogo largitio eleemosynae. Ergo etc.

R. Cum D. Th. subventionem proximi omnem revocari

ad praeceptum de honoratione parentum. Sic enim inquit Apostolus ad Timoth. 4. « *Pietas ad omnia utilis est, promis-* « *sionem habens vitae, quae nunc est, et futurae*, quod dicit, quia « in praecepto de honoratione parentum additur promissio, « ut sis longaevus super terram. Sub pietate autem compre- « henditur omnis eleemosynarum largitio ». Recte sane: pie-tas enim virtus est, quae a parentibus manat in sanguine conjunctos, adeoque in omnes homines, utpote iisdem pa-rentibus ortos, unamque familiam constituentes.

Obj. 3. Cuilibet licet re sua uti, eamque retinere; sed quamdiu rem suam quis retinet, non facit eleemosynam. Li-citum est ergo non facere eleemosynam. Non igitur prae-ceptum.

R. S. Th. « Quod bona temporalia quae homini divini-« tus conferuntur, ejus quidem sunt quantum ad proprieta-« tem, sed quantum ad usum, non solum debent esse ejus, « sed etiam aliorum, qui ex eis sustentari possunt, ex eo « quod ei superfluunt. Unde Basilius dicit: Si fateris ea tibi « divinitus provenisse, an injustus est Deus inaequaliter res « nobis distribuens? Cur tu abundas, ille vero medicat, nisi « ut tu bonae dispensationis merita consequaris, ille vero « patientiae braviis decoretur? » Et reliqua quae superius dicta sunt.

Obj. 4. Ait porro cupiditas tam multa necessaria esse ad statum cum ea, quae par est, dignitate tuendum, eam vero temporum difficultatem, ut nihil revera locupletes etiam qui dicuntur homines, redundantis habeant, quod erogent in pau-peres.

R. Scilicet illa est vox cupiditatis, quam repressit Inno-centius XI propositione damnata 12. « Vix in saecularibus, « etiam in regibus, invenies superfluum status et ita vix ali-« quis tenetur ad eleemosynam, quando tenentur tantum ex « superfluo statui ». *Multa superflua habemus*, inquit Au-gustinus in Psalm. 147., *si nonnisi necessaria tenemus; nam si inania quaeramus, nihil sufficit.*

Errant sane, qui status sui splendorem, et dignitatem in profuso, et immoderato luxu constituunt; nihil est profecto decorum, quod est immoderatum, ut ipsa proinde ratio de-cori admonere possit, in tuendo statu modum esse adhiben-dum. Nonnulli equidem hoc nostro aevo procacioris ingenii homines, paratique ad omnem scribendi licentiam, luxum

non excusare modo, verum etiam honestare aggressi sunt: at quidquid illi commenti fuerint, stat sapientium sententia: profusum luxum, tanquam pernicissimam flammam, non solum respublicas absumere, sed et regna ipsa, et imperia, eademque amplissima. Alit luxus iste in civitatibus multitudinem aliquam maleferiatorum hominum; at rusticationis labores, quorum fructus agricolarum necessitati subductos misere vexat, ac distrahit, languere cogit, quibus et agri abundantiori frugum copia laetificarentur, et rura ipsa frequentioribus incolis illis celebrarentur, in quibus reipublicae, et imperii maximum robur, et praesidium positum est.

Quocirca in sumptibus, qui ad decorum in statu vitae conservandum pertinent, haec adhibeatur regula, quam non Christiana tantum charitas, sed ipsa moralis probitas efflagitat quam maxime, ut in splendidissima etiam magnificentia, semper aliqua extet species moderationis, et frugalitatis. Quam frugalitatem si praeseferre volent divites, et velle debent, multa profecto sibi redundare sentient, quae possint conferre ad sublevandam inopum miseriam.

Obj. 5. Illud etiam jactari solet ad totam minuendam superabundantis rationem, nihil ei superesse, qui velit in futurum tempus prospicere. Quid enim superfluere sibi posse arbitretur, qui cogitet, multis liberis esse providendum, doties conficiendas, tam multas imminere tum publicas, tum privatas saepe inopinatas calamitates, bella, caritatem annonae, fluminum exundantiones, aliaque similia?

Illud etiam additur, nemini non licere de statu suo vel augendo, vel multiplicando cogitare. Atqui tamen nemo potest ex tenuiori statu in ampliorem ascendere, nisi multa reservet priori statui superflua. Igitur non videtur culpandus qui, communi praesertim occurrente tantum necessitate, de superfluis non elargitur.

R. Patrem familias aliquam pecuniam servare posse in futurum tempus, qua familiae necessitatibus, et commodis consulat, et imminentibus periculis, et calamitatibus occurrat, id nemo diffitetur, modo in illis comparandis opibus prudentiae judicium, non cupiditatis libidinem sequatur. Est autem prudentiae in congregandis in futurum tempus divitiis eum modum adhibere, quem rerum, et temporum conditio postulat. Non inanes metus obtrudere, non vana, et extraordinaria pericula fingere, sed ea praevidere, et providere,

quibus probabili iudicio providendum erit. Itaque sublata cupiditate, non est dubitandum, quin prudentia multa sit liberalitati concessura, quae in pauperes eroget.

Quod vero attinet ad status commutationem, non est dubitandum, quin licite quisquam possit interdum ex humiliore statu in altiorum conscendere. Neque id eleemosynae praecepto adversatur. Tantum est intelligendum honestis, licitisque mediis, et gradibus ascensum fieri oportere ex inferiore loco in superiorem, non sordida avaritia, non inani fastu, et ambitione. Sic autem plerumque honeste status commutatur cum laudabili labore, et industria, velut in mercatura facienda, vel in militia, aut in magistratibus defungendis homo humili fortuna, et loco natus honestiorem jam, et splendidiorem personam induere incipit, ac sustinere. Cui deinde personae nihil convenientius, quam ut ex opibus legitime partis, quae ipsi obveniunt, statum, et patrimonium congruens constituat. Quo posito intelligitur, quemadmodum ea, quae superflua fuissent priori ejus conditioni, non jam sit superflua ei conditioni, quae naturaliter illius industriam, munera, personam sequitur. Sed tamen in hoc statu constituendo semper est modus tenendus, non avaritiae, aut cupiditati obsequendum. Quamobrem in illa etiam commutatione multa suppetent, quae prudentia merito superflua judicet impartienda in necessitates pauperum.

CAPUT III.

De nonnullis conditionibus ad eleemosynae praeceptum pertinentibus.

Sequitur, ut paucis quaestionibus per varia circumstantiarum genera conditiones explicemus, quibus affecta eleemosyna esse debet.

Quaeritur itaque 1. De personis alterius potestati subditis, num, et quomodo facere possint, aut debeant eleemosynam. Hac questione comprehenduntur monachi, uxores, filii familias, pupilli, et minores servi. Generalis regula est tradita a D. Th. 2. 2. q. 32. art. 8. « Qui sunt sub potestate constituti, de re, secundum quam subjiciuntur superiori, eos non debere eleemosynam facere, nisi quatenus fuerit eis a superiore concessum ». Excepto eventu ex-

tremae necessitatis. Qua vero in re non subjiciuntur alienae potestati, posse illos, et debere, non secus ac ii, qui sui juris existunt, eleemosynas facere. Hinc respondetur communiter primo de monacho: si habet commissam a praelato bonorum administrationem, posse ipsum de rebus monasterii, prout sibi commissum est, eleemosynas facere: secus non posse, nisi e licentia, vel expressa, vel probabiliter praesumpta praelati: quod locum habere intelligitur, quum agitur de pecuniis in ejus usum concessis, itineris v. g., aut studiorum causa. Quibus in rebus quod sibi monachus parsimonia sua detraxerit, potest laudabiliter erogare in pauperes. Quod si monachus aut parochus sit, aut beneficio aliquo potiatur, cum eo ipso munus dispensationis sustineat, non est dubium, quin possit, et debeat eleemosynae officio satisfacere.

2. De uxore haec statuit D. Th. loco cit. ad 2. « Si « uxor habet alias res praeter dotem, quae ordinatur ad su- « stentanda onera matrimonii, vel ex proprio lucro, vel « quocumque alio licito modo, potest dare eleemosynam, « etiam irrequisito assensu viri, moderatas tamen, ne ex « earum superfluitate vir depauperetur; alias autem non de- « bet dare eleemosynas sine consensu viri vel expresso, vel « praesumpto, nisi in articulo necessitatis ». Quam sententiam D. Th. sic Doctores interpretantur, ut non de omnibus, quae mulier suo labore, et industria sibi comparat, possit eleemosynam facere, nisi dotem attulerit sustinendis matrimonii oneribus plane sufficientem. Deinde posse ipsam de bonis mariti moderatas eleemosynas largiri, cum nacta est rei familiaris administrationem. Tum invito etiam marito non prohiberi a moderatis eleemosynis suae conditioni convenientibus; est enim uxor non serva, sed socia, et particeps domesticae admnistrationis, licet cum subiectione ad maritum: id vero locum habere, nisi immineant rixae, et discordiae.

3. Eadem generalis regula valet de pupillis, et minoribus, qui de praesumpta tutorum, ac curatorum licentia modicas eleemosynas jure faciunt, non item magnas, quin etiam tutoribus ipsis, et curatoribus ita credita est censenda bonorum ad pupillos, et minores pertinentium administratio, ut non ipsis interdicta sit moderata eleemosynarum largitio pro pupillorum statu, et conditione.

4. Cum eo quae sunt filii familias, sint et patris, ut ait S. Th. loco cit. ad 3., non possunt ipsi eleemosynam facere, nisi permodicam, de qua scilicet praesumere possunt, quod patri placeat, nisi etiam alicujus forte rei administrationem sibi a patre concessam habeant: quod si tamen filius familias peculium habeat castrense, comparatum nempe ex militari stipendio, aut quasi castrense, quod ex beneficio, vel officio publico, vel liberali donatione pepererit, ex eo potest, nulla etiam facultate patris, eleemosynas facere.

5. Denique de famulis planum est, non posse ipsos de dominorum copiis quidquam elargiri pauperibus, nisi eorum vel expresso, vel tacito interveniente consensu, qui tacitus consensus tamen non facile adesse est praesumendus, sed solum ubi levia quaedam, et dominis inutilia, qualia sunt aliqua de reliquiis mensae, distribuenda occurrant.

Quaeritur 2. Quibus elargiri eleemosynam debeamus. Generalis praeceptio est, neminem indigentem prorsus ex illo benignitatis, et charitatis officio repellendum esse, non peccatorem, non infidelem, non inimicum. Christiani est hominis Deum imitari patrem suum, *qui solem suum facit oriri super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos.* Et Christus ipse Lucae 6. sic praecipit. *Omni petenti te tribue*; et Apostol. ad Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi*; sed ita est improbis praestandum hujusmodi charitatis officium, ut eorum inopia sublevetur, non improbitas foveatur. Unde est illud Spiritus Sancti oraculum ecclesiastici 12. *Da bono, et non receperis peccatorem.* Cum scilicet peccator ex eleemosyna occasionem sumit in peccato perseverandi. Quamobrem illi sunt prorsus eleemosyna indigni, qui malunt turpi otio mendicando torpescere, magno cum incommodo reipublicae, quam honesto labore sibi necessaria comparare; iniquissimi vero sunt, qui improba mendicitate multas quandoque opes colligunt, aut cum aliunde habeant, arripere hac ratione non desinunt, qui nimirum veris pauperibus per summam injuriam aliorum beneficia eripiunt, quo nomine restituere omnino inique parta tenentur.

Hinc profecto non solum immunes a culpa, sed etiam laudandi magistratus, qui civitatibus peregrinos pauperes ex-

pellunt, sive quia exteris domestici praeferendi sunt, cum utrique succurri non potest, sive propter imminens quandoque periculum morborum, corruptelarum, proditionum, quae per illos homines importari metuunt; tum etiam cum robustos, et valentes homines mendicare non sinunt, ut praecluso desidiae aditu, labore suo, et industria sibi, ac reipublicae aliquando utiles esse incipiant.

Denique cum aliquis ordo in exercenda benignitate servari debeat, praeclare docet D. Th. hac quaest. 32. art. 9. Hominibus nobis aliqua propinquitate conjunctis ante, caeterisque paribus, subveniendum esse, quam aliis: esse hanc discretionis rationem adhibendam, quoad differentiam conjunctionis, sanctitatis, ut utilitatis, ut nimirum sanctiori personae, et magis indigenti, vel reipublicae utiliori ante subveniamus, quam personae propinquiori, maxime si non ea est propinquitate, ut specialem ejus curam gerere debeamus, aut non magna necessitate prematur.

Quaeritur 3. Utrum de male, et inique partis facienda sit eleemosyna.

Egregie, et paucis hanc quaestionem dissolvit S. Th. q. cit. art. 7. « Dicendum, quod tripliciter potest aliquid esse « illicite acquisitum: uno enim modo id quod illicite ab ali« quo acquiritur, debetur ei, a quo est acquisitum, nec po« test retineri ab eo, qui acquisivit, sicut contingit in rapi« na, et furto, et usuris: et de talibus, cum homo teneatur « ad restitutionem, eleemosyna fieri non potest: alio vero « modo est aliquid illicite acquisitum, quia quidem ille « qui acquisivit, retinere non potest, nec tamen debetur ei, « a quo acquisivit, quia scilicet contra justitiam accepit, et « alter contra justitiam dedit, sicut contingit in simonia, in « qua dans, et accipiens contra divinae legis justitiam agit: « unde non debet restitutio fieri ei qui dedit, sed debet in « eleemosynas erogari. Et tandem est ratio in similibus, in « quibus scilicet et datio, et acceptio est contra legem. Tertio « modo est aliquid illicite acquisitum, non quidem quia ipsa « acquisitio sit illicita, sed quia id, ex quo acquiritur, est « illicitum: sicut patet de eo, quod mulier acquirit per me« retricium: et hoc proprie vocatur turpe lucrum, quod enim « mulier meretricium exerceat, turpiter agit, et contra le« gem Dei, sed in eo quod accipit, non injuste accipit, nec « contra legem: unde quod sic illicite acquisitum est, reti-

« neri potest, et de eo eleemosyna fieri ». Hactenus D. Th.

De his vero, quae per aleas acquiruntur, statuit in responsione ad 2. « In ludo esse aliquid illicitum ex divino « jure, scilicet quod aliquis lucretur ab his, qui rem suam « alienare non possunt, sicuti sunt minores, et furiosi, et « hujusmodi: et quod aliquis trahat alium ex cupidate lu-« crandi ad ludum, et quod fraudulenter ab eo lucretur; et « in his casibus tenetur ad restitutionem, et sic de eo non « potest eleemosynam facere. Aliquid autem videtur esse il-« licitum ex jure positivo civili, quod prohibet universaliter « tale lucrum; sed quia jus civile non obligat omnes, sed « eos solum, qui sunt his legibus subjecti, et iterum per des-« suetudinem abrogari potest, ideo apud illos, qui sunt hu-« jusmodi legibus obstricti, tenentur universaliter ad restitu-« tionem, qui lucrantur, nisi forte contraria consuetudo prae-« valeat, aut nisi aliquis lucratus sit ab eo, qui traxit eum « ad ludum, in quo casu non tenetur restituere, quia ille « qui amisit, non est dignus recipere, nec potest licite reti-« nere, tali jure positivo durante: unde debet de hoc elee-« mosynam facere in hoc casu.

Quaeritur. 4. Utrum eleemosynae praecepto satisfieri possit per mutuum, vel commodatum.

R. Quandoquidem eleemosynae praeceptum est distinctum a praecepto mutui, urgetque omnes, quibus copiae superfluunt, ad communem etiam inopum necessitatem sublevandam, proprie loquendo non posse satisfieri praecepto eleemosynae per mutuum, et commodatum; quod etiam ex eo patet, quod si pauper in extrema necessitate victus, tantum ex alterius bonis surriperet, quantum opus est ad occurrendum extremae necessitati, non teneretur olim id restituere, quod abstulisset; quandoquidem quum in extrema necessitate omnia fiant communia, auferre idipsum jure suo potuisset.

Inique ergo dives inopis extremae necessitati subveniens, eum vellet restitutione obligare, sed omnino deberet eleemosynae praecepto satisfacere. Aliquando tamen evenire potest, ut quis charitatis praecepto, quo tenetur alteri subvenire, satisfacere queat per mutuum, vel commodatum; velut si qui nunc premitur gravi, et extrema necessitate, aliunde bona habeat, quibus erectus a praesenti calamitate frui possit; tum etiam quando necessitati alterius per solum usum rei consuli

potest; velut si quis equo praesente opus habeat ad evadendum mortis periculum, quo casu teneris equum ipsi utendum, non possidendum, concedere; quod satis ex se patet.

Quaeritur 5. Num qui praetermittit subvenire extremae proximi necessitati, teneatur ad restitutionem, et compensationem damnorum, quae ex ejus morte secuta sunt, erga eos quorum interest.

R. Duplex est de hac consultatione virorum doctorum sententia. Nonnulli, inter quos Cajetanus, et Turrecremata, teneri ajunt, his argumentis ducti. Primo quod extrema evadente necessitate, bona fiant jure naturae communia; quemadmodum erant olim ante divisionem jure gentium inductam. Secundo, quod pauper in extrema necessitate jure suo sibi sumere possit quae necessaria sunt ad eam propulsandam, nec jure ab eo impediri possit, e cujus bonis quod opus habet, accipit, nec restituere omnino teneatur; quibus probatur, eum esse vere dominum bonorum, quae faciunt ad extremam necessitatem sublevandam. Tertio quod sancti patres non verentur fures, et raptores appellare divites, qui deserunt pauperes extrema necessitate afflictos. Igitur ex doctrina patrum eodem restitutionis onere obligati tenentur, quo fures ipsi, et raptores.

Negant tamen alii gravissimi auctores, velut Suaresius, Vasquesius, Sylvius, quorum probabilior nobis etiam sententia esse videtur. Nam tametsi, extrema occurrente necessitate, bona fieri communia dicantur, quemadmodum communia erant ante inductam jure gentium bonorum divisionem; minime ex eo sequitur, neque ita est intelligendum, ut statim atque alius eget, ejus esse desinant, cui legitime obvenerunt; non enim aliena indigentia quemquam privat suo dominio. Sic ergo fiunt communia, primo quia ex una parte qui ea possidet, omnino debet ex iis extremae necessitati proximi subvenire: secundo quia potest ex alia parte qui premitur extrema necessitate, illam partem occupare, quae sibi est omnino necessaria, non aliter, atque potuisset occupare bona sibi occurrentia in statu primitivae communitatis ante inductam divisionem. Sed cum illa esset communitas, ut ajunt, negativa, profecto talis erat eorum bonorum conditio, ut non ante cujusquam propria essent, quam ab ipso fuissent occupata. Tametsi ergo revocentur bona divitum, ex-

trema occurrente necessitate, ad conditionem illius primaevae communitatis, semper constabit extreme indigentem non ante acquirere in eo quidquam dominii, quam aliquid ex iis occupaverit. Ex quo sequitur, eleemosynam ipsis deberi, non debito proveniente ex justitia commutativa, sed ex charitate, vel ex justitia late accepta pro quocumque officio debito, vel potius ex justitia legali, maxime si interveniat auctoritas principis, quem publica imminente praesertim calamitate, dubium non est, posse divites cogere, ut indigentibus quisque pro modo suo subveniant. Tametsi ergo dives praetermittendo eleemosynae officium, debito legali non satisfecerit, non tamen dici potest, eum retinuisse quod alienum esset, siquidem non adhuc occupatum ab extreme indigente; quamobrem nec justitiam commutantem violasse, nec restitutione teneri censendus est. Habet igitur indigens jus ad occupandum ex bonis divitis quantum opus est ad subveniendum suae extremae necessitati, sed non fit vere dominus, nisi per occupationem; quare nec impediri potest, ne occupet, quia jus habet ad occupandum nec restituere tenetur, quia ejus quod occupavit, verum dominium acquirit; quod si ergo dives pauperem extrema necessitate afflictum, volentemque sibi ex ejus bonis quidquam sumere, prohiberet, aut eriperet, quod jam sumpsisset, tum sane violator esset justitiae commutativae, eoque nomine obstrictus esset ad restitutionem, vel compensationem. Quod autem a sanctis patribus fures, et raptores vocentur avari, qui negant eleemosynam extremam necessitatem patientibus, sic est intelligendum, non quod eodem plane, sed quod simili genere improbitatis, et sceleris teneantur; utrique enim per summam injuriam proximum gravissime laedunt. Similis ergo improbitas, sed illi rapiendo, isti non largiendo quod largiri deberent, non eadem proinde ratio improbitatis, quandoquidem in primo, non in altero violatur justitia commutativa; qua fit, ut primi, non alteri ad restitutionem teneantur.

CAPUT IV.

De peccatis ex avaritia prodeuntibus.

Tametsi non repugnet, avaritiam, et aliud quodvis vitium capitale ex alio vitio interdum oriri, ipsam tamen ca-

pitale vitium esse, ex hoc fit manifestum, quod cupiditas divitiarum impellere solet homines ad multa flagitia perpetranda. Et quidem cum divitiae valeant ad sensilia fere omnia bona comparanda, eademque propterea quodammodo contineant, referunt aliqua ex parte imaginem felicitatis, quae omne bonum complectitur. Unde in divitias, tanquam in finem dum animus perverse fertur, multa improbe facit, ejus finis potiundi caussa: quae improbitates avaritiae filiae a theologis dicuntur, licet sint plerumque specie diversae.

Sunt autem praecipuae, quae afferuntur a D. Gregorio lib. 31. Moral., nimirum: proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentia, contra misericordiam obduratio. Nam ut explicat D. Th., qui tenetur amore immodico divitiarum, immodicus est etiam in illis retinendis: unde *obduratio contra misericordiam*, immitis animi affectio, quam emollire non valent proximorum miseriae, nec flectere ad subveniendum. Secundo facit idem immodicus amor, ut animus infinitis curis torqueatur, dum cogitat de divitiis acquirendis: unde *inquietudo*, vehementior scilicet applicatio animi, et occupatio de divitiis, aut acquirendis, aut conservandis. Tertio in hanc curam intentus saepe aut vim adhibet, aut dolum, ut facilius expetitis divitiis potiatur: hinc *violentia*, cum pauperes a potentioribus opprimuntur; in dolis vero commoliendis, interdum verborum praestigiis circumscribitur proximus, estque *fallacia*, cui si jusjurandum additur, fit *perjurium*, si dolus in re, vel facto committitur, dicitur *fraus*. *Proditio* denique mihi videtur definiri posse, dolus, quo per iniquam occulti manifestationem, ac deceptionem pernicies conflatur alteri, sive in vita, et fama, sive in rebus ad ipsum pertinentibus, contra fidem ipsi debitam. Dicitur contra fidem debitam, quia nisi aliquod fidei vinculum intercedit, ortum ex aliqua aut publica, aut privata obligatione, per iniquam occulti manifestationem non incurreret quis in crimen *proditionis*. Hinc non est *proditor*, qui nullo fidelitatis vinculo obstrictus alteri detrahit, et peccatum ejus occultum manifestat, quamvis inique, et improbe. Dicitur autem *proditio*, quoties pernicies alicui conflatur per deceptionem, cum scilicet specioso quodam titulo, quo fides contineri deberet, in perniciem, et fraudem conjicitur, tametsi nulla intercedat occulti manifestatio, velut in eo, qui aut simulata amicitia, aut ira dissimulata, vel remota, insidiosae caussa suspicionis hominem inopinato

aggreditur, et interimit. Immo ex non manifestatione occulti oritur interdum crimen *proditionis*, velut in praedicatore, qui contra officium veritates evangelicas manifestare praetermittit, in subdito, qui consilia hostium suo principi non aperit.

Quatuor autem modis praecipue incurritur in crimen *proditionis.* Primo tradendo personam, ut impius Judas, qui Christum, perfida Dalila, quae fortissimum Sampsonem, uterque ex avaritia prodidit. Secundo prodendo loca, velut arces, oppida, castra, sive tradendo ea hostibus, sive viam demonstrando, qua expugnentur. Tertio prodendo res mobiles, ut qui repositas, et latentes aliorum divitias furibus indicant. Quarto secreti fidem violando. Quare proditores censendi sunt causarum patroni, qui occulta consilia clientum in ipsorum detrimentum parti adversae aperiunt; medici, et chirurgi, qui occultos, et pudendos morbos manifestant eorum, qui se ipsorum fidei commiserunt; et generatim qui alicujus momenti arcana sibi ab amicis prodita proferunt, cum inde damnum aliquod ei, qui credidit, probabiliter est obventurum. Et quidem de hac obligatione secreti reticendi alte retinenda est doctrina D. Th. 2. 2. q. 20. art. 1. ad 2., ubi docet, nihil unquam esse patefaciendum: « De iis quae homini sunt commissa in secreto per confessionem..., quia « hujusmodi non scit ut homo, sed tanquam Dei minister, « et majus est vinculum Sacramenti quodlibet hominis prae« cepto. » De his vero, quae aliter secreto commendantur, hac distinctione utendum esse tradit; nimirum, si ea sunt talia, ex quibus detrimentum immineat proximo, maxime vero ecclesiae, reipublicae, principi, tunc non solum non sunt reticenda, sed omnino enuncianda. Neque enim per secretum sibi commissum obligari quis potest ad frangendam fidem, et officium, quod jam debet alteri. Si vero sunt talia, quae non patefacta nemini noceant, tum ex imposita fide secreti consurgit obligatio naturalis ejus retinendi. Idque valet, etiamsi superior praeciperet manifestationem illius; quia, ut ait S. Th. « Servare fidem est de jure naturali, « nihil autem potest homini praecipi contra id, quod est de « jure naturali ».

Atque hoc etiam loco notandum est, sub sigillo sacramentalis confessionis, nulla unquam ratione violando, minime contineri ea, quae ad speciem, et similitudinem confes-

sionis interdum aperiuntur a nonnullis, qui ut strictiorem silentii legem imponant, profitentur in confessione se dicere, quod dicunt, cum revera sacramentaliter non confiteantur peccata sua, in ordine ad absolutionem; quare ex ficta hujusmodi confessione non consurgit obligatio specialis retinendi secreti contra propositas regulas, ut communiter docent theologi cum Dominico Soto, Cajetano, aliisque viris permagnae auctoritatis.

Contra secreti fidem peccant, et quidem saepe mortaliter, qui aliorum epistolas aperiunt, quocumque casu in eas inciderit. Nam velle scrutari quod epistolae committitur, gravem injuriam continet, tum in eo, a quo, tum in eum, ad quem dantur. Excipi debent qui publica auctoritate literas aperiunt, et privati, cum id faciunt ex praesumpta eorum voluntate, ad quos illae pertinent, vel cum non temere, sed prudenti judicio conjiciunt, eas in damnum, vel suum, vel proximi, maximeque reipublicae conscriptas fuisse.

QUAESTIO III.

De Luxuria.

CAPUT I.

De luxuriae natura, et pravitate.

Luxuria nomen ducit a luxu, quo significatur superfluitas, et nimia profusio, proindeque luxuriei nomine interdum designatur quaevis effusa libido in quocumque intemperantiae, vel superfluitatis genere. Hic vero sumitur prout libido pertinet ad venereas voluptates; unde a S. Th. q. 153. art. 3., dicitur, peccatum, quo modum rationis, et ordinem aliquis circa venerea excedit.

Luxuriam peccatum esse genere suo lethale, multis probatur. Primo Apostolus ad Galat. 5. « Manifesta sunt autem « opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudici« tia, luxuria .... quae praedico vobis, sic praedixi, quo« niam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur ». Notatur hic sane id vitium in criminibus fornicationis, immunditiae, impudicitiae, luxuriae, quibus luxuria ipsa gene-

ratim significatur, prout pervertit ordinem rationis circa venerea, siumlque ostenditur excludere a regno Dei.

Secundo ex illo Apostoli 1. ad cor. 6. « An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in « vobis est, quem habetis a Deò, et non estis vestri? Em« pti enim estis pretio magno, glorificate, et portate Deum « in corpore vestro ». Hoc autem dicit Apostolus, ut deterreat a luxuria, qua homo peccat in corpus suum, ex quo S. Th. hoc art. 3. ad 2. ostendit, ex luxuriae peccato insignem quamdam exoriri rationem injuriae erga Deum, qui est principalis dominus corporis, quod luxuria ipsa inquinatur. Multa etiam patres. Tertullianus lib. de cultu feminarum cap. 1., Cyprianus lib. de disciplina et habitu virginum; Augustinus Serm. 9. de decem chordis, gravi, et copiosa oratione tradunt de templo Dei, quod sunt fideles, per luxuriam violato, quibus mirifice declarari potest insignis ejus vitii pravitas, et turpitudo.

Demonstratur tertio ex injuria, qua Christus ipse afficitur, dum corpora fidelium, quae sunt membra Christi, contaminantur luxuria, sejunguntur a Christo, et meretrici copulantur. Sane per incarnationem Dei filius humanam naturam sibi conjunxit in unitate personae, unde humana natura magnificam prorsus, et divinam, omnique humana cogitatione superiorem dignitatem adepta est. Insuper Christus per Eucharistiam, ut ait Chrysost.: « Se ipsum nobis commiscet, « et non fide tantum, verum et reipsa nos suum efficit cor« pus: » Quis ergo non vereatur illud tantum scelus, et flagitium, quo sacrum id foedus abrumpitur, sancta illa et intima conjunctio fidelium in Christi corpore dirimitur, corpus ipsum Christi violatur? Quis tam in omni luxuria perditus, qui non quasi fulmine aliquo percelli debeat hoc dicto Apostoli: *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit: an nescitis, quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur . . . . qui autem adhaeret domino unus Spiritus est?*

Demonstratur quarto ex injuria, qua homo per luxuriam proprium corpus afficit, juxta memoratum illud apostoli: *Fugite fornicationem: omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.*

Quinto ex injuria, quam infert humano generi luxuria,

actum depravando conservationi, et bono ejusdem maxime necessarium, ut ait S. Th. hoc art. 3, et q. 15. de malo art. 2. ad 2. ad 4. « Omnes corruptiones luxuriae, quae sunt « praeter legitimum matrimonii usum, sunt peccata in pro- « ximum, in quantum sunt contra bonum prolis generan- « dae, et educandae ». Unde patet, luxuriam peccatum esse, quod singulari quadam ratione contra Deum, et Christum est, contra se ipsum, et contra proximum. Constat insuper, luxuriam esse vitium capitale: quippe, ut docet S. Th., talia sunt quae feruntur in objectum, quod vehementer appetitum, alliciat ad sui prosecutionem; unde ex tali appetitu movetur homo ad multa patranda flagitia, ut expetito bono fruatur; fertur autem luxuria in sensilem delectationem vehementissimam: jam vero cum vires animae inferiores, ut fit in luxuria, plus aequo intenduntur in suum objectum, consequens est, ut virium superiorum actus praepediontur, atque pervertantur: nil mirum propterea, turbari mirum in modum per luxuriam vim rationis, et voluntatis. Unde intelligi potest, quemadmodum a Divo Gregorio rectissime dictae fuerunt filiae luxuriae, caecitas mentis, inconsideratio, praecipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi, et horror futuri. Est enim rationis quadruplex actus in agendis, primo perspicientia boni, quod praeseferat rationem finis, quam perspicientiam mirifice labefactat luxuria, juxta illud Danielis 13. *Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum*; qua fit, ut in rebus agendis finem vere bonum, et legitimum homo non cernat. Secundo proprium est rationis consilium de rebus agendi propter finem; nullum porro in luxuria consilium, ut pulchre ait harum rerum doctus magister, et poeta Terentius in Eunucho, hic citatus a S. Th. « *Quae res*, nimirum libido, *in se neque consilium, neque modum ullum habet, eam consilio regere non potes* ». Hinc porro *praecipitatio*, defectus scilicet, consilii, cujus et exemplum, et poenas dedit Sampson, cum arcanum suum Dalilae prodidit. Tertio ex ratione oritur judicium de agendis, quod quam vehementer per luxuriam pervertatur, demonstrant senes libidinosi, apud Dan. cap. 13., « Qui a- « verterunt sensum suum, ut non recordarentur judiciorum « justorum »: unde *inconsideratio*.

Quarto ex ratione quoque oritur praeceptum, seu decretum de agendis, quod impeditur plerumque per luxuriam,

unde *inconstantia:* pervertitur autem voluntas, tum in appetitione finis, tum etiam eorum quae sunt ad finem; atque huc pertinet quinto *amor sui*, amor pravus, quo libidinosi homines carnem suam, corporisque voluptates prae officiis suis, prae divinis, humanisque legibus diligunt, de quibus ait Apostolus 2. ad Thimoth. 3. « Erunt homines se ipsos « amantes . . . incontinentes . . . voluptatum amatores magis, « quam Dei ». unde sexto *odium Dei*, quatenus scilicet voluptates prohibet, quas libidinosi consectantur. Hinc septimo *affectus praesentis saeculi*, quod perpetuum optarent libidinosi, perpetuo possent frui suis voluptatibus. Hujus affectus voces sunt, quae leguntur Cap. 2. « Venite, et fruamur bonis « quae sunt, et utamur creatura, tanquam in juventute ce« leriter. Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nul« lum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra; ne« mo nostrum exsors sit luxuriae nostrae; ubique relinqua« mus signa laetitiae, quoniam haec est pars nostra, et « haec est sors ». Gignit denique hic affectus praesentis saeculi *horrorem, et desperationem futuri.* Horrent scilicet voluptuosi mortem, quae suis voluptatibus finem est allatura. Horrent judicium Dei vivi, conscientiae proinde stimulos libidinibus novis comprimere student, ruuntque in eorum scelus, qui teste Apostolo ad Ephes. 5. « Desperantes tra« diderunt se impudicitiae, in operationem immunditiae « omnis ».

Septem denique assignantur species luxuriae: Fornicatio simplex, stuprum, adulterium, sacrilegium, incestus, raptus, vitium contra naturam. Nam, ut docet S. Th. q. 154. art. 1. Peccatum luxuriae consistit in hoc, quod aliquis non secundum rectam rationem delectatione venerea utatur. Haec autem perversio cum spectari possit, vel ratione conditionum, quibus actus exercetur, vel ratione objecti, seu materiae, circa quam versatur, constat ex principiis generalibus de specifica distinctione actuum, ex parte materiae, seu objecti formalis, diversas luxuriae species esse repetendas: atque id quidem repugnat quandoque rectae rationi, quatenus repugnat fini actus venerei, nempe generationi prolis. Hujus rationis est *vitium contra naturam.* Quandoque repugnat rectae rationi, prout impeditur debita educatio, et promotio prolis, ut evenit ex natura sua *in fornicatione simplici.* Insuper cum actus ille spectet in bonum commune humani ge-

neris, quandoque objectum ipsius repugnat rectae rationi per comparationem ad alios homines, idque locum habet, sive ex parte ipsius feminae, cui debitus honos non servatur, quae est pravitas *incestus*, sive ex parte vinculi, quo vel vir, vel femina obstricti tenentur; ex quo fit, ut accessus ad alienum thorum, sive *adulterium*, in propria quadam specie luxuriae contineatur. Sacrilegium vero fit, si persona sit consecrata Deo, quod a D. Th. in responsione ad tertium dicitur *adulterium spirituale*; unde patet D. Th., etsi sex tantum assignet species luxuriae, praetermisso scilicet sacrilegio, non excludere tamen ipsum sacrilegium, nec revera proinde adversari assignantibus septem species; quod si foemina non est in potestate viri, sed patris, *stuprum est*, nulla illata violentia, quae si inferatur, fit *raptus*.

CAPUT II.

De fornicatione simplici.

Fornicatio simplex dicitur concubitus soluti cum soluta. Solutum intelligimus, qui nullo tenetur ex iis vinculo, quae superiori capite memorata sunt, quibus concubitus evadit in stuprum, adulterium, incestum etc.

PROPOSITIO.

Fornicatio simplex peccatum est natura sua lethale.

Probatur primo ex Apostolo, qui fornicationem saepe refert inter peccata digna morte, quae qui committunt, regnum Dei non consequuntur, velut ad Galat. 5. vers. 19. ad Cor. cap. 15. vers. 9., et cap. 6. vers. 9. Quod autem Apostolus ibi loquatur de fornicatione simplici, patet ex versu 15.: *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Tum ab eo quod Apostolus fornicarios distinguit ab adulteris, a mollibus, a masculorum concubitoribus.

Secundo Tobiae 4. « Attende tibi ab omni fornicatione, et praeter uxorem tuam nunquam patiaris crimen « scire ».

Hinc ab Innocentio XI damnata haec est propositio num. 48. « Tam clarum videtur fornicationem secundum se nul-

« lam involvere malitiam, et solum esse malam, quia in- « terdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur ». Huc spectat error septimus Beguardorum, et Beguinarum in Concil. Viennensi confixus a Clemente V. « Mulieris osculum, « cum ad hoc natura non inclinet, est mortale peccatum, « actus autem carnalis, cum ad hoc natura inclinet, pec- « catum non est, maxime cum tentatur exercens ».

Pr. Insuper luculentissimo argumento D. Th., quod nem- pe fornicatio perversionem continet, quae suapte natura ver- git in nocumentum prolis suscipiendae, et educandae. Nam ad prolis educationem non solum requiritur cura matris, a qua nutritur, sed multo magis cura patris, a quo est in- fans instruendus, et defendendus, et in bonis tam interiori- bus, quam exterioribus promovendus; et ideo, pergit S. Do- ctor: « Contra naturam est hominis, quod utatùr vago con- « cubitu; sed oportet, quod sit maris cum determinata fe- « mina, cum qua permaneat, non per modicum tempus, sed « diu, vel etiam per totam vitam ». Atque hinc etiam fieri ostendit, ut vir naturaliter sit sollicitus de certitudine prolis, quae certitudo per vagum concubitum tolleretur. Haec porro determinatio certae feminae cum vinculo permanentiae, *ma- trimonium* vocatur, prout est jure naturali constitutum: « Cum ergo, concludit S. Doctor, fornicatio sit concubitus « vagus, utpote praeter matrimonium existens, est contra « bonum prolis educandae, ideoque peccatum mortale ». Sa- pienter autem animadvertit, huic rationi minime obstare, quod aliquis utens fornicario concubitu, sufficienter provideat educationi prolis. Nam quidquid cadit sub legis determina- tionem, judicatur secundum quod communiter accidit, et per se, non secundum id, quod in aliquo casu, et accidente po- test evenire.

Cum autem fornicatio exerceri possit vel cum foemina soluta, sed non vulgata, vel cum meretrice vulgari et pu- blica, vel denique cum certa femina fornicaria consuetudine, quae *concubinatus* vocatur; notant Doctores, secundum for- nicationis genus gravius esse primo, siquidem per illud non solum impeditur bona educatio prolis susceptae, sed omnino ne suscipiatur: graviorem autem adhuc esse concubinatum propter statum ipsum, et perseverantiam in fornicatione; unde speciatim est in confessione aperiendus ratione pravae con- suetudinis, et etiam scandali.

Neque obstat quod Concilium Toletanum 1. Can. 17. decrevit: « Ut is, qui non habet uxorem, et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tamen ut « unius mulieris, aut uxoris, aut concubinae sit conjunctio« ne contentus ». Notum est enim apud veteres duplex distinctum esse concubinarum genus; aliae scilicet adhibitae prolis etiam suscipiendae caussa, sed ad certum tempus, et sine legitimo matrimonii vinculo, quarum snmper fuit turpis concubitus; aliae quae legitimo quidem matrimonio junctae erant, sed uxores non dicebantur, quod non essent solemniter ductae, et cum dotalibus instrumentis: de his autem intelligendus est Canon Concilii Toletani.

CAPUT III.

De Stupro.

Stuprum dicitur illicita defloratio virginis. Habet ex D. Th. specialem deformitatem, cum ex parte puellae, quae quum violatur, nulla praecedente pactione matrimonii, a legitimo consequendo matrimonio impeditur, et in meretricium illicitur, revulso virginitatis claustro, quo pudicitia tegebatur; tum ex parte patris puellae, qui de ejus custodia sollicitudinem gerit. Stuprum dividitur in id, quod per violentiam infertur, et in id, quod infertur, volenti, et consentienti; hocque vel plena libertate, vel accedente fraude, et metu. Nonnulli auctores probabile putant, stuprum nullo accedente dolo, vel violentia, non esse peccatum a simplici fornicatione diversum, maxime si puella, quae consentit, sit omnino sui juris. Tamen D. Th. art. 6. ad 1., repetere videtur specialem quamdam in hoc peccato deformitatem ex violato virginitatis signo, quod non debet auferri, nisi legitimum connubium.

Stuprator ex principiis D. Antonini parte secunda tit. 5. cap. 6., qui virginem vi, aut importunis precibus, aut falsis pollicitationibus in stuprum illexit, tenetur eam in uxorem ducere, vel certe sic dotare, ut nubere alteri valeat, perinde ac si esset virgo: qui nulla vi, nulla fraude adhibita ultro consentientem vitiavit, nec ducere tenetur, nec dotare; tenetur tamen satisfacere patri, sub cujus custodia est puella, propter gravem injuriam eidem illatam. Equidem nonnulli

negant, ex stupro virginis consentientis aliquam injuriam, aut damnum in parentes redundare in foro conscientiae reparandum; fatentur tamen, si judex in externo foro secutus sententiam valde probabilem, quod injuria inferatur parentibus, quorum filia etiam volens constupratur, stupratorem condemnet ad poenam illis solvendam, obtemperandum esse; quae sententia, si est adeo valde probabilis, ut movere debeat judicem ad condemnandum, cur non quoque movere debebit stupratorem ad satisfacendum? Multo magis si ex stupro puella diffamata fuerit, tenetur stuprator ad satisfaciendum. Qui matrimonii promissione, sive vera, sive ficta, nemini enim sua fraus patrocinari debet, illexit virginem, tenetur eam ducere, nisi ex matrimonio gravia scandala, et mala immineant, nisi ex insigni disparitate conditionis puella ipsa intelligere potuit, non sibi sperandas esse tam nobiles, ac splendidas nuptias; tum enim tantum dotare tenetur. Pariter si virgo non erat, quae se virginem simulaverat, ducere nullo pacto tenetur.

CAPUT IV.

De Raptu.

Raptus est violenta abductio personae libidinis caussa. Tria ergo requiruntur ad raptum proprie dictum. 1. Ut sit abductio, idest deportatio de loco in locum. 2. Ut sit violenta, sive erga personam, quae rapitur, sive erga eos, in quorum potestate, et custodia posita est: unde raptus rei fiunt, qui puellam, tametsi ultro consentientem abducunt invitis parentibus. 3. Ut haec abductio fiat libidinis explendae caussa, etiamsi adsit voluntas contrahendi matrimonii.

Ex conditione personae, quae abducitur, multiplex existere potest deformitatis ratio in raptu, velut si abducitur persona ejusdem sexus, si sanctimonialis, si consanguinea, si uxorata etc. Ex Decreto Conc. Tridentini Sess. 24. de reformatione matrimonii cap. 6. constat primo inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Secundo, si rapta a raptore separata, et in loco tuto, et libero constituta, illum in virum habere consenserit, illam raptor in uxorem habet. Tertio teneri raptorem, mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit,

sive non duxerit, decenter, arbitrio judicis, dotare. Si puella sit desponsata, tenetur raptor ex D. Th. eam sponso reddere; si non sit desponsata, parentibus; quod si sit sui juris, est in pristinam libertatem restituenda, nec omnino absolvendus raptor, nisi raptam in libertate ita constituerit. De poenis in raptores constitutis, non est hujus loci disserere. Notat autem D. Th. raptum non proprie committi a sponso violenter suam desponsatam abducente, quia jus aliquod in ipsam habet, tametsi peccet violentiam et inferendo.

CAPUT V.

De adulterio.

Adulterium dicitur a D. Th. accessus ad alienum thorum. Triplex ejus est ratio; vel enim conjugatus accedit ad solutam, vel solutus ad conjugatam, vel conjugatus cum conjugata commiscetur, qui concubitus damnatus etiam dicitur. Nec porro adulterii gravitatem minuit consensus alterius conjugis; quippe semper id violatur, quod fides conjugii suapte natura exigit: quare damnata est ab Innocentio XI haec propositio num. 50. « Copula cum conjugata, consentiente « marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessio- « ne dicere, se esse fornicatum ».

Cum ex adulterio proles suscipitur, tenentur adulteri ex aequali, et in solidum damna resarcire, nempe quod aequalem caussam dederint damno, quod per adulterinam prolem importatur, vel patri, cui filius non suus obtruditur vel legitimis liberis, vel illis, ad quos perventura fuisset haereditas. Nam tametsi, quod attinet ad filios legitimos, postquam a matre lactati fuere, alendi cura in patrem recidat, hoc ideo fit, qui lege ipsa, et velut pacto conjugii, dote etiam eccepta, pater matrimonii oneribus maxima ex parte obligatur; quae ratio cum non valeat in adulteris, utrique ex communi sensu naturae incumbere videtur ex aequo cura, et obligatio alendae prolis. Favet etiam dispositio juris canonici lib. 4. Decreti tit. 7. cap. *Cum haberet*, ubi Pontifex alendi filios illegitimos obligationem ad ipsam quoque matrem pertinere declarat. « Sollicitudini tuae intererit, ut « uterque liberis suis, secundum quod suppetunt facultates, « necessaria subministrent. » Et quamvis ex praescripto le-

gum liberi nati ex damnato concubitu nequeant haeredes institui, tamen ipso etiam civili jure qui alimenta negant, quasi necasse videntur. Propter eamdem damni resarciendi obligationem, adulteri, qui prolem rejiecerunt in orphanotrophium, ipsi compensationem facere tenentur, ne orpanotrophium alios vere indigentes excludat, ac deserat, in quorum praesidium, ac tutelam, ea loca sunt ut plurimum instituta, et comparata.

Tametsi autem adulterius impositum sit ex naturali lege debitum restitutionis, et compensationis; ab hac tamen actu facienda tamdiu eximuntur, quamdiu haec fieri nequit sine gravi periculo mortis, scandali, aut infamiae consequendae. Nam creditor prudenti judicio, et ut ex ratione agens, censetur nolle fieri sibi restitutionem, cum ex ea immineret debitori damnum ordinis longe superioris; secus ipse creditor peccaret adversus caritatem.

His positis principiis, facilius dirimentur dubitationes, quae de his rebus moveri solent: utrum mulier enixa prolem spuriam, sed puplica opinione legitimam, teneatur facinus suum prodere ad avertendum damnum mariti, aut legitimorum liberorum.

Certum enim videtur, mulierem tali obligatione non teneri, si aut sui criminis confessio nil profutura est, aut ingentia mala ex ea immineant, quae a Sancto Antonino revocantur ad periculum infamiae, scandali, et mortis; vix autem unquam sine aliquo hujusmodi periculo fieri potest hujusmodi confessio, maxime vero infamiae propriae, infantis, et adulteri. Ex alia parte liberi ante habiti ut legitimi, non tenentur, ut multi quidem affirmant, credere matri asserenti, eos se ex adulterio peperisse, nisi liquidis, et indubitatis probationibus id certum efficere posset. Quare, sive ex uno, sive ex altero capite, vix unquam locum habere potest obligatio damni resarciendi per publicam hujusmodi declarationem.

Debet tamen mulier operam dare, ut marito illatum, legitimisque liberis damnum, quod fieri potest, compensetur; ex. gr. rem familiarem majori labore, industria, diligentia augendo, multa de sumptibus ad proprium cultum pertinentibus detrahendo, plus de bonis propriis, si habet, relinquendo legitimis, quam spuriis, idque ex honesto quodam, et probabili praetestu; denique filiis spuriis suadendo, ut ali-

quam ineundae vitae rationem, et conditionem teneant, qua omni onere, quantum fieri potest, levent legitimos, non tamen contra regulas, quae dantur de statu vitae amplectendo.

Quaeritur etiam, utrum adulteri teneantur ad aliquam compensationem, cum dubii sunt, utrum proles ex se genita fuerit, an non. Plerique censent, ad nullam teneri, quod nimirum eo eventu pater sit omnino censendus, quem nuptiae demonstrant. Censet tamen Molina teneri adulterum pro quantitate dubii ad compensationem, eo quod in dubio, uter duorum sit pater prolis, non patiatur aequitas, ut alendi onus ex integro in unum rejiciatur. Nec sane par est ratio filii illegitimi, et parentis adulteri. Facit innocentia filii, ut legitimus omnino reputari debeat, quousque demonstretur spurius. At vero adulter caussam injustam praebuit, ut maritus alimenta praebeat filio, tamquam certo, et indubitato, cum revera sit dubius, quod videtur continere damnum pretio aestimabile, et reparandum. Prior tamen sententia communior esse videtur, etiam inter gravissimos doctores.

CAPUT VI.

De Sacrilegio.

Sacrilegium generatim est violatio rei sacrae. Triplex proinde distinguitur: unum, quo personae sacrae: aliud, quo loca sacra: tertium, quo res aliae sacrae violantur. Porro sacrilegium, ut species est luxuriae, definiri potest: violatio castitatis in persona sacra, vel erga personam sacram, sive Deo dicatam, quoad castitatem. Nam ut ait S. Th. 2. 2. q. 9. art. 3. ad 3. Formaliter, et proprie solum illud peccatum sacrae personae est sacrilegium, quod agitur directe contra ejus sanctitatem, scilicet adversus id, ad quod est consecrata; unde subdit; « Puta, si virgo dicata Deo fornicetur ». Unde Cajetanus verbo *Sacrilegium*; « Sacrilegium est, si sacerdos fornicetur, quia sanctificatus est ad castitatem, non autem si blasphemet, quia non est ad ejus oppositum sanctificatus ». Hinc intelligitur, luxuriam sacrilegium evadere in personis religiosis, quae sunt voto castitatis obstrictae, et in his, qui sunt ordine sacro praediti, tum etiam in his, qui cum talibus peccant. Nec solum actus

externos, sed etiam internos talium personarum, vel erga ipsas, novam exinde, ac insignem deformitatem accipere. Nonnulli existimant, violationem voti privati castitatis esse sacrilegium, tantum late, et improprie, eo quod persona proprie sacra non efficiatur, nisi publico jure sit cultui divino dicata, ut fit per susceptionem ordinis sacri, vel statum religionis. Fatentur hanc violationem voti simplicis esse necessario exprimendam in confessione, quod certissimum est. Sed hoc volunt esse discrimen inter violationem castitatis in persona obstricta voto simplici, et violationem castitatis in clerico sacris ordinibus praedito, aut in persona religiosa, quod haec postrema violatio praeter peccatum luxuriae, duplicem contineat malitiam adversus religionis virtutem, unam violati voti, alteram sacrilegii proprie dicti, unde non sufficit religioso, et in sacris ordinibus constituto dicere, se teneri voto castitatis, sed insuper aperienda est conditio religionis, vel ordinis sacri, quam declarari oportere, est etiam certissimum.

CAPUT VII.

De Incestu.

Incestus est illicitus concubitus personarum, inter quas ratione consanguinitatis, aut affinitatis matrimonium est, aut naturae lege, aut ecclesiae interdictum. Incestus proinde admittitur inter consanguineos usque ad quartum gradum inclusive, et similiter inter affines, affinitate ex legitimo matrimonio contracta; ad duos vero tantum gradus inclusive, si affinitas ex illicito concubitu prodierit. Ad incestum quoque pertinet concubitus inter personas cognatione spirituali conjunctas, de qua Conc. Tridentinum Sess. 24. cap. 2. de reformatione matrimonii.

CAPUT VIII.

De peccato contra naturam.

Contra naturam dicitur actus venereus, non simpliciter qui repugnat rectae rationi, quod est commune omni peccato luxuriae, sed qui speciatim repugnat ordini naturali ejus-

dem actus, prout convenit humanae speciei; idque, ut docet S. Th. hac q. 154. art. 11., quatuor modis contingere potest: primo voluntaria seminis ejectione, quae pollutio dicitur, idque pertinet ad peccatum immunditiae, quam etiam mollitiem vocant: secundo commixtione cum aliena specie, seu conjunctione cum brutis animantibus, quae dicitur bestialitas: tertio conjunctione cum persona ejusdem sexus, quod est peccatum sodomiticum: quarto perversione naturalis modi accedendi ad mulierem.

Mollitiem esse peccatum contra naturam constat ex eo, quod per eam pervertitur naturalis ordo actus venerei, qui spectat ad propagationem, et conservationem humani generis. Peccatum esse lethale declarat Apostolus, qui immundos, et molles a regno Dei excludit. Hinc proscripta ab Innocentio XI haec propositio num. 49. « Mollities jure naturae pro« hibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, saepe « esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali ». Forte nefariae hujus propositionis auctor putavit, eodem loco habendam esse superflui seminis, atque excrementorum ejectionem.

At D. Th. q. 154. art. 3. ad 1. jam praeclare ostenderat, reliquas superfluitates corporis tales esse, ut illis natura nullo modo egeat. Quare, salva decentia humani convictus, nil refert, quomodocumque emittantur. At in semine, quod est superfluum in ordine ad nutritionem, non est absolute superfluum, sed a natura destinatum ad procreationem, quare nunquam eo abuti licet.

Hinc eruitur primo, nunquam licere, directe provocare hujusmodi ejectionem, tametsi non provocetur caussa voluptatis, sed valetudinis, aut vitae conservandae; quia quod est suapte naura malum, nulla intentione bonum fieri potest. Secundo, quod attinet ad intentionem indirectam, qualis est in eo, qui praevidet ex actione sua pollutionem secuturam, quam tamen sequi minime vellet, distinctione utendum esse. Vel enim actio illa ex sese jam turpis est, et ordinata ad rem veneram, ut oscula, impudicae cogitationes etc., tumque lethaliter peccat quisquis talem caussam praebet pollutioni. Secundo, si actio, ex qua quis praevidet secuturam pollutionem, quam tamen non intendit, sit in alio genere illicita, vel otiosa, ut nimia sumptio cibi, et potus, inanis confabulatio, peccat etiam quisquis talem caussam praebet

pollutioni, quam licet non intendat, ex ea tamen futuram conjicit. Vel denique actio est ex omni parte honesta, et licita, ut in eo qui confessiones excipit, tum illa actio nulla culpa obstringitur, si abest periculum consensus in pollutionem, quae secutura conjicitur.

Quod vero attinet ad pollutionem in somnis obrepentem, haec omni culpa vacat, nisi fuerit, aut antecedenter voluntaria ex caussa data, quae vitari potuit, ac debuit, aut accedente consensu, consequenter voluntaria efficiatur. Sane D. Th. art. 5. docet: si pollutio nocturna oriatur ex caussa culpabili, velut ex superfluitate cibi, vel potus, habere ipsam culpae rationem ex sua caussa. Similiter si oriatur ex cogitatione precedenti rerum turpium, cum delectatione, vel desiderio conjuncta. Si autem ex cogitatione mere speculativa de rebus turpibus suscepta, autem etiam cum horrore, tum eam neque in se, neque in caussa esse culpabilem.

De peccato contra naturam, quod consistit in perversione debiti modi, satis fuerit ea proferre, quae tradit S. Th. in 4. Dist. 31. « Usus contra naturam conjugis est, quando « debitum vas praetermittit, aut debitum modum a natura « institutum, quantum ad situm: et in primo semper est « peccatum mortale, quia proles sequi non potest, unde to- « taliter ratio naturae frustratur; sed in secundo modo non « semper est peccatum mortale, ut quidam dicunt » (quod intelligendum est ex communi Doctorum sententia, nimirum perversionem modi ex sese tantum esse peccatum veniale; mortale vero quando ex ea imminent periculum seminis extra vas dispergendi), « Sed potest esse signum mortalis « concupiscientiae: quandoque etiam sine peccato esse po- « test, quando dispositio corporis alium modum non patitur: « alias tanto est gravius, quanto magis a naturali ordine « receditur ».

In commixtione personarum ejusdem sexus existit horrendum illud scelus, quod nefandi appellationem sibi propriam fecit, quod coelum clamare dicitur, quod igne, et sulphure Deus ultus est in habitatores Sodomae, unde peccatum sodomiticum vocatur.

Denique furor libidinis ille, quo abrepti homines ruunt in brutas animantes; iisque commiscentur, criminis pessimi nomine notatur; de hoc enim intelligit glossa, quod dicitur

de Josepho Genesi 37. *Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo.*

Quamvis autem haec flagitia uno communi genere contineantur, quatenus sunt contra naturam, certum est tamen alia esse aliis multo graviora, suamque specialem habere deformitatem. Unde ex D. Th. art. 12 ad 3. Crimen pessimum, quo quis excurrit extra speciem, pejus est nefando flagitio, quo excurrit extra convenientem sexum. Hoc vero pejus inordinato concubitu. Hic denique pejor ipsa mollitie, quae in omissione debiti usus naturam contaminat. Unde ab Alexandro VII damnata haec propositio num. 48. « Mollities, sodomia, bestialitas, sunt peccata ejusdem speciei infimae, « ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollu- « tionem ».

CAPUT IX.

De gradibus Luxuriae, et utrum in his detur parvitas materiae.

Quatuor veluti gradus distinguuntur in luxuria, quibus homo profectus sensim progreditur, ac delabitur in peccata turpissima, de quibus diximus: sunt autem delectatio morosa, turpiloquium, aspectus turpes, turpes demum tactus. Et quidem in cogitationibus, et aspectibus in rem veneream spectantibus, culpam tantum venialem admitti propter defectum advertentiae, deliberationis, et consensus, certum est apud omnes, et constare potest ex dictis. Sed utrum in re venerea secundum se considerata, et ratione objecti, aliqua sit parvitas materiae, vi cujus actus plane deliberatus nonnisi peccatum veniale sit censendum, dubitarunt non pauci; aliqui, levius vero quam par est, assenserunt; gravissimi Doctores constantissime negarunt.

Quaestio explicari dilucide potest ex principiis D. Th. q. 154. art. 4., ubi oscula, tactus, et amplexus distinguit, prout spectantur ex sese, et secundam suam rationem; et prout adimittuntur ex libidine. Illi actus in sese spectati, et prout quandoque ex consuetudine patriae inter consanguineos diversi sexus, debitis conditionibus, et absque ullo prorsus vestigio libidinis admittuntur, non sunt peccata; prout vero sunt ex libidine, peccata esse, et quidem lethalia efficit ra-

tio Divi Thomae. Consensus enim non solum in actum peccati mortalis, verum etiam in delectationem de peccato mortali, est peccatum mortale. Jam vero fornicatio, et actus omnes luxuriae ante descripti, in quos veluti per gradus libido progreditur, ac tendit per cogitationes, per turpiloquia, per aspectus, et tactus, sunte certe peccata mortalia. Cum igitur delectatio, quae percipitur ex aspectibus, tactibusque libidinosis, tametsi ex intentione operantis non referatur ad delectationem fornicationis, adulterii etc., quia tamen perspicuum est, eam ex natura ipsa ad tales actus referri, utpote quae est naturale incitamentum ad eosdem, sequitur, ut consensus deliberatus in omnem ejusmodi delectationem sit peccatum mortale, adeoque mortalia peccata sunt censenda delectationes morosae, aspectus libidinosi, amplexus, qui fiunt propter ipsam delectationem tactus, ut explicat copiosius Cajetanus in hunc locum. Unde ab Alexandro VII damnata est haec propositio num. 40. « Est « probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, « quae ex osculo oritur, saecluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis ».

Notandum hic etiam, aspectus, et tactus, qui ex animi levitate, et curiositate fiunt, non ex libidine, peccata esse lethalia, quoties afferunt grave periculum libidinis. Unde consentiunt doctores, aspectus, et tactus partium verendarum ex sola curiositate, maxime inter personas diversi sexus, excusari non posse a culpa lethali.

Expenduntur quaestiones nonnullae ad memoratas species luxuriae pertinentes.

Antequam ad alia progrediamur, juverit de memoratis luxuria speciebus pauca superaddere, quae sive ad earum naturam penitius intelligendam, sive ad praxim dirigendam, sive ad ea, quae jam dicta sunt accuratius percipienda, non nihil adjumenti allatura sunt.

Quaeritur 1. De Sacrilegio, utrum qui religiosus simul, et sacerdos fornicatus est, teneatur utramque circumstantiam in confessione aperire.

R. Etsi negant Bonacina, Sanchez, Filliucius apud Sylvium, veriorem sententiam esse, in quam propendet Azo-

rius, utramque circumstantiam declarandam esse; cujus ratio est, quia ille duplicem consecrationem violat, ratione sui longe diversam. Unde etiam ei, qui castitatem violat, non ordinis tantum Sacri generatim, sed et diaconatus, vel presbyteratus conditio aperienda est. Quin etiam si quis ante solemnem professionem votum simplex castitatis nuncupavit, multa probabilitate quidam existimant, aperiendum esse utrumque votum. Si qui tamen idem votum saepius juraverit, non teneri ejus iterationis circumstantiam declarare, communior sententia est.

Quaeritur 2. De incestu, utrum omnes incestus ex consanguinitate, vel affinitate, sint ejusdem speciei.

R. Ex Doctrina D. Thomae incestus inter consanguineos, et affines, non videri specie differre, eo quod ejusdem rationis inconvenientiam habeant, scilicet propinquitatis, carnis violationem, et dehonorationem. Recte tamen animadvertit Sylvius ex communiore sententia, quidquid sit de hac disputatione, in confessione exprimendos esse gradus incestus intra numerum ab Ecclesia prohibitum, propterea quod gradus propinquior est, ut minimum, circumstantia notabiliter aggravans. Simul etiam in confessione exprimendum fuerit, ne incestus cum consanguinea, an cum affine, eo quod ille sit isto longe gravior, siquidem reverentia debita consanguineis, quae violatur, notabiliter diversa est a reverentia debita affinibus, habetque motivum notabiliter diversum, nempe communionem sanguinis, et originem ex eodem stipite. Quod attinet ad incestum cum affine, quidam probabile censent, solum exprimendum esse gradum, quando ille sit primus, pro aliis satis esse gradum prohibitum generatim enunciare. Incestus porro Spiritualis continet tum malitiam propriam incestus, quatenus est copula inter personas vinculo spiritali coniunctas, ratione cujus Ecclesia inter eas matrimonium interdicit, tum malitiam sacrilegii, eo quod prohibitio ista facta sit propter reverentiam debitam Sacramento. Unde debet explicari cognatio spiritualis in specie, ut innotescat utraque malitia. Ita Antoine. Notat autem Sylvius, non videri necessarium dicere, an sit cognatio ex baptismo, an ex confirmatione contracta.

Notandum porro cum eodem Antoine, peccatum luxuriae confessarii cum poenitente, continere malitiam duplicis sacrilegii, tum contra votum castitatis, tum contra reverentiam

sacramenti, quod per hoc redditur odiosum, ac suspectum, maxime si sumitur ut medium ad peccandum; imo licet tale peccatum non sit proprie incestus, quia non contrahitur cognatio spiritualis, nisi ex baptismo, et confirmatione, habere tamen etiam malitiam, tanquam incestus spiritualis, eo quod aliquam gerat incestus similitudinem ex cap. *Non debet* 30, quaest. 1., et ex doctrina D. Th. in 4. dist. 42. q. 1. art. 2. ad 8. Unde haec circumstantia in confessione exprimi debet.

3. De adulterio notandum est, adulterium duplex, sive conjugati cum coniugata, multo gravius esse adulterio simplici, sive soluti cum conjugata, sive conjugati cum soluta. Id proinde in confessione aperiendum, utpote quod duas injurias mortales in utriusque conjugem continet. Adulterium vero soluti cum conjugata gravius est, quem conjugati cum soluta, propter incommoda graviora, nempe incertitudinem prolis, suppositionem prolis alienae, cum damno mariti, et veri haeredis, et saepe impedimentum prolis. Unde haec etiam circumstantia declarari debet. Neque omittendum, ex doctrina D. Thomae in 4. dist. 35. art. 4., in fornicatione virum, ceteris paribus, gravius peccare, quam feminam, quia vir plus habet de bono rationis: contra in adulterio, ubi mulier, per se loquendo, causa est incertitudinis prolis, atque ita magis adversatur bono matrimonii, quam vir, ac per consequens etiam gravius peccat.

Quaeritur 4. de raptu, num ad raptum constituendum requiratur, ut copula sit secuta.

R. minime id requiri. Nam ex allata definitione raptus constat, fieri raptum, si persona violenter abducatur causa libidinis explendae, vel contrahendi cum ea matrimonii, sive copula interim sequatur, sive non. Quod autem allatum est ex D. Thoma, raptum proprie non committi, si sponsus violenter suam desponsatam abducat, sic est intelligenda S. Doctoris sententia, nempe si sponsus eam, quae sibi desponsata est per verba de futuro, volentem abducat, reclamantibus tamen parentibus, tum non fieri raptum, cum ad matrimonium juxta praescriptum Ecclesiae contrahendum, et matrimonio consentientem abducit. Ita declaratum est cap. *Cum causa* tit. de raptore. *Cum ibi raptus dicatur admitti, ubi nil ante de nuptiis agitur; ipse raptor dici non debet. cum habuerit mulier assensum, et prius eam desponsaverit, quam cogno-*

verit, *licet parentes eam reclamarent, a quibus eam dicitur rapuisse.* Quod etiam eruitur ex ratione D. Th., quia, ut notat Sylvius, sponsus ratione sponsalium habet aliquid juris ad matrimonium cum sponsa consentiente perficiendum, etiamsi parentes reclament. Si autem abduceretur ad libidinem sine matrimonio explendam, verus esset raptus. Quin etiam, ut addit Sylvius, probabilius Azorius, Bonacina, putant futurum raptum, si sponsus talem suam sponsam rapit invitam ad matrimonium, quia vim infert puellae, cui adhuc post sponsalia jus est, ne compellatur ad matrimonium, a quo per religionis ingressum, aliisque justis de causis potest resilire. Idque aliis certum etiam videtur.

5. De stupro notandum, qui ficta promissione matrimonii virginem seduxit, ob solam conditionis disparitatem in se spectatam, non liberari obligatione ejus ducendae, seclusis aliis circumstantiis gravis damni, et scandali; liberari tamen, si, ut animadversum est, ex perspecta insignis disparitatis ratione, praesumitur puellam deceptam non fuisse, sed temere, et insipienter matrimonii contrahendi spem concepisse; atque adeo fraudem sibi objectam deprehendere potuerit, ac debuerit. Quod si vir conditionis licet superioris vere, et ex animo nuptias promiserit, promissis stare tenebitur, nisi graves rixae, familiae dissidia, et scandalum grave timeatur. Tum quia jure suo cedere potuit, et revera cessit, tum quia excessus, quo puellam superat, eidem puellae debitus est ratione promissionis factae, et acceptatae, cui accedente legum consensu, nihil deest, quominus in conscientia obliget, ut ait continuator Tournelii.

6. De fornicatione quaeritur, sufficiatne tanquam simplicem fornicationem confiteri, quando potest sponsalia de futuro, sponsus, vel sponsa fornicantur cum alia persona. Respondet Sylvius,, verius esse, non sufficere ita confiteri, sed oportere et desponsatos ipsos suam qualitatem exprimere, et similiter eos, qui cum uno desponsatorum sunt fornicati, id ipsum in confessione aperire; sive quia magna injuria irrogatur sponso per hoc, quod sua sponsa cognoscatur ab alio; sive quia, licet qui desponsati sunt, non habeant jus matrimonii jam consummandi, habeant tamen quoddam jus ad rem in mutua corpora. Unde, ut notat idem Sylvius, quamvis tale peccatum non sit verum, et proprie dictum adul-

terium, ad illud tamen reducitur, sicut imperfectum ad perfectum sui generis.

Quaeritur insuper, sitne simplex fornicatio, et an sufficiat pro tali confiteri, si quis Christianus peccatum cum Judaea, aut Gentili, vel si tutor cum pupilla, quando sint omnes soluti. Respondet Sylvius, intervenire quidem in istis aliquas circumstantias peccatum aggravantes, si tamen absit periculum subversionis, scandalum infirmorum, et contemptus legis, esse dumtaxat simplicem fornicationem, creditque sufficere, si quis eam ut talem confiteatur. Alii secus existimant, quorum nobis videtur sententia probabilior, sive, quia, cum ob disparitatem cultus prohibetur matrimonium, speciatim etiam prohibita censeri debet copula jam per se illicita, sive quia facinus ejusmodi vergit in grave religionis dedecus, sive denique quia subest periculum, ne proles in infidelitate educetur. Quod spectat ad tutorem, cum patris vices gerat, longe magis reus censeri debet, cum puellam sibi concreditam vitat, quam cum aliam quamcumque. Ita continuato Tournelii.

QUAESTIO IV.

De Invidia.

CAPUT I.

De Invidiae natura, et pravitate.

Invidiae, seu potius invidentiae verbum ductum esse a nimis intuendo fortunam alterius, ait Tallius lib. 3. Tuscul., qui proinde invidentiam definit aegritudinem esse ex alterius rebus secundis. Melius, et accuratius S. Th. ejus vitii naturam explicat 2. 2. q. 36. art. 1. et 2. Haec enim de bonis alienis aegritudo, seu tristitia, non una eademque ratione suscipitur. Subtili proinde distinctione opus est, ut, in quo positum sit invidiae vitium, innotescat.

Quadruplici scilicet ratione aegritudo haec in animum cadit. 1 Cum quis de bono alterius dolet, prout ex eo timet sibi damnum, vel rebus suis imminere. Haec tristitia proprie non est invidia, sed timoris effectus, ex philosopho. Potest esse sine peccato, nimirum si ex prospera fortuna alterius

immineret malum sibi, aut aliis injuste inferendum, et servetur ordo caritatis. Hoc pacto Esther, et Mardochaeus tristabantur de prosperitate Aman, a quo sibi totique populo Judaeorum supremam cladem imminere intelligebant. Hinc S. Greg. lib. 22. Mor. cap. 6. ait; « Evenire plerumque solet « ut non amissa caritate, et inimici nos ruina laetificet, et « rursus ejus gloria sine invidiae culpa contristet, cum et, « ruente eo, quosdam bene erigi credimus, et, proficiente « illo, plerosque opprimi formidamus. Qua in re mentem « nostram, quod bene animadvertendum est, nec ejus jam « defectus erigit, nec ejus profectus addicit (vel afficit, ju« xta veterem editionem) si recta nostra cogitatio non quid « in ipso, sed quid de ipso circa alia agatur, attendit. Sed « ad haec servanda valde est necessarium subtilissimum dis« cretionis examen, ne cum nostra odia exequimur, falla« mur sub specie utilitatis alienae ».

2. Potest aliquis dolere de bono alieno, non quia eo sit alter praeditus, sed quia ipse caret; ut proinde sit aegritudo non de alterius ornamentis, sed potius horum intuitu de propria inopia. Talis aegritudo non est invidia, sed zelus dicitur, seu aemulatio, quae si spectet in bona spiritualia, bona est, unde Apostolus 1. ad Cor. 14. *Aemulamini spiritualia:* vel etiam cum spectat in honestas disciplinas; unde Hieron. ad Laetam de institutione filiae. « Habeat socias, « cum quibus discat, quibus invideat, quarum laudibus mordeatur ». Si vero est de bonis temporalibus, quandoque habet peccatum, et quandoque culpa vacat, prout moderatio vel infringitur, vel servatur.

3. Dolet quis interdum de bonis alienis hac de caussa, quod indignis obveniunt; tumque si propter eum dolorem eo quis deveniat vel temeritatis, vel impietatis, ut accusare non vereatur Divinae Providentiae ordinem, qua disponente bona temporalia, quae nihili sunt cum aeternis comparata, improbis interdum eveniunt ad eorum vel emendationem, vel damnationem, tunc certe gravissime peccat. Si vero doleat, indignos abundare, et florere cum opibus, et dignitatibus propter ipsam indignitatem rei, propterque mala inde in ecclesiam, vel rempublicam redundantia, ideoque non indigni malum, sed potius ipsam indignitatis emendationem cupiat, tum aegritudo ejusmodi non est invidia, sed indignatio, eaque saepe justa.

4. Denique interdum aliquis de bono alieno dolet hoc nomine, quod alter ipsi antecellit, adeoque ipsius excellentiam imminuit; atque aegritudo si concepta de bono alieno proprie est invidia. Odium ergo felicitatis alienae, ortum ex pravo amore propriae excellentiae, invidiam efficit. Nam, ut ait Augustinus lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 140. « Amando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, « quod ei coaequentur, vel inferioribus, ne sibi coaequentur, « vel superioribus, quod eis non coaequentur ».

PROPOSITIO.

Invidia est peccatum genere suo lethale tum etiam capitale.

Pr. Quoad primam partem. 1. Apostolus ad Galat. 5. Invidiam recenset inter ea, quae qui agunt, regnum Dei non consequuntur. 2. Invidia caritati adversatur. Nam ex Apostolo caritas non aemulatur, caritas facit, ut de bono proximi, proinde ac de nostro gaudeamus. Invidia autem de ipso dolet. Aristoteles etiam in eo pravitatem invidiae demonstrat, quod doleat de eo, de quo laetandum est, nempe de proximi bono. Ex quo patet divinae auctoritatis, et naturalis rationis de hujus vitii pravitate consensio. 3. Crysosth. Hom. 41. in Matth. « Tale malum, inquit, invidia est, qua « nulla unquam malignitas pejor invenitur ». Cujus rei hoc inter alia argumentum profert, quod reliqua peccata excludant a caelo, qui nondum in caelum conscenderunt; invidia e caelo, qui jam intus erant, dejecerit. Nam *hoc vitio*, ut ait Cypr. de zelo et livore, *Diabolus inter initia statim mundi et periit primus, et perdidit.* Etsi autem invidia non sit omnium peccatorum gravissimum, tamen ut docet S. Th. hac quaest. art. 4. ad 2. « Est quaedam invidia, quae inter pec« cata gravissima computatur, scilicet invidentia fraternae « gratiae, secundum quod aliquis dolet de ipso augmento « gratiae Dei, non solum de bono proximi; unde ponitur « peccatum in Spiritum Sanctum; quia per hanc invidentiam « homo quodammodo invidet Spiritui Sancto, qui in suis « operibus glorificatur ».

Pr. Quoad secundam partem. Augustinus Serm. 354. de verbis Domini cap. 4. « Non potest superbus esse non in-

« vidus. Invidia filia est superbiae, sed ista mater nescit esse « sterilis, ubi fuerit, continuo parit ».

Quid pariat, copiose edisserit Cyprianus tract. laudato. « Radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium « delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animo- « sitas inde procedit, avaritiam zelus inflammat etc. » Pulchre etiam lib. 5. Moral. cap. 31. ostendit Gregorius, quomodo ex invidia Cain ad perpetrandum fratricidium corruit: Esau ad persecutionem fratris exarsit: Joseph fratres sui Ismaelitis vendiderunt: Saul David persequitur.

Quinque tamen a D. Gregorio recensentur labes ex invidia directius manantes, nempe odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, et in prosperis afflictio: quod pulchre explicat S. Th. art. 4. ad 3., nam in conatu invidiae tria distingui possunt: principium, medium, et terminum. Principium, ex quo movetur invidus, est ut imminuat excellentiam, qua alter clarescit, quod si occulte tentat, est susurratio, si palam, est detractio. Instar medii vero est, quod aliquis in eam imminutionem intendens, aut efficit quod vult, et sic est exultatio in adversis; aut non efficit, et sic est afflictio in prosperis. Terminus denique in ipsum odium desinit, quippe tristitia gignit odium. Notat autem S. Doctor, afflictionem de prosperis proximi uno quidem modo esse ipsammet invidiam, ut patet ex ejus definitione; alio modo esse filiam invidiae, quatenus bona invidet, quae proximo eveniunt contra conatum invidentis, qui nititur impedire.

CAPUT II.

De Odio, prima invidentiae propagine.

Duplex odium distinguitur, unum inimicitiae, quo quis alteri malum cupit, ut male habeat, aut de malo ejus gaudet; alterum aversationis, quo quis alterius personam, vel personae qualitatem, ut sibi adversam, ac repugnantem refugit. Aversatio, quae cadit in aliquod vitium personae, ipsumque adeo vitii odium in persona existentis, non esse peccatum, immo bonum esse ex natura sua manifestum est. Odium vero proximi, sive inimicitiae, quo malum ipsi cupimus, sive aversationis, aut personae ipsius, aut donorum

naturae, vel gratiae, quibus est praeditus, constat nunquam esse sine peccato, imo peccatum esse genere suo lethale, nec veniale fieri ex objecto, nisi propter aut levitatem mali, quod quis cupit, aut levitatem aversationis. Odium quippe proximi ex genere suo directe caritati adversatur; unde ut habetur 1. Joan. cap. 2. *Qui odit fratrem suum, in tenebris est.* Et subinde: *Qui non diligit manet in morte; omnis qui odit fratrem suum homicida est.* Hujus criminis rei fiunt, qui reconciliationem cum inimicis renuunt, violantes praeceptum Christi. Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos etc.* Quo fuga odii, sincera, et interior dilectio, et hujus exterior manifestatio praecipitur. Frustra ergo sibi nonnulli blandiuntur, se non odisse inimicos, dum consueta ipsis benevolentiae signa exhibere renuunt.

Quod attinet ad rationem huius peccati confitendi, duo sunt advertenda. Primo aperiendam esse omnino mali conditionem, quod quis alteri exoptavit: utrum in fortunis, an in fama, an in vita corporea, vel spirituali, sunt enim haec mala ex objecto diversa. Unde ex his prout alteri exoptatis, odium diversam specie pravitatem sortitur, ut colligi potest ex D. Th. 2. 2. q. 31. art. 4. ad 2.

Secundo confitentem rite absolvi non posse, quousque odium prorsus expulerit, et cum inimico reconciliari curaverit. Constat ex regula a Christo ipso praescripta Matth. 5. *Si offers munus tuum etc.*

Neque vero ab hoc peccato immunes putandi sunt qui commodi sui caussa malum cupiunt proximo; filius ex. gr. qui mortem parentis expetit ob haereditatem, uxor quae mortem conjugis ad levationem molestiae, parentes qui filiarum ob deformitatem, et elocandi difficultatem, et similiter qui de his malis commodi quoque sui caussa gaudent. Talis enim cupiditas, et laetitia injuriosa est ordini divinae providentiae, violat praeceptum illud caritatis, quo ipsius etiam naturae voce admonemur, non esse alteri faciendum, quod sibi quis nolit fieri. Damnatae sunt propterea improbae istae propositiones ab Innocentio XI. 13. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali, de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum*; et sequentes 14. 15., quas recitavimus, ubi de consensu. Manifestum

est autem, aliter de illo esse judicandum, qui minus aliquod malum proximo exoptat ad avertendum aliquod ejus majus detrimentum, aut ut majus bonum adipiscatur, aut ut eo malo admonitus ad meliorem frugem redeat, aut ne suis copiis abutatur ad alios injuste vexandos: is enim revera non malum proximi, sed verum ejus bonum exoptat.

CAPUT III.

De Detractione, et Sussurratione.

Detractio est alienae famae iniqua imminutio. Nam qui famam alterius imminuit, crimen patefaciendo ejus, titulo necessitatis, justitiae, vel caritatis, non est in detractionis culpa, et vitio positus. Titulo necessitatis, cum quis ad propulsandam gravem injuriam a teste iniquo illatam, non aliter potest ejus testimonii vim, et iniquitatem infringere, quam aperiendo crimen aliquod ejus, verum quidem, attamen antea occultum. Titulo justitiae, cum v. g. Superior, servato juris ordine, sententia sua improbi hominis scelera promulgat, quem indignum novit, ut alicui muneri praeficiatur, nec aliter impedire potest, quam ejus indignitate patefacta. Titulo caritatis, cum quis ut bono proximi, vel privato consulat, personae alicujus vitia, unde labes aliqua, et detrimentum immineret, iis manifestat, ad quos pertinet, vel etiam ad ipsius delinquentis emendationem, servato tamen semper caritatis, et juris ordine. His ergo praetermissis, in quae non cadit vitium detractionis, de ipsa jam, prout est alienae famae imminutio, inquirendum est.

Potest quis ex D. Th. 2. 2. q. 73. art. 1. ad 3. famam alterius imminuere, aut directe, aut indirecte. Et directe quidem quatuor modis. 1. Falsum crimen imponendo. 2. Verum exaggerando. 3. Occultum patefaciendo. 4. Bonum ipsum in malam partem detorquendo; indirecte vero tribus modis. 1. Praeclaras dotes alterius inficiando. 2. Easdem extenuando. 3. Malitiose reticendo. Ad quod pertinet etiam exigue, et frigide laudare, unde ex ratione ipsa laudandi, alii inducantur ad minus bene sentiendum de illo, qui laudatur.

PROPOSITIO I.

Detractio est ex genere suo peccatum lethale.

Pr. Apostolus ad Rom. 1. detractores recenset inter scelestos homines, qui gravissimis flagitiis obstricti tenentur, quae qui agunt digni sunt morte. Proverb. 24. *Abominatio hominum detractor . . . Cum detractoribus ne commiscearis. Si quoniam repente consurget perditio eorum.* Ecclesiastis 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.* Patet etiam imminutione famae, tanti scilicet, tamque praestantis boni, gravem injuriam fieri proximo. Quare S. Th. q. 73. art. 3. detractionem constituit pravitate, veluti mediam homicidium inter, et furtum, ut sit quidem minus peccatum homicidio, majus autem furto. Siquidem inter exteriora bona, fama praecellit divitias, eo quod propinquior est spiritalibus bonis. Unde dicitur Prov. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae.*

Interdum tamen detractio est tantum venialis, vel propter imperfectionem actus, vel propter levitatem materiae, nisi ex ea detractione per se levi, grave damnum consequeretur; velut si quis per levem detractionem alium injuste impediat a consecutione alicujus beneficii, vel dignitatis.

PROPOSITIO II.

Ex injusta imminutione famae oritur obligatio ejus restituendae, tum etiam damni reparandi, quod ex ea est consecutum.

Pr. Ex generali principio, quo constat, restitutionem esse actum commutantis justitiae. Cum ergo, ut inquit D. Th., conservare justitiam sit de necessitate salutis, consequens est, quod restituere id, quod injuste ablatum est alicui, sit de necessitate salutis.

Tenetur itaque detractor et famam violatam reparare, et damna resarcire, quae inde sunt consecuta. Velut qui dignum impedit a consecutione beneficii certo ipsi jam destinati, tenetur ad aequalitatem; secus, quandoquidem aliis ex caussis impediri poterat, tantum restituere, quantum arbitrio pru-

dentis respondeat spei, e qua dejectus est, seu probabilitati, quam habebat consequendi beneficii. Et haec quidem obligatio resarciendi damna realia transit etiam in haeredes, siquidem inter detractoris ipsius debita merito recensetur.

Quod attinet ad hujus restitutionis obligationem, et modum, haec habet D. Th. q. 62. art. 2. ad 2. « Aliquis potest alicui famam tripliciter auferre: Uno modo verum dicendo, et juste: puta cum aliquis crimen alicujus prodit ordine debito servato, et tunc non tenetur ad restitutionem famae: alio modo falsum dicendo, et injuste, et tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse: tertio modo verum dicendo, sed injuste; puta quum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum; et tunc tenetur ad restitutionem famae quantum potest, sine mendacio tamen, utpote quod dicat, se malum dixisse, vel quod injuste eum diffamaverit, vel si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare ».

Hinc sequitur primo, qui inculpato etiam errore aut personae, aut facti, alicujus famam laesit, teneri, agnito errore, quam primum famam restituere, suumque errorem patefacere; secus consentiendo materiali detractioni agnitae, reus ejusdem fieret. Non tenetur ad damna reparanda, quae ex materiali detractione, manente hujus invincibili ignorantia, in proximum redundarunt: sed si agnita detractione, non curet statim famam restituere, de damnis tenebitur, quae ex culpabili ejus mora in restituendo consequerentur. Secundo, qui simpliciter narrat quae audivit de alio contra ejus famam, etsi ea non approbet, nec confirmet, fieri tamen reum detractionis, et teneri ad restituendum, quoties praevidere potuit, ea fidem repertura apud audientes. Tertio, qui personae jam propter aliquod crimen famosae vitium alterius generis patefacit, reum fieri detractionis, et teneri ad restitutionem, quoad eam partem illius existimationis bonae, quam violavit. Nam qui famosus est ex. gr. propter concubinatum, jus habet ad bonam famam in his, quae pertinent ad justitiam: unde si injuste traducitur ut fur, fit ei injuria. Quarto, qui crimen alterius uni, aut alteri amico credit nunquam ab eo manifestandum, fieri tamen reum detractionis, siquidem amissio famae apud unum, aut alterum virum, maxime gravem, et prudentem, grave damnum est. Excipitur tamen caussa necessitatis, velut ad consilium ca-

piendum, in quo tamen, si fieri potest, reticeri persona debet. Eximunt etiam multi a lethali culpa, qui gravem ab alio acceptam injuriam, ad levationem animi, amico gravi, et prudenti aperiunt. Quinto, aliquando etiam lethalis detractionis reos fieri posse, qui crimen notorium proximi nescientibus aperiunt; ad cuius rei explicationem animadvertendum est, aliud esse notorium facti, aliud notorium juris. Notorium facti est, quod ita positum est in conspectu multorum, ut nulla tergiversatione celari possit. Hoc modo notorium crimen est censendum, cum ejus fama sic per totam urbem, vel communitatem diffusa est, ut, etiamsi non omnibus adhuc innotescat, vix tamen fieri possit, ut non in eorum, qui adhuc ignorant, notitiam perveniat. Notorium juris dicitur, de quo aliquis in judicio, vel condemnatus, vel confessus, argumentis convictus est. Primo, si crimen notorium facto est verum, non videtur lethalis peccati reus, qui hoc divulgat in ea urbe, vel communitate, in qua jam per ora hominum volitat. Nam eo loco videtur ille jam dejectus esse de famae suae possessione. Secundo, si crimen falsum est, lethaliter peccat adversus justitiam, et restitutioni, quoad fieri potest, fit obnoxius, qui illud nescientibus aperit, etiam in eo loco, ubi famosum est. Nam innocentis famae aliquam maculam adspergere, semper contra justitiam est. Tertio, si qui laboravit infamia, per emendationem vitae famam recuperavit, lethale peccatum est contra justitiam, veterem infamiam oblivione obductam, et melioris famae, quae secuta est, splendore depulsam, nova antiqui criminis commemoratione excitare. Quarto, si crimen per solam rei confessionem, aut testium depositionem in jure innotuerit, injustum est illud evulgare. Quinto, si crimen per sententiam judicis publicatum fuerit, nulla fit reo injuria, quocumque in loco aperiatur; quia sententia judicis expoliatus est jure suo ad famam, quod attinet ad illud crimen; unde ad restitutionem nulla exoritur obligatio, tametsi contra caritatem peccet, qui nulla necessitate illud nescientibus patefacit, et lethaliter etiam si ex odio, vel invidia prodit animo graviter nocendi.

Sunt autem caussae quaedam, quae detractorem eximunt quandoque onere restituendae famae. Primo, impotentia, ut patet ex sese. Nemo enim tenetur ad id, quod praestare non potest. Ex hoc etiam capite immunes censendi sunt a resti-

tutionis onere, qui sine vita discrimine restituere nequeunt. Nam ex periculo vitae consurgit impotentia quaedam moralis ad restituendam famam alterius, utpote bonum inferioris ordinis. Excipe tamen casum, quo quis infamia conjectus fuisset in vitae periculum; tunc enim tenetur detractor illum ex hoc periculo eximere, etiam cum propriae vitae discrimine. Nam potius est jus illius, qui aliena culpa, non sua, est adductus in periculum, quam ejus, qui maledicto suo immerentem adduxit in vitae discrimen: idque semper valet, nisi vita detractoris esset Reipublicae necessaria, vel admodum utilis, minime autem ejus qui detraxit, tunc enim non teneretur ad ipsum eripiendum vitae suae jacturam facere propter damnum publicum: publica enim sunt privatis anteponenda. Minime vero detractor eximitur onere famae restituendae, tametsi restituere nequeat sine suae detrimento. Cum enim potius sit jus ejus, cui fama injuste ablata est, quam ejus, qui injuste abstulit, tenetur hic certe alterius famam, quam labefactavit, etiam cum pari jactura propriae famae resarcire; excipi etiam solet, si detractoris auctoritas, et bona existimatio multum prodest reipublicae, non item ejus, cui detraxit. Tunc enim alias vias tentare debet, quibus satisfacit, hominem commendare, honorifice appellare, familiaritati suae adjungere, non autem sibi dedecus inferre, etiamsi opus esset ad famam alterius laesam redintegrandam. Secundo, cessat restituendi obligatio, cum ex detractione nulla est infamia consecuta; velut cum detractor ita male audit, ut nemo ipsi credat, et neminem suis dictis male vulnerare possit. Tertio, si quod ipse prodidit, alia manavit in vulgus via, tamen semper tenetur de damnis, si quae ex facto suo redundarunt, antequam crimem publicum fieret. Quarto, si jam deleta est infamia, et bona existimatio reconciliata, tunc enim imprudentiae esset, vulnus obductum importuna commemoratione refricare. Quinto, multi existimant compensatione cessare obligationem famae restituendae, cum scilicet duo detractores sese mutuis maledictis vexarunt; tunc enim censent, unum non teneri ad famae restitutionem, nisi alter etiam resarcire velit. Ad quam sententiam comprobandam affert Natalis Alexander auctoritatem Innocentii Tertii cap. *Tua fraternitas* Extravagantium de adulteriis, cujus haec sunt verba: *Cum patria crimina compensatione mutua deleantur.*

Cavendum tamen, nequis putet sibi licere maledictum maledicto elidere. Nunquam enim facere licet, quod suapte natura injustum est; multo minus vero detrahenti quacumque ex caussa falsum crimen affingere; unde ab Innocentio XI damnatae sunt improbae propositiones, 43. *Quid nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam, falso crimine elidere:* et 44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat; et si hoc non sit probabile, vix ulla erit probabilis opinio in Theologia.* Sexto denique cessat restituendi obligatio, voluntaria, et justa condonatione injuriae, ex doctrina D. Th. q. 73. art. 4. ad 1. « Possunt, inquit, ad notitiam alicujus detractiones contra ipsum factae aliorum « relationibus pervenire, et tunc sui arbitrii est, detrimentum suae famae pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum ».

Superest inquirendum de his, qui aures praebent detrahentibus, qua se culpa obstringant. D. Th. q. 73. art. 4. quaestionem explicat in hunc modum: « Quisquis detractiones audit absque resistentia, videtur detractori consentire. « unde fit particeps peccati ejus; et siquidem inducat eum « ad detrahendum (velut significatione laetitia, et plausus), « vel saltem placeat ei detractio propter odium ejus, cui « detrahitur, non minus peccat, quam detrahens, et quandoque magis; unde Bernardus dicit, detrahere, au detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile « dixerim. Si vero non placet ei peccatum; sed ex timore, « vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus « quam detrahens, et plerumque venialiter. Quandoque etiam « potest esse peccatum mortale, vel propter hoc, quod alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere, vel propter « aliquod periculum, quod audiens novit consequens, vel « propter radicem, qua timor mundanus quandoque potest « esse peccatum mortale ».

Ad restitutionem autem non tenetur, nisi qui favet detrahenti, eumque inducit ad detrahendum; et qui corripere detrahentem praetermittit, cum ex officio teneretur.

Susurro dicitur, qui occulte maledicendo odium in aliquem, et inter amicos dissensionem inique molitur; quapropter D. Th. q. 74. art. 1. docet susurrationem a detractione

differre ex fine, quod detractione, proximi honor, sussurratione vero amicitia laeditur, et inter conjunctos separatio, seu animorum dissensio intenditur; unde Prov. 26. dicitur; *Susurrone subtracto jurgia conquiescunt.*

Peccatum esse suapte natura lethale, et detestabile, probatur Sacr. Litterarum auctoritate: ad Rom. cap. 1. susurrones recenset Apostolus inter scelestissimos, quos Deus tradidit in reprobum sensum. Proverb. cap. 6. *Sex sunt, quae odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus, . . . eum, qui seminat inter fratres discordias . . .* Ecclesiastici 28. *Susurro, et bilinguis maledictus, multos enim turbabit pacem habentes.* Peccatum autem esse gravius detractione docet S. Th. articulo 2. eo quod exterioribus bonis omnibus longe praestat amicus. Siquidem amico fideli nulla est comparatio, ut habetur Ecclesiastici 6. et fama ipsa, quae per detractionem tollitur, est veluti medium quoddam ad comparandos amicos. Quapropter cum susurratio amicitiam labefactet, bonum praestantius ipsa fama, gravius est peccatum, quam detractio.

QUAESTIO V.

De Ira.

CAPUT I.

De irae natura, et pravitate.

Ira, seu iracundia, primo quidem sumitur pro affectu quodam animi, seu commotione appetitus sentientis, injuriae acceptae sensu exardescentis, et ad ultionem sese comparantis. Porro, ut est animi affectus, ira nec bona est, nec mala moraliter. Fieri autem bona potest, vel mala, prout eum affectum vel ratio moderatur, vel ei voluntas consensu suo praeter rectam rationem obsequitur.

Ira porro deliberata spectari potest, vel ratione obiecti, quod est vindicta, vel ratione modi, quo quis irascitur, seu appetit vindictam. Hinc quisque servat rationis ordinem quoad utrumque, qui nempe appetit vindictam, non propter malum ejus, qui puniendus est, sed propter vitiorum correptionem, et bonum justitiae conservandum, quod sane laudabile est, nec ille

appetitus in se sit vehementior, quam par est; talis ira est laudabilis, et bona, diciturque ira per zelum. Unde Greg. lib. 5: Moral. cap. 30. « Sciendum est, inquit, quod alia « est ira, quam impatientia excitat, alia, quam zelus justi« tiae format; illa ex vitio, haec ex virtute generatur. Si « enim nulla ira ex virtute surgeret, divinae animadversio« nis impetum Phinees per gladium non placasset; quia Heli « non habuit, motum contra se implacabiliter supernae ul« tionis excitavit ».

Vitiosa vero ira definitur immoderatus appetitus vindictae; quod quidem ex D. Th. quatuor modis contingit, appetendo puniri eum, qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, scilicet justitiae conservationem, et emendationem culpae. Saepe etiam immoderatio est in ipso motu irae, cum nimirum immoderatus effervescit, sive intus, sive exterius, quod semper vitiosum est, tametsi justam quis vindictam appetat. Hinc vitiosa ira distingui potest, vel prout est immoderatus appetitus immoderatae vindictae, vel prout est immoderatus appetitus vindictae etiam moderatae.

PROPOSITIO I.

Ira, prout est immoderatae vindictae appetitus, peccatum est genere suo lethale.

Pr. Nam immoderatae vindictae appetitus natura sua repugnat bono proximi, atque adeo caritati; et justitiae. Hinc Apostolus ad Galat. 5. iram recenset inter opera carnis, *Quae qui agunt, regnum Dei non consequentur*. et Jacobus Epist. cap. 1. *Ira enim viri justitiam Dei non operatur.*

Contingit tamen aliquando, iram fieri peccatum veniale, vel quia motus irae antecedit rationem deliberatam, vel quia ira etiam plene deliberata, non cupit proximo, nisi malum exiguum, et quod sit instar nihili reputandum.

PROPOSITIO II.

Ira, prout est appetitus tantum immoderatior vindictae alioquin justae, non est genere suo peccatum lethale, tametsi aliquando lethale peccatum fiat.

Ita docet S. Th. 2. 2. q. 158. art. 3., potest esse motus irae inordinatus, quantum ad modum irascendi, utpote si nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa irae. Et sic ira non habet de suo genere rationem peccati mortalis. Potest tamen contingere, quod sit peccatum mortale, puta si ex vehementia irae aliquis excidat a dilectione Dei, et proximi.

Tres gradus irae distinguit S. Th. art. 5. ad 3. Primo ex illo Math. 5. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*, quo significatur ira, quatenus corde concepta, qui gradus est infimus, cui respondet poena minus gravis, quae judicio indicatur. Nam ut interpretatur Augustinus; *In judicio adhuc defensionis locus datur.* Secundo. *Qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio.* Hic designatur secundus gradus irae, quatenus per signa exteriora erumpit etiam, antequam ad effectus progrediatur. Raca enim interjectio est indignantis animi, ut Augustinus testatur, se ab hebraeo quodam accepisse; tametsi putent alii esse vocem vel Syriacam, vel Caldaicam, ex Hebraea lingua derivatam, quae significat hominem levem, et inconstantem. Poenam autem graviorem concilio indicari vult Augustinus, quod in concilio judices inter se conferunt, quo supplicio damnari oporteat. Tertio: *Qui autem dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennae ignis.* Hinc tertius est gradus, quo ira interius concepta perducitur ad effectum, nimirum ad nocumentum alterius sub ratione vindictae, quod nocumentum a verbis jniuriosis incipit. Unde huic respondet gehenna ignis, sive certa damnatio.

Notandum tamen, doctissimos interpretes nomine non solum concilii, sed etiam judicii poenam capitis intelligere. Notant scilicet judiciorum tribunalia fuisse duo apud Hebraeos, unum in singulis civitatibus, *Crisis* vocatum, quod Latinus interpres vertit judicium: alterum in principe civitate, *Synedrion* nominatum, quod latinus interpres vertit con-

cilium, cujus erat de majoribus caussis judicare. Volunt, reum judicio significari eo loco reum mortis aeternae, accomodate ad Juadaeorum loquendi consuetudinem, apud quos reus judicio idem erat, atque reus capitalis poenae; idque ex ipsa accusandi formula: *Judicium mortis est viro huic etc.* Difficultas autem enascitur, quomodo per judicium, et per concilium capitalis poena, seu mors aeterna per eam designata intelligi possit, cum manifestum sit, Christum tres poenarum gradus velle distinguere. Cui difficultati apte respondet Maldonatus, gradus quidem distinguere, non genus, judicio leviorem, concilio graviorem. Sed quod ait deinceps, quatuor fuisse apud Judaeos capitalium poenarum genera, remelius videtur explicari a Sigonio, qui tria tantum censet de Rep. Judaeorum lib. 6. cap. 8., nempe lapidationem, crucifixionem, et combustionem, quae tria genera tribus memoratis gradibus apte respondere videntur; quare concludunt, Christum eo loco docuisse, graviores poenas peccatis deberi, quam vulgo Judaei crederent. Non omnes tamen, qui aliquo impetu irae commoventur, aut levem inferunt contumelia, aeternae mortis poena puniendos, sed de iis locutum, qui consensu deliberato irascuntur personae, non vitiis, eamque ex ira vel odio vel contumeliis appetunt.

Tres etiam irae species distinguit S. Thomas ex philosopho: unde ex iracundis alii acuti dicuntur, qui cito iram concipiunt, cito etiam deponunt; alii asperi, et graves, qui conceptam iram diutius retinent, quod altius impressa maneat in mente injuriae memoria; alii denique infesti, quorum ira nulla diuturnitate temporis, sed sola vindicta, quam obstinato impetu quaerunt, mitigari queat.

CAPUT II.

De vitiis ex ira prodeuntibus.

Iram vitium esse capitale, praeclare ostendit S. Th., sive quia in vindictam fertur, quae vehementer allicit animos, facitque, ut hujus explendae libidine in multas improbitates ruere homo non vereatur, sive quia ira ex ipso impetu, quo movetur, concitare potest, et impellere hominem ad quidvis improbe audendum.

Vitia autem, quae propius enascuntur ex ira, sex nume-

rantur a D. Gregorio, rixa; tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia.

Indignatio est commotio animi, qua eum, a quo est affectus injuria, indignum putat, a quo eam pati debuerit, ipsumque ideo nec sua familiaritate, nec aspectu, aut colloquio dignatur. Lethalis fieri potest multiplici ex capite; si gravem contemptum continet, si gravem scandalum praebet, si a sermone, vel aliis exterioribus benevolentiae signis avocat, quo tempore quis ea praestare sub gravi tenetur, si indignans ita est animo affectus, ut alterum aliqua necessitate vel animi, vel corporis afflictum nullo modo juvare vellet.

Tumor mentis est aestus quidam excandescentis animi, multaque animo volventis, quibus meditatam ultionem explere valeat. Gravitas ejus pendet ex gravitate vindictae, quam quis molitur.

Clamores sunt inconditae vociferationes, et elatae, quibus homines aliquem insectantur, animumque vel contemptorem, vel adversum produnt. Lethales sunt, si ex gravi odio, vel contemptu erumpunt, vel grave scandalum pariunt.

Contumelia est alieni honoris violatio per verba injuriosa, quae illo praesente, et audiente proferuntur. Lethalis fit contumelia, cum quis animo decorandi proximi convicium jacit, vel cum ipsum convicium temere jactatum, spectatis conditionibus personarum, locorum, ac temporum, tale est, ut alterius honorem graviter laedat. Tunc enim potest, ac debet conviciator praevidere labem ex sua contumelia spargendam in honorem proximi; unde obligatur ad honoris restitutionem.

Blasphemiae sunt verba contumeliosa petulanter, et impie jactata, quibus Dei Majestas impetitur, vel in se, vel in personis, aut rebus in ipsum directe spectantibus.

Rixa ex D. Th. 2. 2. q. 41. art. 1. est bellum privatum inter privatos, quod scilicet non publica auctoritate indicitur, sed privata, et perversa contentione suscipitur. Rixam esse suapte natura peccatum lethale, satis convincitur ex illo Apostoli ad Galat. 5., ubi rixam recenset inter opera carnis, quae qui agunt, regnum Dei non consequentur. Sed ut rectum de culpa eorum, qui rixantur, ferri queat judicium, notandum est ex S. Doctore, rixam spectari posse vel in eo, qui alium injuste invadit, vel in eo, qui se defendit.

Rixa in injusto aggressore peccatum est lethale genere suo; nam inferre malum proximo, violentas in eum manus injiciendo, non est, inquit S. Doctor, absque peccato mortali. In eo vero, qui resistit justo aggressori, rixa quandoque culpa vacat, quandoque culpam habet adjunctam. Nam si tantummodo repellit injuriam, et cum debita moderatione, ut non plus violentiae adhibeat, quam opus est ad injuriam propulsandam, expers est omnino culpae, nec io eo justa, et moderata sui defensio rixa proprie nuncupari potest. Erit autem peccatum, si ad defensionem adjungit affectum odii, vel vindictae, atque inter se defendendum moderationis fines excedit, plus scilicet violentiae adhibendo, quam opus est. Nam haec major vis, quam quae necessaria est ad injuriam propulsandam, non amplius ad defensionem pertinet, sed ad oppugnationem. Et quidem hoc peccatum, quo casu veniale tantum, quove casu mortale quoque sit, ex D. Th. eruitur: « Venialis quidem est, quando aliquis levis motus odii, vel « vindictae se immiscet, vel cum non multum excedit mo« deratam defensionem. Mortale autem, quando obfirmato « animo in impugnantem insurgit ad eum occidendum, vel « eum graviter laedendum ».

Atque ex his principiis concludit S. Th. in responsione ad 3., ministros principis, aut Judicis, dum publica auctoritate in aliquem invadunt, rixae minime reos fieri, sed ejus peccati reos evadere, qui se defundunt, publicae potestati resistendo: unde hoc casu non illi peccant, qui ut legitimum ordinem justitiae servent, aliquem aggrediuntur, sed illi, qui contra hunc debitum ordinem, injuste defensionis praetextu resistunt.

QUAESTIO VI.

De Gula.

CAPUT I.

De Gulae natura, et pravitate.

Gula est intemperantia in voluptatibus cibi, et potus. Certe cibi, et potus delectatio providentissimi auctoris naturae beneficio indita est, ut ea invitarentur homines ad cibum, et

potum capiendum, alendo corpori, et viribus reficiendis opportunum, et necessarium; quidquid ergo ab hoc ordine, et fine deflectit, immoderatum est, ac proinde vitiosum. Atque hinc fit, ut quisquis in edendo, et bibendo solam voluptatem consectatur, non corporis conservationem, propter quam alimentorum usum suavitate quamdam natura perfudit, is recedit ab ordine rationis, cujus est appetitum sentientem moderari, ejusque actus in finem consentaneum dirigere. Quapropter damnata est ab Innoc. XI haec propositio octava: *Comedere. ac bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

Ipsa autem, quae fit hoc vitio rationis, et ordinis perversio, ex quinque potissimum capitibus exoritur, ex DD. Thoma, et Antonino. 1. Ex nimia quantitate alimenti, de qua Sanctus Antoninus parte 2. tit. 6. cap. 1. num. 5. « Prima gulae species, seu modus, est nimis comedere, aut « etiam bibere. Tum addit: Tantum ergo potest, et debet « quis comedere, et bibere, quantum credit, se indigere « ad sustentationem, et executionem eorum, quae sibi in« cumbunt agenda, ita ut non usque ad nauseam sumat, « sed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat ».

2. Ex ipsa delicatioris cibi ratione, quem qui voluptatis caussa exquirit. Excipit tamen S. Antoninus: « Si tamen « utatur cibariis delicatis propter infirmitatem, vel debilita« tem hoc exigentem, aut generis nobilitatem, ut princeps, « aut temporis congruitatem, ut in nuptiis, et conviviis di« scretis, potest esse hoc absque peccato ».

3. Ex nimio tempore, et studio, tum etiam ex impensa in apparandis cibis, ut magis delectant, in quo ex D. Antonino praecipue divites solent delinquere. Tum Alani locum refert de planctu naturae, ubi deplorat coquinarium artificium, quo naturales faetus miris modis exagitant, et invertunt, ut multiformis saporis gratiam consequantur. « Alius « ministrorum contundit, colat alius, et conficit, substan« tiam vertit in accidens, naturam mutat in artem, ut « saturitas transeat in esuriem ». Ac tandem dilucide, et graviter subjungit Antoninus: « Sed magnam conscien« tiam sibi debent facere tales de tanto tempore, quod « amittunt, et faciunt ministros amittere pro hujusmodi prae-

« paratione, et expensis superfluis, quibus deberent paupe-
« ribus subvenire ».

4. Ex modo, aviditate scilicet nimia in sumendo cibo, de qua idem Antoninus; « Quarta species gulae est, nimis « ardenter, seu nimia aviditate cibum, vel potum sumere « Ad quod pertinere videtur comedere nimis rapaciter, « et festinanter, et licet quidam habeant a naturali con- « ditione, vel assuefactione, tamen corpori nocet: et cum « procedit ex inordinato appetitu delectationis, gulae pecca- « tum est ».

5. Ex perturbato tempore sumendi cibi, nam qui tempus ita pervertunt, non tam necessitati consulere, quam voluptati servire videntur. Nocet id etiam valetudini, nam, ut ait S. Doctor, nec sani vivere possunt, cum ponant indigestum super indigestum, unde mali humores generantur, et caput etiam fumositatibus est gravatum, et male aptum ad spiritualia, et hoc nisi magnus labor excuset, ut laborantes in agris, viatores, pueri dum sunt in augmento.

Gulae vitium, utpote quod in immodica cibi, potusque delectatione positum est, dividitur ex D. Th. q. 150. art 1. in commessatione, seu crapulam, quae intemperantiam in epulis designat (ex Theologorum loquendi consuetudine: crapula namque latinis auctoribus ad immoderatum vini potum maxime refertur) et ebrietatem, quae proinde continetur sub gula, sicut species sub genere. De ebrietate seorsum agemus cap. sequenti.

PROPOSITIO.

Gulae vitium ratione intemperantiae in consectanda cibi, et potus delectatione, potest in mortalem culpam evadere; estque adeo peccatum genere suo lethale.

Propositio est contra nonnullos moralis theologiae doctores, quibus videtur, gulam, quae in sola sistit intemperantia cibi, et potus, esse tautum peccatum veniale; qui probabile putant, veniale tantum esse, si quis, secluso damno corporis, et scandalo, cibo se, et potu ingurgitat usque ad vomitum, imo vomat de industria, ut iterum edendi, et bibendi voluptati indulgere possit. Talia enim nonnulli scripsere.

Probatur autem primo, multis, et perspicuis divinarum litterarum oraculis. Lucae 21. *Attendite, ne graventur corda vestra crapula, et ebrietate.* His verbis Christus promulgavit praeceptum naturale, et divinum, rem suapte natura malam vetans. Mortali ergo crimine se obstringit quisquis hoc praeceptum graviter laedit. Sed huic praecepto manifeste adversatur intemperantia in crapula, et ebrietate. Igitur per solam intemperantiam potest id praeceptum ita violari, ut quis reus fiat culpae mortalis. Secundo Apostolus ad Rom. 13. *Abjiciamus opera tenebrarum .... sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus, et ebrietatibus.* Hic Apostolus comessationes, et ebrietates recenset inter opera tenebrarum, quae abjicienda sunt, et quidem ut possimus induere Dominum J. C. Sunt igitur peccata mortalia. Tertio ad Galatas 5. commessationes, et ebrietates enumerat inter opera carnis, quae qui agunt, regnum Dei non consequentur. Comessatorum turpitudinem exagitat Isaias cap. 28. *Omnes mensae repletae sunt vomitu, sordiumque.* Idem cap. 5. *Vae qui saturati estis*; quem locum interpretatur Basilius in Asceticis cap. 1. « Ventrem plus aequo replere, et cibis aggravare, maledi-« ctione dignum est, dicente Domino: vae qui saturati « estis ». S. Caesarius in Appendice Sermonum sancti Au-« gustini, Serm. 294. « Frequenter usque ad vomitum in-« gurgitare se non erubescunt . . . . pejores animalibus ju-« dicandi sunt; cum enim animalia amplius, quam eis opus « est, bibere nolint, illi et duplum, et triplum, quam eis « oportet, potum accipiunt, et unde tribus, aut quatuor die-« bus refectionem rationabilem potuerant habere, uno die « cum grandi peccato suo contendunt perdere potius quam « expendere; atque utinam vel potum tantummodo perde-« rent, et non etiam ipsi perirent. » Grande peccatum in his agnoscit Caesarius, et tale peccatum, quo quis perit, quod uno die duplum, vel triplum moderatae refectionis sumat: Ergo ex solo excessu intemperantiae in genere gulae. S. Greg. lib. 30. Moral. cap. 13. « Nonnulli aliquando multa « etiam, quae magnae sunt fortitudinis, faciunt; sed domi-« nante gulae vitio, per carnis illecebram omne, quod for-« titer egerint, perdunt: et dum venter non restringitur, per « carnis concupiscentiam simul cunctae virtutes obruuntur ». Gregorius ostendit, aliquorum virtutes obrui per ipsum gulae vitium dominans, non per peccata generis alterius in quae

qui ex gula inducatur: de illis enim loquitur, qui fortitudine utentes, bella gerunt adversus alia vitia. Hinc autem D. Th. q. 148. art. 2. concludit: Gulam esse peccatum mortale, quia virtus non tollitur, nisi per peccatum mortale.

Fit autem gula peccatum mortale quando ei homo inhaeret, ut fini; quemadmodum ibidem docet. S. T.; et tametsi hoc ipsum S. Doctor repetere videatur, quod propter ipsam sit homo paratus aliquid agere contra praecepta Dei, tamen, ut optime interpretatur Cajetanus, hoc appositum est 1. Ad explicandum effectum definitae gulae. Cum enim delectatio gulae amatur, ut finis ultimus, consequens est, ut praeceptis Dei anteponatur, et sic faciat hominem transgressorem aliorum praeceptorum. 2. Ad declarandum a posteriori, quando delectatio gulae appetatur, ut ultimus finis. Caeterum, ut recte ait idem Cajetanus, peccatum mortale in gula constituitur prius ex hoc, quod delectatio gulae appetitur, ut finis ultimus; et ex hoc appetitu efficiatur alius appetitus agendi contra praecepta Dei. Notat autem, gulam fieri propterea peccatum mortale, non quia simpliciter appetitus delectationis augeatur gradibus ex parte appetentis, sed quia appetitur, ut ultimus finis.

Neque obstat, quod a nonnullis dicitur, nullum esse praeceptum Decalogi vetans inordinatum gulae appetitum, nam, ut ait S. Th. hoc art. ad 1., non omnia peccata mortalia directo adversantur praeceptis decalogi, sed illa solum, quae injustitiam continent. Quia praecepta decalogi specialiter pertinent ad injustitiam, et partes ejus. Non omnia ergo praecepta divina sunt praecepta decalogi, ut inquit Cajetanus. Sacris autem litteris gulae intemperantiam vetari, perspicuum fit ex locis citatis. Quamquam et hanc ipsam intemperantiam, prout avertit a fine ultimo, docet Sanctus Th., per quamdam reductionem opponi praecepto de sanctificatione sabbati, quo praecipitur quies in fine ultimo.

Objicitur, quod dicitur Matth. 15. *Quod intrat in os, non coinquinat hominem.* Ex quo effici videtur, in ciborum sumptione nullum inesse peccatum. Deinde quod aliqui patres ad minuta peccata referre videantur, si quid plus quam opus est, de cibo, vel potu sumitur; ex quo effici videtur, gulam non esse saltem peccatum mortale.

R. Quod intrat in os non coinquinat hominem. Et revera nullus cibus ex natura sua contaminat hominem. Perstrin-

git Christus errorem Judaeorum opinantium, cibos quosdam esse natura sua immundos; sed gula non est cibus, sed perversus appetitus delectationis cibi, qui dum exit ex corde, seu deliberata voluntate, contaminat hominem.

Ad alterum, fatemur modicum excessum in cibo, et potu capiendo, inter minuta peccata referendum esse; sed eum fieri lethalem, quando quis inhaeret delectationi cibi, ut fini, et cum propter eam paratus est transgredi alia praecepta, ut agnoscit D. Th. in responsione ad hoc ipsum obiectum; ait enim, gulam virtutes auferre, non tam propter se, quam etiam propter vitia, quae ex ea oriuntur. Nam particula *etiam*, apposita in secundo casu, ostendit, gulam aliquando virtutes auferre; et in ipso primo casu, nimirum propter se; ex quo melius etiam perspicitur mens D. Thomae.

CAPUT II.

De Ebrietate.

Ebrietas dupliciter potest accipi, ut docet S. Th. q. 150. art. 1. Primo pro ipsa mentis alienatione, ex multa potatione liquoris temulentiam facientis, et hoc modo ebrietas uon proprie est culpa, sed incommodum, ac dedecus ex culpa consequens. Secundo accipitur pro immoderata ipsa potatione, unde haec alienatio consequitur, et hoc quidem rursum accidere potest, vel omnino praeter opinionem, propter multas, et inopinatas vires vini potati, tumque, si nulla fuerit negligentia, nullum quoque peccatum est, et hoc pacto Noe sine culpa in ebrietatem incidit; vel id accidit ex immoderata cupiditate, et usu vini, tumque ebrietas est peccatum.

Diligenter autem est animadvertendum, non in hoc praecise positum esse vitium ebrietatis, quod sit immoderatus appetitus liquoris suaviter allabentis, caussa ipsius delectationis; unde errandi quidam occasionem sumpserunt. Nam talis immoderatio delectationis propria est gulae, prout ab ebrietate distinguitur, et cohibetur virtute abstinentiae, ut docet S. Th. q. 149. art. ad 5.; pravitas autem ebrietatis adversatur sobrietati, quae virtus est specialis; quia quum sit proprium virtutis conservare bonum rationis contra ea, quibus impediri potest; potus autem inebrians speciali quadam

ratione perturbare rationem valeat; hinc fit, ut specialis virtus requiratur, cujus officium sit rationem tueri adversus immoderatum vini usum. Ebrietas ergo, quae sobrietati adversatur, proprie consistit in usu immoderato vini, aut consimilis liquoris, unde ratio conturbari valeat. Hinc definiri potest; *Immoderatus usus liquoris temulentiam facientis, inducens alienationem mentis.*

PROPOSITIO.

Ebrietas voluntaria peccatum lethale est simpliciter.

Prob. Ex multis jam citatis Divinarum litterarum testimoniis; tum etiam ex D. Th. q. 150. art. 2; qui primo ebrietatem constituit in immoderato usu, et cupiditate vini, post advertit, tripliciter id accidere posse, praeter opinionem, et circa negligentiam, vacatque culpa; vel quod sentiat quidem aliquis, potum esse immoderatiorem, sed non eum putet inebriare potentem, quo pacto venialis tantum aliquando esse potest ebrietas; vel quod aliquis animadvertens, et in potando intemperantiam, et in potu vim labefactandae rationis, malit tamen obruere se vino, quam a potu abstinere; atque hoc pacto docet, ebrietatem esse peccatum mortale, quia per eam homo sciens et volens privat se facultate rationis utendae, quae ex virtute agit, et peccata declinat. Maxima autem in hoc est perversitas, quod quis et agendi ex virtute, et vitia cavendi facultatem sponte, et voluntate sua exuat.

Hinc sequitur primo, rejiciendam esse opinionem nonnullorum existimantium ebrietatem, nisi sit assidua, non esse peccatum mortale. Praecipuum hujus opinionis fundamentum nititur quodam Sermone D. Augustini, seu potius Caesarii, ubi dicitur, ebrietatem esse peccatum mortale, si sit assidua. Verum hunc locum egregie interpretatur D. Th., et difficultatem solvit hoc art. ad 1., nimirum assiduitatem, seu frequentiam per se non esse causam, cur si lethalis ebrietas, sed quia fieri non potest, ut homo assidue inebrietur, quin sciens et volens in ebrietatem incidat; cum ipsa experientia perspectam habeat vim liquoris, quam potat immoderate, ad rationem obstupefaciendam. Cajetanus hunc articulum interpretans, multis et variis pro more difficultatibus expositis,

earum dissolutionem aggressurus haec praemittit. « Ad hoc « potest dici, novam introducendo opinionem, immo potius « antiquam renovando, quod ebrietas, nisi sit assidua, non « est peccatum mortale ». Quo ex loco intelligitur, Cajetani aetate opinionem illam, si tamen aliquando viguerat, penitus contabuisse; quod certissimum praebere argumentum videtur suae falsitatis. Nam verae de morum institutione sententiae nunquam in ecclesia intermissae sunt. Caeterum Cajetanus ipse hanc deinceps rejicit. Et quamvis D. Th. aliquando sensisse videatur, ebrietatem genere suo venialem tantum esse, ita est intelligendus, quod non semper lethalis est ebrietas, ut hoc loco etiam demostrat.

Sequitur secundo, prorsus etiam rejiciendam esse opinionem nonnullorum existimantium ebrietatem vacare culpa, si quis ad eam intento ense cogatur; aut culpa vacare, qui alium trahit in ebrietatem ad impediendum malum ex eo imminens, sive ipsum alliciendo ad immoderatum potum, sive ipsi praebendo potionem multarum virium, qua praeter opinionem deponatur, et impos sui fiat. Nam cum ebrietas natura sua sit mala, nunquam licere potest, eam ut medium adhibere ad vitandum majus malum; siquidem ex Apostoli sententia ad Rom. 3. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

Obj. Fas est, ad vitam conservandam consentire amputationi pedis vel manus; ergo etiam ut quis necem vitet sibi a viro potente intentatam, poterit ad breve tempus rationis usum sibi adimere.

R. Non est par ratio: amputatio manus, vel pedis cum refertur ad vitam conservandam, nullam inordinationem continet; immo cum pars ad totum ordinetur, in hoc aliqua ordinis ratio elucet, ut cum totum sine partis amissione conservari nequit, pars, potius, quam totum amittatur, alioquin pars ipsa etiam interiret; at ex immoderato potu rationis usum sibi adimere, habeat intrinsecam inordinationem, quam tollere non potest metus intentatae necis. Unde Augustinus Serm. 232. « Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris, melius « erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem « anima moreretur ». Et certe ebrietas etiam ex metu, adhuc est contra sobrietatem; amputatio manus caussa salutis

conservandae, non est contra justitiam, nec contra ullam aliam virtutem.

Gravior exoritur dubitandi ratio de infirmo, cui ad morbi depulsionem necessaria judicetur a prudenti, et perito medico potio vini, aut alterius ejusmodi liquoris usque ad ebrietatem. Multi, et quidem graves Doctores negant ebrietatem, curationis etiam caussa susceptam, culpa lethali vacare unquam posse; quod nimirum per se, et intrinsece malum sit, vim inferre rationi, eamque e statu regendi hominis deducere. Alii contra, inter quos Cajetanus, licitum id esse affirmant, hac ratione ducti, quod ebrietatis vitium positum sit, non simpliciter in ipsa mentis alienatione, sed in mentis alienatione ex immoderato potu: porro negant, immoderatiorem esse potionem ad ebrietatem, prout refertur ad statum aegrotantis, cuis morbus tali potione tantum curari potest. Utrique D. Th. in suas partes trahere nituntur, cujus haec sunt verba hoc art. 2. ad 3. « Cibus, et potus est moderandus, secundum quod competit corpori valetudini; et « ideo sicut quandoque contingit, ut cibus, vel potus, qui « est moderatus sano, sit superfluus infirmo, ita etiam potest e converso contingere, ut ille qui est superfluus sano, « sit moderatus infirmo: et hoc modo cum aliquis multum « comedit, vel bibit, secundum consilium medicinae ad vomitum provocandum, non est reputandus superfluus cibus, « vel potus: Nec tamen ad vomitum provocandum requiritur, quod sit potus inebrians, quia etiam potus aquae tepidae vomitum caussat, et ideo propter hanc caussam non « excusaretur aliquis ab ebrietate ».

Hic prioris sententiae auctores animadvertunt, D. Th. sanitatis caussa largiorem potum concedere, ebrietatem excludere. Posterioris defensores advertunt, excludi quidem ebrietatem a Sancto doctore, non absolute, sed propter conditionem positam, quod sanitati consuli queat alia ratione, quam potu tumulentiam faciente: atqui, ajunt, hoc definire non Philosophi moralis, aut theologi, sed medici est; quemadmodum ergo ex S. Doctore potus largior usque ad vomitum, non est immoderatus infirmo, quia competens ejus valetudini, sic etiam non esset censendus eidem infirmo immoderatus potus usque ad ebrietatem, si esset, non solum ejus valetudini competens, sed saluti omnino necessarius; sublata

autem immoderatione potus, tollitur id, quo ebrietas proprie peccatum est.

Mihi tamen non satis firma videtur hac posterioris sententiae defensio. Nam etiamsi concederetur, potum usque ad ebrietatem, posita ejus necessitate, non esse immoderatum infirmo, ut infirmus est, spectata ratione valetudinis; semper tamen potus hujusmodi immoderatus est censendus homini, ut homo est, spectata natura, et conditione ipsius. Est enim haec natura hominis, et conditio, ut ratio vires inferiores regere debeat; repugnat ergo naturae ipsius, et conditioni, ut sibi rationis utendae facultatem adimat, rationemque subdat ipsam violentis, et inconsideratis motibus virium inferiorum. Quod autem talis potus non sumatur delectationis caussa, nullius momenti est; ex hoc enim evinci tantum potest, eum, qui sumeret potum usque ad ebrietatem sanitatis caussa, non peccaturum contra virtutem abstinentiae, non autem eum non violaturum virtutem sobrietatis. Tametsi ego libenter assentior iis, qui queruntur, otiose invectam esse hanc disputationem de ebrietate sanitatis caussa, nulli unquam usui futuram. Multas saepe audimus de morbis consultationes medicorum; potum ad ebrietatem praescriptum nunquam audivi; quaesivi de peritis: negarunt, ebrietatem adhuc invectam esse in medicinam, nisi forte apud circulatores; optandum, ne in theologiam unquam invehatur patrocinium ebrietatis, aut saltem ne sit, qui ejus vitii pravitatem emolliat.

Quod vero ex somno argumentum petitur, nullius prorsus momenti est; scilicet, inquiunt, licitum est corporis reficiendi caussa, somno indulgere, quo usus rationis amittitur; ergo etiam valetudinis reparandae caussa licebit uti largiore potu, tametsi perturbatio rationis consequatur. Verum longe dispar est somni conditio, et ebrietatis: somnus affert sensibilem naturalem quietem, et convenientem; quare intermissis functionibus sentientis appetitus, quae sequuntur sensuum repraesentationes, cessat etiam sine ulla perversione ipsum rationis officium in illis regendis. At vero ebrietas rationem violenter e statu suo dejicit, redditque impotentem regendis animi motibus; unde etiam homo in periculum adducitur multa flagitiosa perpetrandi.

CAPUT III.

De vitiis ex gula prodeuntibus.

Comessationes, et crapulae, ut se se produnt nimium frequentes inter homines, et apertae, sic etiam facile in oculos omnium incurrunt peccata, et flagitia, quibus originem praebent, et incitamentum. Gulam proinde vitium esse capitale, cum ipsa delectationis ejus ratio satis persuadet, quae vehementer appetitum commovet, tum quotidiana, et manifesta experientia dubitare non sinit. Quinque autem labes potissimum sanctus Th. post D. Greg. ex immoderata delectatione cibi, et potus manantes recenset: ineptam laetitiam, scurrilitatem, immunditiam, multiloquium, hebetudinem mentis circa intelligentiam.

Nam primo pleniore cibo, et potu obstupefacta mens, et ratio hebescit ad sapientiam, et intelligentiam; unde homines inepti redduntur vitae ex prudentia regendae, suisque muneribus, ut par est, obeundis. Hinc Ecclesiastis 2: « Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam ». Est ergo illa hebetudo, non qua homo in aliquo eligendo actu errat, quae in omni peccato intervenit, sed qua ineptus redditur ad veritatis contemplationem, et ad eas actiones, quae prudentiae, ingenii, et consilii lumine sunt regendae.

Secundo in commessatione, et crapula effundit se inepta laetitia, quatenus homo, sopito quasi gubernaculo rationis, tradit se immoderatae hilaritati, et lasciviae in rebus, quas recta ratio, vel propter turpitudinem, vel propter inanitatem, respuit, et aversatur; ad hanc pertinet jocandi genus obscoenum, petulans, illiberale: pertinent etiam choreae dissolutae, tripudia, gestus effeminati, motus lascivientes, et indecori.

Tertio ibidem jactat se garrulitas effraenis, seu multiloquium, verba vana et insana, saepe proximo injuriosa, aut etiam contumeliosa in Deum. Hinc Psalmo 72. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum . . . cogitaverunt et locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt: posuerunt in coelum os suum, et lingua eorum transivit in terra.*

Quarto scurrilitas, immoderatio scilicet in jocis, et facetiis, aut in studio commovendi risus. Haec quidem venialis est, si tantum laedit decorem personae, secluso scandalo, et prava intentione; sed lethalis fit ratione materiae, si jocus redundet in gravem religionis, vel proximi injuriam, vel depravationem honestatis. Syn. Tridentina Sess. 4. gravissime comprimendam praecipit impiam, et sacrilegam temeritatem eorum, qui verba, et sententias Sacrae scripturae torquent ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, libellos famosos, superstitiones.

Quinto denique immunditia, quae prodit se in illuvie, et sordibus corporis, cum abstinentiae, et sobrietati, tum etiam castitati plerumque infestis, quibus helluones, et potatores maculari saepe contingit. Unde Hieron. epist. ad Oceanum: *Venter cibo, meroque distentus despumat in libidinem.*

QUAESTIO VII.

De Accedia.

CAPUT I.

De Accediae natura, et pravitate.

Accedia, quae a Theologis recensetur inter peccata capitalia, definitur a S. Th. 2. 2. q. 31. art. 1. et 7. *Tristitia de bono divino ex caritate diligendo:* quae definitio sane rectissima est, idque demonstrat, quo accedia peculiare vitium constituitur. Nam primo aegritudo concepta de spirituali bono generatim communis caussa est omnium vitiorum; quodlibet enim vitium aversatur bonum virtutis oppositae. Secundo aegritudo, qua virtutis consideratione animus afficitur propter delectationes, a quibus est abstinendum, non est alicujus tantum vitii propria, sed pertinet ad vitia omnia, quibus corporis quietem, et delectationem quaerit: ut ergo innotescat peculiaris natura accediae, notandum est, bonum honestum, quod in singulis virtutibus existit, spiritalem quamdam laetitiam facere in eo, qui movetur amore illius virtutis; sic qui agit ductus amore temperantiae vel justitiae, et honestate temperantiae, quam amat: intemperans vero, et injustius dolet de bono illarum virtutum, prout opponitur

suae libidini, et cupiditati, atque haec aegritudo, quae adversatur bono temperantiae, et justitiae, vel gaudio, quod ex illis percipitur, non est proprie accedia; at verum bonum ipsum temperantiae, bonum justitiae, et reliquarum virtutum refertur ad unum excellentius bonum, quod est bonum divinum, circa quod specialis virtus, nimirum caritas ipsa versatur: ex caritate autem exurgit gaudium aliquod caritatis ipsius proprium: v. g. si quis eleemosynam rogat, spectans dumtaxat alienae miseriae levamentum, is percipiet aliquam delectationem ex consideratione liberalitatis, cujus amore ducitur: at si praeterea refert hunc actum in Deum amore quodam caritatis, percipiet aliud spirituale gaudium caritatis proprium; cujus amore tendit in spiritale bonum, ut divinum; quippe ex omni amore gaudium aliquod suapte natura enascitur. Aegritudo proinde, quae huic peculiari gaudio adversatur, qua nimirum quis tristatur de bono divino, de quo caritas gaudet, propria est accediae.

Bonum autem divinum spectare quis potest, vel in Deo, vel in proximo, vel in seipso; et quamvis triplicem hanc divini boni rationem una caritatis virtus complectatur, quia tamen uni eidemque virtuti plura vitia opponuntur, hinc fit, ut ejus boni aversatio pro ea triplici ratione, triplicem quoque vitii rationem induat: proinde aversatio divini boni, prout in Deo est, pertinet ad odium Dei; ut est in proximo, ad invidiam; ut est in se ipso, seu prout quis divini boni particeps esse debet, aversatio ejus cum taedio, et aegritudine conjuncta efficit accediam.

Itaque cum Deus homini proponatur tanquam finis ultimus, cui caritate inhaerere debet, simulque ad ejus fruitionem adspirare, virtutem officiis colendis, divinaque lege observanda consequendam, si cujus ad ejus boni divini considerationem animus voluntaria tristitia contrahitur, eaque victus demittit sese, ejusque tanti boni consecutionem aspernatur, illa divini boni tristitia proprie accedia est, quam vitiosam, et malam esse, satis ex eo constat, quod malum si de vero bono dolere, verumque bonum aspernari. Cum autem haec sit tristitia de divino bono ex caritate diligendo, ex eoque vitiosa sit, quod caritatem ipsam labefactet, consequens est, ut illud bonum divinum, de quo accedia tristatur, sit bonum divinitus praeceptum, cui ut ait S. Th. « Oportet mente adhaerere ex necessitate » ut proinde, auctore Sancto do-

ctore « Nullum sit peccatum accediae, siquis contristetur de « hoc, quod aliquis cogit eum implere opera virtutum, quae « facere non tenetur. » Atque haec paullo latius explicanda fuere, ut bene, et explorate perciperetur accediae natura propria, et ratio; simulque appareret, haud satis consideratum fuisse recentiorum quorumdam, et quidem politiorum Theologorum judicium, qui dudum invectam, et celebratam in scholis distinctionem inter accediam prout est communis omnium vitiorum, et accidiam quae vitium peculiare constituit, quasi minus accuratam reprehendere non sunt veriti; nam illi nobis bene de Theologia mereri videntur, qui effata scholae non sine magna ratione constituta, et probata illustrare, non qui ea convellere nituntur. Sed sumus ita natura comparati, ut quae nobis abstrusiora videntur, facilius contemnamus, quam perscrutari conemur. Simul vero ex dictis explicata ratio patet ad ea solvenda, quae opponi solent.

PROPOSITIO.

Accedia peccatum est natura sua lethale.

Prob. Illud vitium est lethale, quo quis consentit in fugam et detestationem boni divini, cui tenetur mente inhaerere ex necessitate. Atqui talis est accedia ex definitione. Ergo etc.

Secundo adversatur accedia praecepto, quo jubemur delectari in Domino, quod praeceptum est praecepto charitatis conjunctissimum, eidemque natura cohaerens. Sic Psalmo 36. *Delectare in Domino.* Et 63. *Laetabitur justus in Domino.* Et 33. *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus.* Apostolus vero ad Philippenses. 4. *Gaudete in Domino semper; iterum dico gaudete.* Quod praeceptum D. Th. sic explicat q. de 11. de peccatis art. 3. ad 6. « Quod homo delectetur, non cadit sub praecepto, sed quod delectetur de Deo, hoc cadit « sub praecepto, sicut et quod homo Deum diligat, quia « delectatio amorem consequitur ». Et ad 7. « Delectatio, « qua provenit ex caritate, cui contrariatur accedia, est de « necessitate spiritualis vitae, sicut et ipsa caritas: et ideo « accedia est peccatum mortale ».

Tertio adversatur accedia praecepto salutis operandae:

adversatur quartae beatitudini: *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabantur.* Qui porro esurire, aut sitire justitiam dici possunt, quos tenet boni divini fastidium, qui ad omnia justitiae opera saluti necessaria segnes sunt, negligentes, ac tepidi? Notum est porro, quam severum in tepidos judicium constitutum sit Apocalypsis 3. « Quia te- « pidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere « ex ore meo: quia dicis, quia dives sum, et locupletatus, « et nullius egeo; et nescis, quia tu es miser, et misera- « bilis, et pauper, et caecus, et nudus; suadeo tibi emere a « me aurum ignitum, probatum . . . et collirio inunge oculos « tuos, ut videas. » Quos porro tepidos intelligere debemus, nisi qui divini boni praestantiam non agnoscentes, nullo ejus desiderio tanguntur, ne ad ineundam alacriter salutis viam excitentur? qui tamen in sua desidia bonorum divinorum inopia, inanibus hujus vitae bonis adhaerescunt, hisque se beatos, et pulchros putant; quibus propterea suadetur, ut caecitate deplusa, inopiam suam intueri incipiant, divinorumque bonorum adspectu incitati, aurum ignitum, et probatum, charitatem scilicet ardentem, et opere probatam, sibi comparent.

Ceterum de accedia hic sermo est, non ut est simpliciter in appetitu sentiente, sed prout pertingit usque ad rationis consensum: primi enim ejusdem motus, nec plene deliberati, sunt tantum peccata venialia; cum vero, ut ait D. Th., ratio consentit in fugam, et detestationem boni divini, carne contra spiritum omnino praevalente, tunc manifestum est, quod accedia est peccatum mortale.

CAPUT II.

De vitiis ex accedia manantibus.

Sex potissimum vitia ex accedia originem ducere, tradit D. Gregorius lib. 31. moral. cap. 17. Sunt autem, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, evagatio mentis circa illicita: quae quemadmodum oriantur ex accedia, facile intelligetur ex singulorum explicatione.

Malitia hic dicitur oppugnatio bonorum spiritalium, quorum aversatio ingeneratur ex accedia. Vitium est eorum qui religionis veritatem, et sanctitatem, resque ad religionem per-

tinentes, sacra, caeremonias, sacerdotia, religionis ministros insectari, et in contemptum adducere omni ope conantur. Hi sunt nimirum perditi homines, et impii, qui sedent in cathedra pestilentiae, quorum sermo ut cancer serpit, et incautorum animos inficit.

Rancor hic dicitur indignatio quaedam adversus homines, qui suis nos correptionibus, monitis, consiliis, justa correptione a vitiis retrahere, atque ad spiritalia bona impellere satagunt. In hoc vitium saepe incurrunt, qui praepositis suis, et superioribus succensent, eosque odio prosequuntur, cum collapsam rectam videndi normam, et disciplinam instaurare aggrediuntur. Rancorem non esse peccatum genere suo dumtaxat veniale, satis edocemur hac prov. sententia cap. 29. « Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus « ei superveniet interitus ».

Pusillanimitas vitiosa est virium suarum diffidentia, qua quis opera pietatis ardua, et difficilia, tametsi suam facultatem divinae gratiae auxilio munitam non excedentia, refugit nihilominus, et aversatur ex dimissi animi abjectione. Vitium esse naturali hominis inclinationi, et consequenter legi naturae adversum, luculenter demonstrat S. Th. 2. 2. q. 133 art. 1. « Inest, inquit, unicuique rei naturalis inclinatio ad « exequendam actionem commensuratam suae potentiae; si- « cut autem per praesumptionem aliquis excedit proportionem « suae potentiae, dum nititur ad majora, quam possit; ita « etiam pusillanimus deficit a proportione suae potentiae, « dum recusat in id tendere, quo est suae potentiae, com- « mensuratum: et ideo sicut praesumptio est peccatum, ita « et pusillanimitas, et inde est, quod servus, qui acceptam « pecuniam Domini sui fodit in terram, nec operatus est ex « ea propter quemdam pusillanimitatis timorem, punitur a domino, ut habetur Matth. 25. et Luc. 19. »

Fit lethalis pusillanimitas, cum hominem retrahit a muneribus, vel operibus, quae obire, et suscipere necessario debet, velut qui mundano timore perterritus, non audet palam fidem, et religionem suam profiteri, cum ad id tenetur; idque ne in discrimen vitae adducatur, aut etiam ne contemnatur; servus, qui non audet impura domini jussa detrectare, ne torvis oculis aspiciatur: quisquis denique munera difficilia sibi a superiore demandata cum pertinacia, et pravitate animi recusat. Etsi autem in eo, quod pusillanimus im-

parem se alicui muneri existimat, videatur abhorrere a superbia; tamen hoc ipso, quod pertinacius proprio judicio inhaeret, in eo se superbum demonstrat. Hinc Moyses, et Hieremias recusarunt quidem munus, ad quod divinitus eligebantur, considerantes propriam infirmitatem; non autem pertinaciter, ut ait S. Th., ne laberentur in superbiam. Unde Gregorius in pastorali de Moyse ait: « Superbus fortasse es« set, si ducatum plebis innumerae sine trepidatione susci« peret, et rursus superbus existeret, si auctoris imperio « obedire recusaret ».

Desperatio est vitium, quo quis salutis aeternae consequendae spem abjicit. Docet S. Th. id vitium quandoque oriri ex luxuria, qua homo praesentibus corporis voluptatibus delinitus, ac demersus, omnem de futuris bonis cogitationem, et desiderium, spemque adeo abjicit: interdum vero etiam ex accedia, seu nimia quadam contractione animi, et demissione, qua quis impossibile sibi judicat, e peccatis aliquando emergere, atque adeo aeternam salutem adipisci. Hinc fit, ut docet idem S. Doctor, ut non semper desperatio cum infidelitate, vel odio Dei sit conjuncta; non cum infidelitate; nam qui desperat ex accedia, non expresso, et speculativo judicio sibi persuadet, Deum non posse, aut nolle poenitentibus veniam concedere, sed peculiari, ac practica aestimatione, hanc velut sibi praeclusam apprehendit: nec porro cum odio Dei, quia non propterea semper Deum ut malum sibi repraesentat; sed non putat, se posse participem illius bonitatis fieri. Hinc fit, ut desperatio genere suo minus peccatum sit infidelitate, et odio Dei, quia illa Dei veritati, hoc Dei bonitati, ut veritas, et bonitas in Deo est, adversantur. Desperatio vero est contra Deum, non secundum quod in se est, sed secundum quod participatur a nobis. Desperatio tamen est periculosior, quia sublata spe, nullo fraeno retinentur homines a vitiis, et ad virtutem revocantur. Esse autem peccatum natura sua lethale, patet ex eo, quod spei necessitas ad salutem innumerabilibus Scripturarum testimoniis adstruatur.

Torpor est remissio animi, qua vel officium quis praetermittit, vel negligenter fungitur; lethalis est cum retrahit ab officio, quod sine lethali culpa praetermitti nequit: quatenus autem facit, ut oscitanter quis praecepta impleat, certe periculosa est admodum, facileque hominem ea correptum in

lethalem culpam conjicit. Hinc Apostolus ad Rom. 12. torpori fervorem contrarium commendat: *Sollicitudine non pigri, Spiritu ferventes, Domino servientes.* Hinc S. Paulinus epist 36. ad Macarium ait: *Vicina morti labes est torpor animorum* Et S. Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 10. *Multos remissa conversio in pristinos errores reducit, ac vivendi tepore resolvit.* Hoc vitio periculosissima quadam ratione tenentur obstricti, qui mandata, quae implere aliquando tenentur, differunt de die in diem, ii maxime qui poenitentiam, et conversionem procrastinant, contra id quod legitur Ecclesiastici 5. *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te.*

Evagatio mentis dicitur inquieti animi volubilitas, et inconstantia, qua divina bona fastidiens, vagatur in commutabilibus bonis persequendis, ut aliquid ex his delectationis percipiat. Tales sunt homines illi, qui nil aliud agunt, quam ut nihil agant, qui ut refert Apostolus de Atheniensibus., ad nil aliud vacant, quam ut dicant, aut audiant aliquid novi qui propriarum rerum obliti res alienas studiose exquirunt. Tales homines acriter reprehendit Apostolus 2. ad Thessalonicenses 3. « *Audivimus inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes: iis autem, qui ejusmodi sunt, denunciamus, et obsecramus in Domino J. C., ut cum silentio operantes, suum panem manducent.* Dixerat superius: *Quoniam si quis non vult operari, nec manducet.* Hinc otium iners, et desidiosum fons, et origo innumerabilium peccatorum: quod significat Ecclesiasticus cap. 33. *Multam malitiam docuit otiositas.* Et Ezechiel cap. 16. *Ecce haec fuit iniquitas Sodomae, superbia, saturitas panis, abundantia, et otium ipsius.* Hinc S. Carolus in instructione confessariorum, nimiam otiositatem numerat inter proximas occasiones lethalis peccati, in quibus quisquis versatur, non ante absolvi debet, quam eas deseruerit; quibus malis ut occurramus, hanc penitus animo, et mente complectamur sententiam Apostoli ad Galatas 6. qua hanc nostram de peccatis commentationem concludimus: « Bonum facientes non deficiamus, tempore « enim suo metemus, non deficientes; ergo dum tempus ha« bemus, operemur bonum ad omnes ».

[illegible]

L' EDITORE

A CHI LEGGERA'

Esce alla luce il Volume ottavo delle Opere del Cardinal Gerdil, quarto ed ultimo della Morale Cristiana. Contiene esso cinque Appendici ai quattro Trattati di Morale, che formano la materia de' tre precedenti Volumi, e che abbracciano tutta la Morale, tranne i Sagramenti, i quali non entravano nel piano dell' Autore, come abbiamo già accennato nel precedente Avviso al Lettore.

La prima Appendice è un piccolo Trattato latino delle Censure prese generalmente, nel quale in sei distinti Capi parla della natura, e specie delle Censure; del potere di punire colle Censure, delle persone che ne possono essere punite; della natura della colpa, per la quale la Censura può infligersi; della forma da osservarsi nell' infligere le Censure; e finalmente delle cause, che esimono dalla Censura. Il Trattato è assai breve, perchè da lui dettato nella fine dell' Anno Scolastico in sequela del Trattato de' Peccati; nondimeno essendo esso molto sugoso, contiene le nozioni più necessarie sulle Censure in generale.

La seconda Appendice è un non lungo Commentario sulla Grazia di Dio; intorno al quale non ho difficoltà d' affermare che non è molto agevol cosa di trovare un Trattato su questa materia, il quale in tanta brevità raccolga tutte le principali verità appartenenti alla Grazia, ricavate dalle Scritture, dai Concilj, dai Padri, e dalle Decisioni de' Sommi Pontefici; e con egual precisione si tenga insieme lontano da que', che dando tutto alla Grazia, in guisa di esculudere la nostra cooperazione, distruggono in fatto il libero arbitrio, e da que', che troppo al libero arbitrio concedendo, se non tolgono del tutto, diminuiscono certo di troppo l' efficacia, e il valor della grazia. E tutto ciò Egli fa scevro da ogni spirito di partito, dal quale fa quanto altri mai, costantemente lontano in tutte le Opere sue.

Questo piccolo Trattato è diviso in Nove Paragrafi, nel I. de' quali tratta dell' primigenia ordinazione dell' uomo a

Dio prima del peccato; nel II. della natura viziata dal peccato; nel III. della riparazione dell' Uomo dopo la caduta, e della necessità della graziu nello stato presente. Ne' Paragrafi IV. V. VI. VII. tratta successivamente della grazia quanto alle Opere Morali, della divisione della grazia sufficiente, e della grazia efficace. Nel Paragrafo VIII. trattasi della Predestinazione, e della Prescienza; nel IX. della volontà di Dio rispetto alla salute di tutti, e della vocazione alla fede ed alla grazia.

Succedono ai due succennati Opuscoli Latini due altri Opuscoli Italiani, il primo de' quali tratta dell' Attrizione, ossia della necessità di qualche principio d' amor di Dio, per conseguire la giustificazione nel Sagramento della Penitenza; l'altro dell' Usura, nel quale prende ad esame un Opuscolo trattante del provento del danaro dato in prestanza.

Nell' Opuscolo dell' Attrizione prende di mira uno Scritto di un Autore Anonimo, che però il Gerdil chiama rispettabilissimo, nel quale cercasi d' impugnare il sentimento de' Teologi che richiedono un qualche principio di amore di carità, ossia di benevolenza, per conseguire la giustificazione nel Sacramento della Penitenza. E siccome lo Scrittore, onde procedere con maggior chiarezza, ed ordine, s' introduce con alcuni preliminari, come egli li chiama, così lo siegue il Gerdil, esponendo i sentimenti di lui riguardanti lo stato della quistione, la natura del timore, e le differenti specie di esso, la distinzione da farsi tra la sostanza del timore servile, e la servilità del medesimo; la differenza, che passa tra l' amor di speranza, e quello di carità; la possibilità, ed esistenza di un amor iniziale, o se sia questa soggetta a gravissimi inconvenienti.

Lo stato della quistione lo espone, attenendosi all' immortale Benedetto XIV., quale fu da lui esposto nel celebre suo Trattato De Synodo Dioecesana.

Sulla natura, e divisione del timore, fondasi Egli, per darne le vere nozioni, sull' Autorità di S. Tommaso, e sulla dottrina del Concilio di Trento; con che non solo di passaggio confuta i Protestanti, che rigettano questo timore, come non buono, ma se ne vale eziandio, onde sostenere la dottrina dei difensori dell' amor iniziale rigettata dall' Autore, che Egli confuta.

Passa quindi il Gerdil a parlare dell' amore, e fa special-

mente conoscere la differenza, che passa tra l' amore di concupiscenza, e di amicizia, di speranza, e di carità, nel che fare si può dire, che l' Autore raccolga, ciò che v' ha di più interessante su quest' oggetto, del quale ha pur trattato nella sua Opera di Morale Filosofia, e nel Trattato degli Atti Umani, e il fa con tal precisione, da rischiarare questo punto tanto delicato, e sottile, che spetta alle Teologiche virtù della speranza, e della carità.

Stabiliti questi principj, ne fa l' opportuna applicazione all' amore iniziale, mostrandone la possibilità, ed esistenza, quantunque disgiunto egli sia dalla carità giustificante; e finalmente risponde a parecchie obiezioni fatte dall' Autore del Manoscritto contro l' amore iniziale, tutto provando coll' autorità de' Santi Padri, e di altri Santi, non meno che con quella de' Catechismi.

La quarta Appendice intorno all' Usura incomincia da una breve Esposizione della natura, e della proprietà del mutuo, tratta dal gius comune, esposto nella Pandetta, e nelle Istitute di Giustiniano.

Dalla nazione del mutuo ne sorgono i proprii caratteri, che lo distinguono da ogni altra specie di Contratto, specialmente dal Commodato, distinzione da avvertirsi particolarmente per non confondere certe nozioni, che avendo qualche sorta di somiglianza, e di affinità, sono però essenzialmente differenti. Per procedere poi colla dovuta precisione, nel trattare della quistione vertente sul provento del danaro imprestato, espone la differenza, in cui tutti convengono, da farsi tra il lucro proveniente dal mutuo in virtù dello stesso mutuo, ed il lucro proveniente da titolo estrinseci al mutuo. Questi sì fatti titoli sono da tutti ammessi; la controversia pertanto riducesi al lucro proveniente dal mutuo in virtù del solo mutuo, senza altro titolo aggiunto: conciossiachè i Cattolici tengono un tale lucro essere illecito, ed infetto di quel vizio di usura, che è si altamente riprovato dalle leggi Naturale, Divina, e Canonica. Per lo contrario molti Autori, specialmente fra' Protestanti, presero a difendere, e giustificare siffatto lucro quando sia moderato in se stesso, e non aggravi i poveri.

Il Gerdil in questo Opuscolo non si propone di addurre le Atorità della Scrittura, de' Concilj, de' Padri, delle Costituzioni Pontificie, sulle quali fondasi, e appoggiasi la dottrina delle Scuole Cattoliche. Ciò Egli fece nell' antecedente Volume

nel suo Trattato della Giustizia, e del Diritto. Quivi restringesi a pochi principj di sola ragion naturale. Con questi nel confutare il Trattato dell' Autore, che esso prende ad esame, confuta pure il Maffei, ed il Genovesi, da' quali prese quegli alcune difficoltà, a confutazione delle quali, proponendo di mano in mano le ragioni dell' Autore stesso del Manoscritto, riportandone le stesse parole, ne fa l' opportuna analisi, e pienamente le ribatte.

In tal maniera questo Opuscolo viene ad essere un compimento del suddetto Trattato del Mutuo.

Queste quattro Appendici, delle quali abbiamo finora fatto cenno, e che trovammo inedite tra gli Scritti dell' Eminentissimo Gerdil, sono seguite dal Sinodo Diocesano stampato in Torino, e tenutosi in Giaveno nell' Anno 1789., per ordine del Gerdil dal suo Vicario Generale Francesco Ferreri abate di S. Giacomo di Bessia nell' Abbazìa di S. Michele della Chiusa.

Questo Sinodo non è di gran mole, ma è fatto con tale prudenza, con tale dottrina, che le costituzioni del medesimo, potrebbero di leggieri servir di modello per lo regolamento e governo di qualunque Diocesi.

E' esso diviso in ventidue Capi, ne' quali stabilisce la dottrina, e la disciplina della Chiesa, trattando rispettivamente della Fede Cattolica, della Dottrina Cristiana, dell' Indulgenze, delle Reliquie, ed Imagini de' Santi, del modo di predicare al popolo, de' canonici, ed altre persone sì ecclesiastiche, e regolari, che laiche, e delle sepolture; additando in breve le principali verità spettanti alla Dottrina, ed alla disciplina della Chiesa, e i diversi Officj, e doveri di ogni ceto di persone.

A questo Sinodo aggiugnesi un' Appendice di alcuni Decreti ottenuti dal Cardinal Gerdil a vantaggio della sua Abbazìa, e vengono prescritte le Feste, e i digiuni da osservarsi, e il rito da tenersi nelle Benedizioni col Santissimo Sacramento. Terminasi l' Appendice con quattro Istruzioni; la prima per le Conferenze Morali, la seconda sulla Tonsura da darsi ai Chierici tratta da due paragrafi di una più ampia Istruzion Pontificia di Benedetto XIV.; la terza riguardante la vacanza de' beneficj; la quarta per le Confraternite, e Cappelle campestri.

Da ciò che detto abbiamo intorno alle Opere contenute in

questo Volume, conoscerà di leggieri il discreto Lettore essere la loro materia di tal natura da formare altrettante opportune Appendici ai Trattati della Morale Cristiana. Imperciocchè la prima Appendice attaccasi di sua natura al Trattato de' Peccati, formando le Censure una parte della pena de' medesimi. La seconda trattando della Grazia, appartiene agli Atti Umani, i quali esser non ponno meritorj di vita eterna, senza la grazia abituale giustificante, preceduta negli adulti dall'interno sovrannaturale ajuto divino: « Ita ut tangente Deo cor Homi- « nis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipse nihil « omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam « et abjicere potest, neque tamen sine gratia movere se ad justi- « tiam coram illo libera sua voluntate possit ». Concil. Trident. Sess. VI. Cap. V. terza Appendice, oltrechè tratta di parecchi punti importanti, che riguardano la Speranza, e la Carità, appartiene alla Cristiana Morale, siccome quella, che tratta di un mezzo atto a conseguire col Sagramento della penitenza la remission de' peccati. La quarta finalmente si unisce di sua natura al Trattato della Giustizia, e del Diritto, continuando a sviluppare viemeglio l' importantissima questione dell' usura, della quale anche in questi ultimi tempi si è scritto tanto, e da una parte e dall' altra. Per lo che non può che riuscire di gran vantaggio la lettura di questo scritto, fatto da un Autore di tanta pietà, e di tanta dottrina, quale si è il Gerdil. Finalmente il Sinodo, che pone fine al Volume, è una raccolta di leggi pratiche di Morale, che giovar possono ad ogni condizion di persone. Onde è, che abbiamo ogni fondamento di credere, che questo Volume incontrerà l' aggradimento, l' approvazione di tutti quelli, che lo leggeranno colla dovuta attenzione, essendo tutti gli Opuscoli, che lo compongono degni della gran mente, e della coltissima penna del loro Eminentissimo Autore.

[illegible]

APPENDIX I.

DE CENSURIS GENERATIM.

APPENDIX

DE CENSURIS GENERATIM.

Disputationi de peccatis opportune prorsus adjungitur naturali quodam doctrinae ordine, et vinculo ei adstricta tractatio de censuris, quibus ipsa peccandi licentia, et contumacia coercetur. De his proinde agere jam instituimus: sic autem agemus, ut quamvis breves semper esse maxime amemus, brevitatem tamen non tam consilio nostro, quam reliquo curriculi obeundi spatio definiendam intelligamus.

CAPUT I.

Quid sit censura, et quotuplex.

Censura vocabulum ex notissima significatione apud Romanos, a scriptoribus Ecclesiasticis accomodate usurpatum est ad significandam poenam, qua homini baptizato delinquenti, et contumaci per ecclesiasticam potestatem spiritalium quorumdam bonorum usus aufertur, ut a contumacia recedat. Ad definitionis intelligentiam, animadvertendum inprimis, Ecclesiam ut a Christo accepit potestatem regendorum fidelium in ordine ad salutem aeternam, sic ei concessam fuisse potestatem etiam peccantes poenis ecclesiasticis coercendi. Animadvertendum secundo, bona spiritalia in duplici esse differentia quippe alia sunt propria fidelium, privata, ipsi intime inhaerentia, ut bona gratiae, virtutes, virtutumque opera, quibus apud Deum et mereri, et impetrare, et satisfacere valent, eaque nulla Ecclesiae potestate auferri possunt: alia porro sunt publica, et communia, velut publica suffragia, et satisfactiones, spiritalis jurisdictio, Sacramenta, Sacrificium, quorum dispensatio cum Ecclesiae credita sit, potest Ecclesiae utique iis, aut agendis, aut utendis ob culpam, et contumaciam interdicere.

Censura ergo est poena, semper proinde ob culpam aliquam infligenda; quo convenit cum reliquis poenis ecclesia-

sticis, velut depositione, et degradatione. Differt autem ab irregularitate, quae sine culpa quandoque contrahitur. Secundo est poena spiritalis, privans usu bonorum spiritalium vi potestatis Ecclesiasticae. Nam civilis potestatis poenam spiritalem nullam infligere potest, neque adeo censuram, et quamvis censura detrimentum etiam temporale nonnunquam inferat: quia tamen per se, et primum spectat in privationem rei spiritalis, poena merito censetur. Tertio est poena privans usu dumtaxat bonorum spiritalium, donec scilicet delinquens a contumacia recesserit, quo differt a depositione, et degradatione, quibus vel res ipsa, aut facultas, aut exertitium spiritalis rei gerendae perpetuo adimitur. Tametsi vero peccatum ipsum privet usu bonorum quorumdam spiritualium, velut sacramentorum, non ejusdem tamem rationis est ea privatio, atque illa, quae censura indicitur. Peccatum privare dicitur usu Sacramentorum vi culpae, quatenus hominem indignum efficit, qui ea Sacramenta percipiat, sed per censuram privatio infligitur homini ut poenae vi potestatis Ecclesiasticae. Quarto censura inuritur homini pabtizato. Nam Ecclesia non judicat, de his, qui foris sunt, sed solum de his, qui per baptismum ei subjiciuntur. Quinto censura privat hominem spiritalium bonorum usu, quousque a contumacia recesserit, ex quo intelligitur, censuram poenam esse medicinalem eo spectantem, ut homines ab improbitate revocet. Quare cessante contumacia, cum resipuit qui fuerat censura notatus, absolvi debet. Hinc censura differt ab irregularitate etiam ex delicto, per quam, delicto semel admisso, perpetua inhabilitas contrahitur, tametsi qui delinquit, corrigatur: quae proinde non absolutione remittitur, sed dispensatione tolli opus habet. Nec censura est cessatio a divinis, per quam prohibetur, ne in tali loco divina celebrentur, sed quoddam praeceptum simplicem divinorum omissionem jubens, cujus violatio irregularitatem non parit. Neque huic definitioni obest, quod ex antiquitatis memoria exempla forte nonnulla censurarum peti possent, in quae illa definitio non satis apte caderet. Nam cum in censuris multa constet pendere ex disciplina mutabili, illa sane definitio est optima, quae praesentis temporis disciplina est accomodatissima.

Tres jam censurae species distinguuntur: excommunicatio, suspensio, et interdictum. Distinctio nititur auctoritate Innocenti III., cujus haec verba sunt Cap. *Quaerenti* 20. De verbo-

rum significatione: « Quaerenti quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi, cum ejusmodi clausulam in litteris « nostris apponimus, respondemus quod per eam non solum « interdicti, sed suspensionis, et excommunicationis sententia « valeat intelligi. » Profecto his Pontifex declarare voluit, quid censurae nomine valeat intelligi, si ergo alia essent censurae praeter tres memoratas, quaerenti sane quid eo nomine intelligi debeat, non fuisset ea responsione satisfactum, multa enim adhuc possent intelligi, quae non essent comprehensa responsione Pontificis; nec satis apte illa responsio inter decreta de verborum significatione relata fuisset, quae illius vocabuli censurae significationem non accurate declararet.

Hic communiter rejicitur eorum sententia, qui aut septem censuras, ut Corduba, qui nimirum depositionem, degradationem, cessationem a divinis, irregularitatem ex delicto praetereat enumerant; aut saltem quinque, ut Sotus, qui ex eo numero solam depositionem, et degradationem rejiciunt. Nam ex dictis jam constat, quam insigni discrimine censura distat ab aliis poenis Ecclesiasticis, depositionis, degradationis ec. Censura porro alia est ab homine, alia a jure. Censura dicitur a jure, quae lege, vel statuto fertur in ejusdem violatores. Talis est censura lata in Canone: *Omnis utriusque sexus*: adversus eos, qui paschale officium praetermiserint; ab homine vero dicitur, quae fertur a judice per sententiam, aut mandatum, seu praeceptum transitorium, velut si judex Ecclesiasticus sanciat sub poena excommunicationis, ut fur, vel furti conscius rem oblatam restituere, aut indicare intra certos dies teneatur. Censura ab homine, et a jure conveniunt in eo, quod utraque statim atque in eam quis incidit, ea ligatus maneat, quousque fuerit absolutus; differunt vero, quod quae est a jure, perpetua sit, ut lex ipsa natura sua perpetua est, et constans, atque adeo ex ipsa legis perpetuitate vim habeat perpetuam; censura vero ab homine, ipsius ferentis morte, vel depositione vim ammittat, adeo ut in exemplo allato, si judex moritur, vel officio removetur ante tempus praescriptum incurrendae excommunicationis, non amplius ea incurritur.

Censura alia est insuper latae sententiae, alia ferendae sententiae; prior est quae admisso crimine, ipso facto contrahitur, absque alia judicis sententia. Posterior, quae non

incurritur, nisi accedente ipsa judicis sententia, quae etiam comminatoria, dicitur, quod legislator eam decernat violanti legem esse infligendam. Censura latae sententiae indicatur his formulis: *ipso facto*, *ipso jure*, *statim mox*, *illico*, *latae sententiae*; tum etiam verbis, quae denotant censuram non in futurum peccanti infligendam, sed jam ipso peccato inustam velut: *noverit*, *se excommunicatum* ec. Censura vero ferendae sententiae designatur verbis in futurum spectantibus, velut: *excommunicabitur*, *noverit se suspensionis sententiam incursurum: vel*, *praecipimus sub poena anathematis.*

Disputatur ab Auctoribus, num haec formula, *anathema sit: excomuunicatus*, *sit*, contineat censuram latae, an ferendae sententiae. Communis sententia docet, esse latae sententiae. In dubio consentiunt omnes, censura habendam esse ut comminatoriam, quia in poenis dubium est ad mitiorem partem flectendum, benigniorque est interpretatio facienda.

Censura alia est justa, quae nimirum ad praescriptum legis fertur, servatis omnibus servandis. Injusta, cui deest aliqua ex conditionibus requisitis, sive ad legitimam potestatem sive ad legitimum juris ordinem; cum autem ex his conditionibus aliae sint prorsus necessariae, quae idcirco substantiales dicuntur, aliae tantum accidentariae; hinc si erratum solum fuerit in accidentariis, erit quidem injusta censura, sed simul valida, ut si sententia scripto lata non fuerit; si vero in substantialibus, velut si judex caret jurisdictione, si crimen evidenter nullum est, si nulla monitio praecesserit, censura injusta est simul, et invalida. Censura etiam quandoque justa esse potest ex parte ferentis, tametsi coram Deo nulla sit, tumque est in exteriori foro va lida, velut si innocens judice convincatur de crimine, quod revera non admisit.

CAPUT II.

De potestate ferendarum censurarum.

Censura, ut patet ex allata definitione, est poena privans usu bonorum quorumdam spiritualium. Porro potestatem privandi tali usu, atque adeo censuram inferendi, natam esse ex potestate clavium a Christo Ecclesiae tradita, manifeste convincitur ex illo, Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus:*

vade et corripe . . . . Si non audierit, dic Ecclesiae, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et pubblicanus. Amen dico vobis quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo. Et cap. 16. *Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis.* Hinc sane Christus Ecclesiae concedit potestatem peccantes coercendi talibus poenis, quibus qui alligati sunt in terris, et in coelis sunt alligati. Sunt ergo poenae non mere exteriores, sed spirituales, juxta illud Augustini epist. 15. « Spiritualis poena, qua fit quod scriptum est ligaveritis in terra; » simul etiam agitur de poenis in exteriori foro decernendis, nimirum post denunciationem factam Ecclesiae, et quae ita publicae sunt, ut qui eas incurrit, habendus sit tanquam ethnicus, et publicanus. Hinc Apstolus 1. ad Cor. 5. *Judicavi . . . qui sic operatus est . . . tradere hujusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* Unde eruitur, quemadmodum censura medicinalis merito nuncupetur.

Idem evincitur ex traditione. Tertullianus in Apologetico cap. 39. posteaquam memoravit in Christianorum conventibus censuram divinam esse, haec habet: « summum futuri judicii « praejudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione « orationis et conventus, et omnis sancti commercii relegetur « Chrysost. homil. 4. in cap. 2. epist. ad Haebreos. « Nemo « contemnat Ecclesiae vincula; non enim homo est qui ligat, « sed Christus, qui nobis hanc potestatem fecit. » His addi potest praxis Conciliorum Generalium, quibus proinde persuasum fuit ea potestate Ecclesiam praeditam esse. Quocirca concludendum cum Nysseno lib. adversus eos, qui castigationes aegre ferunt: Eam potestatem esse paternam legem, antiquam Ecclesiae regulam, quae a lege traxit originem, et in gratia confirmata est.

Immerito proinde adversus hanc potestatem torquentur verba Chrysostomi Sermone de anathemate, quibus arguit eos, qui faciunt hominem anathema, quasi usurpent auctoritatem filii Dei. Nam Chrysost. eo Sermone illos tantum reprehendit, qui fervente schismate inter Paulinum et Flavianum, quum simplices fideles essent, nulla jurisdictione praediti, alii in alio jaciebant anathema. Quam Chrysostomi mentem satis aperiunt haec verba in eodem sermone. « Cur potestatem assu« mis, quae Apostolis tantum communicata est, et iis, qui « illorum sunt idonei successores ? »

Nec magis urget, quod ajunt Augustinum ligandi potestatem confundere cum officio correctionis fraternae ad omnes pertinentis Sermone 82. de verbis Domini, ubi ait: « Caepisti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas eum in terra, « sed ut juste alliges, vide ». Nam tametsi hoc loco videatur Augustinus per accomodationem quamdam, quae de potestate ligandi dicta sunt, ad officium fraternae correctionis transferre, tamen aliis locis, ubi proprie de illa loquitur, eam plane sejungit, et solis Ecclesiae praepositis attribuit, velut lib. de correptione et gratia cap. 15. « Ipsa quae damnatio nominatur, « quam facit episcopale judicium, qua poena in Ecclesia nulla « major est, potest, si Deus voluerit, correptionem saluberrimam cadere, atque proficere ».

Cum ex potestate ergo solvendi, et ligandi profluat potestas delinquentes, contumaces, et plane invitos judicio facto, et prolata sententia coercendi, sequitur, talem potestatem propriam eorum esse, qui pollent in Ecclesia jurisdictione fori externi, et contentiosi. Hoc jure ordinario praediti sunt imprimis summus Pontifex, et Concilia Generalia per universalem Ecclesiam, episcopi, quo nomine intelliguntur, archiepiscopi quoque, et Patriarchae in subditos propriae Dioecesis, statim atque sunt electi; et confirmati, siquidem censuras ferre actus est jurisdictionis, non ordinis. Nequeunt autem Archiepiscopi censuras ferre in suffraganeos, nisi tempore visitationis. Similiter Concilia provincialia, et dioecesana in provincia, et dioecesi. Episcopi, qui dicuntur in patribus, cum subditos non habeant, hac facultate carent. Jure quoque ordinario ea praediti sunt Vicarii Generales, qui cum Episcopo unum tribunal constituunt. Unde a Vicario generali ad Episcopum appellari non potest. Eadem propter dignitatis praestantiam pollent legati Pontificii sua in Provincia, cardinales in Ecclesiis sui Tituli item, abbates jurisdictionem habentes quasi episcopalem, capitula cathedralium sede vacante, tum praelati religionis abbates, provinciales, priores, guardiani, praepositi, juxta cujuscumque religionis leges, et consuetudines. Ea vero destituti ex communi sententia parrochi, qui nimirum fori contentiosi jurisdictione non gaudent. Nec obstat, quod cap. *Nemo Episcopus*, Praesbyteris, quorum nomine parrochi praesertim intelliguntur, et cap. *Cum ab Ecclesiarum*, plebano cuidam nominatim id juris asseratur ab Alexandro III. Nam cum ea jurisdictionis potestas acquiri possit non concessione

tantum, et privilegio, verum etiam praescriptione, et consuetudine legitima: perspicuum est, eos canones ad illos tantum praesbyteros, seu parrochos, aut plebanos pertinere, quibus talis ordinaria iurisdictio aliquo tali titulo competit. Quisquis porro potestatem ordinariam habet ferendae censurae, committere illam potest, seu delegare nedum sacerdoti, verum etiam clerico, modo ne tamen clericus sit conjugatus, nisi unicam, eamdemque virginem duxerit, seque ab ea separaverit, edito utrinque voto castitatis. Ratio est, quia clericis conjugatis omnis est aditus interclusus ad Sacros ordines ad beneficia, et Ecclesiasticas administrationes. Unde nec jurisdictionis Ecclesiasticae capaces sunt.

Quaeritur autem, utrum laico, vel etiam foeminae, ut abbatissae, committi, seu delegari ea potestas valeat. Laicis eam a Summo Pontifice committi posse, consentiunt doctores, communiter vero negant delegari ullo modo posse foeminis. Nituntur his verbis Innocentii III. cap. *Nova*: licet Beatissima « Virgo Maria dignior, et excelsior fuerit Apostolis universis « non tamen illi, sed istis omnibus Dominus claves regni « coelorum commisit ». Neque vim habet ad persuadendum contrarium, quod a nonnulli profertur ex cap. *Dilecta* 12. ad majoritate et obedientia, ubi Honorius III relata petitione cujusdam abbatissae quaerentis, quod cum ipsa canonicassuas, et clericos suae jurisdictioni subjectos propter inobedientias, et culpas eorum officio beneficioque suspendat, iidem confisi ex eo quod eadem abbatissa eos excommunicare non potest, suspensionem huiusmodi non servant, mandat Pontifex Abbati S. Michaelis, ut dictas canonicas, et clericos Ecclesiastica censura compellat quatenus abbatissae mandata observent. Nam potius ex eo quod Pontifex jubet abbatem compellere censura Ecclesiastica ad parendum, qui abbatissae parere recusabant, infertur, abbatissam ipsam inferendae censurae potestatem nullam habuisse. Quamobrem docent autores, suspensionis nomine eo loco non censuram proprie dictam significari, sed praeceptum, seu sententiam abbatissae, quo clerico suae jurisdictioni per accidens subjecto, ratione cappellae quae sui juris esset, prohibet sacras functiones in ea obire, eidemque redditus subtrahi, donec satisfecerit.

CAPUT III.

Qui censura plecti valeant.

Communis est sententia, omnes, et solos homines baptizatos, viatores, rationis et doli capaces, alicui in ecclesia potestatem gerenti subjectos censuris alligari posse. Primo enim homines non baptizatos censuris non esse obnoxios, constat ex ipsa definitione censurae cap. 1. explicata. 2. Soli viatores censurae plecti possunt; nam vita functi non amplius subsunt Ecclesiae correptioni, neque spiritalibus poenis a contumacia revocari queunt, nec censuris affici. Unde Gelasius epist. ad episcopos Dardaniae: « De eo qui in divino judicio est constitutus, nobis fas non est aliud decernere praeter id, in quo « eum dies supremus invenit. » Quare cum ecclesia dicitur mortuos anathemate ferire, vel absolvere, id ita est intelligendum, quod nonnullos declaret aliquando a fide, et ecclesiae communione discessisse, ipsosque detestetur. Similiter in absolutione declaratur, aliquem, vel innocentem vel sic emendatum obiisse, ut non sit suffragiis privandus, aut ecclesiastica sepultura. Dicuntur autem soli viatores censuris subesse, nam quod daemones, et noxia animantia quandoque dicuntur excommunicari, patet non de spiritali, eademque medicinali poena intelligi posse, qualis est censura, sed de execratione ad Daemonum malitiam, et vastificarum bestiarum vim exorcismorum virtute comprimendam. Similiter interdictum locale tametsi referatur ad aliquem locum, non propterea locus ipse censura ligatus dici potest; neque enim poena cadere potest in locum, sed ratione loci in nonnullas personas, ad quas puniendas locus interdicitur. 3. Requiritur ad censuram incurrendam, ut quis sit rationis compos, et doli capax. Nam haec requiruntur ad delictum, quod supponitur censurae. Notandum tamen, si quis compos sui facinus aliquod contumaciter, aggreditur, incidat autem in amentiam, prius quam incoeptum facinus compleatur, crimine completo incurrere ipsum in censuram latam adversus id facinus committentes, velut si quis sui compos mandat interfici clericum, clericus autem a mandatario interficiatur, dum mandans in amentiam jam incidit, hic profecto censuram incurrit. Quorum tamen amentia censetur perpetua, ii non debent ab homine

seu judice excommunicari propter praecedens delictum, immo si excommunicationem contraxerunt a jure latam, convenit eos absolvi, publicis suffragiis priventur, quibus juvari possunt. 4. Denique patet, neminem censura plecti posse, nisi ab eo cujus jurisdictioni subest. Hinc primo subditus unius ordinarii, cum extra dioecesim peccatum admittit, cui peccato, peculiari statuto suae dioecesis censura adnexa est, non eam censuram incurrit. Ita Bonifacius VIII. cap. 2. de Constitutionibus in 6. « Statuto episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur « subditi ejus furtum extra ipsius Dioecesim committentes, « minime ligari noscuntur, quum extra territorium jusdicenti « non pareatur impune ». Secundo subditus qui in propria dioecesi, deliquit, tametsi patrato delicto fugiat in aliam dioecesim, nihilominus censura ei adnexa delicto obstringitur. Tertio. Potest episcopus comminatione censurae compellere ad Synodum ex caussa clericos absentes, qui interesse debent. Nam qui officio suo non fungitur, fixione quadam juris praesens censetur in eo loco, in quo deest officio, quod ibi praestare tenetur. Quarto. Plerique doctores gravissimi censent, si subditus contra superioris sui, puta episcopi, sententiam aliquid sub excommunicationis, vel suspensionis poena praecipientis, aut prohibentis, velut si episcopus sub poena suspensionis prohibeat clerico peregrinaturo, ne aleis ludat, eum revera etiam extra Dioecesim censura affici, tametsi alii negant. Quinto quod attinet ad peregrinos, multa dispuntantur a doctoribus, quae omittimus, quod magna ex parte pendeant ex his, quae alio tractatu disseruntur, an, et quomodo ii subjaceant legibus, et statutis locorum, per quae transeunt.

CAPUT IV.

Quam ob culpam censura infligi possit.

Censura est poena igitur ob culpam infligenda, ita quidem, ut ad gravem censuram gravis culpa requiratur; ad censuram levem, qualis foret suspensio per paucos dies ab alicujus muneris functione, levis etiam culpa sufficere queat. Primo igitur ad censuram gravem qualis est excommunicatio major, et ferme etiam aliae censurae, utpote quae, sive ex natura sua, sive ex circumstantiis graves poenae esse

solent, omnino requiritur peccatum mortale. Unde can. 41. « 11. qq. 3. dicitur: « Quia anathema est aeternae mortis « damnatio, non nisi pro mortali debet imponi crimine, et « illi qui aliter non potuerit corrigi. « Neque adversatur, quod praelati quandoque censura perstringant clericos ex. gr. qui popinas adeunt, cum popinam ingredi certe tamen sit ex objecto indifferens; nam ex multis circumstantiis, velut ad vitanda scandala, potest Praelatus justam habere caussam clericis popinarum ingressum prohibendi; quare si clericus Praelati praeceptum contemnat, graviter peccare censendus est, meritoque censurae subjacere. 2. Requiritur, ut peccatum sit externum. Nam Ecclesia tametsi vim habet directivam in actus fidelium internos, non tamen coactivam; neque enim actus interni foro ecclesiae exteriori, et contentioso subsunt. Licet autem internus videatur esse actus purae omissionis, quo quis rem ablatam ex gr. patefacere praetermittit, quo tamen actu censura interdum incurritur, nil ex eo efficitur contra superius dictum. Nam aliud est omissio ipsa, prout est actus mere internus, sistens in ipsa voluntate non patefaciendi, aliud est omissio, prout exterius innotescit, et manifestatur ipsa non patefactione rei, cujus patefactio sub censura praecipitur: haec porro tantum censura plectitur, non ipse actus internus voluntatis. Unde si quis malam voluntatem gereret, rem sub censura praeceptam praetermittendi, revera tamen non praetermitteret, non incideret in censuram. Quod autem dicitur de peccato interno, non valet de peccato externo, quantumvis occultissime patrato. Nam istud ex natura sua tale est, ut innotescere possit exterius, adeoque natura sua Ecclesiae judicio exteriori subjicitur. Quare peccatum ejusmodi censurae est obnoxium. 3. Non quodcumque peccatum, tametsi mortale, et gravissimum, censura plectitur, sed prout adjunctam habet inobedientiam, et contumaciam contra auctoritatem. Patet ex definitione ipsa censurae. Ex quo concludunt doctores communiter, nunquam censuram incurri propter peccatum soli naturali aut divino juri repugnans, sed omnino requiri praeceptum Ecclesiae, quod reus contemnere videatur; sufficit tamen contemptus interpretativus, quo fit, ut tametsi quis ob ecclesiae tam severe praecipientis, et comminantis auctoritatem et propter bonorum spiritalium praestantiam, quibus est per censuram privandus, horrere summopere deberet, ac refugere malum opus censura notatum, nihilominus minime vult ab

eo abstinere, unde auctoritatem ecclesiae contemnere censetur: hinc ob nullum peccatum omni ex parte praeteritum, nullumque secum trahens contumaciam, ferri censura potest; sed solum si qui peccavit, aut peccato desistere, aut pro peccato satisfacere renuit.

Quarto ad censuram incurrendam oportet, ut completus sit actus, quem legislator prohibere intendit. Propterea in censuram, quae sit lata contra homicidas, non incidit, qui hominem lethaliter vulneravit, animo etiam occidendi, si mors ex vulnere non sequitur. Contra sentiendum esset, si non solum occisio, sed conatus etiam ipsius sub censura prohiberetur.

CAPUT V.

De forma in ferendis censuris servanda.

Cum ferendarum censurarum potestas pertineat ad jurisditionem fori externi, et contentiosi, perspicuum est in ferenda censura judicii formam, et ordinem servandum esse, nullum quippe est judicium, quod non aliqua forma, et ordine contineatur. Et quidem ex allata superius distinctione inter censuram latae sententiae, et ferendae, constat ad censuram latae sententiae non aliam formam requiri, quam quae ad legis valorem requiritur. Quippe haec censura per modum legis fertur. Nonnulla ergo dumtaxat expendenda manent, quae in inferenda censurae sententia judex servare debet. Ex his alia dicuntur substantialia, quibus praetermissis censura invalida efficitur, alia vero accidentalia, quae illicitam reddunt sententiam, non invalidam.

Et primo quidem, censuram monitio praecedere debet, ut communiter doctores eruunt ex Evangelio: « Si ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus ». Hanc monitionem ad censurae valorem omnino necessariam esse communis sententia est: quia nec censura ferri postest, nisi in contumaciam nec quisquam contumax esse videtur, qui non sit admonitus; hinc tametsi notorium sit delictum, adhuc monitio prorsus requiritur; secus aliqui putant, si ante monitionem non delictum tantum, verum etiam contumacia delinquentis notoria esset, velut si reus publice, et sub juramento testatus esset,

se repugnaturum cuicumque praecepto, et admonitioni Superioris.

Secundo jure canonico triplex est monitio facienda, aut una pro tribus. Trina est monitio, quando reus congruo intervallo a judicie assignato, ter admonetur, quod intervallum, nisi quid urgeat, duorum saltem dierum esse oportet. Urgente necessitate, intervalla monitionum contrahi possunt. Potest etiam a judice una monitio pro tribus adhiberi, uno congruo tempore assignato, velut ultimo, et peremptorio termino. Canonica monitio necessitate praecepti sic requiritur, ut ea praetermissa, illicita quidem, non invalida censura efficiatur. Excipitur in cap. *Statuimus* de sententia excommunicationis in Sexto sententia excommunicationis majoris, suspensionis, et interdicti, lata contra participantes excommunicatis ea participatione, quae solum minorum excommunicationem induit, quae nimirum sententia nulla est, si decernatur monitione canonica non praemissa; pariter nulla est sententia excommunicationis, quae fertur non praemissa canonica monitione a delegato, si delegans eam monitionem imperavit, quia nihil potest delegatus ultra intentionem delegantis.

Tertio quod attinet ad modum ejus monitionis faciendae, multa praescribuntur, monitionem videlicet, aut a judice, aut ejus nomine, scripto, vel voce coram idoneis testibus fieri debere. Si contra plures ferenda sit censura, sat esse ut monitio fiat in templo coram populo. Si contra peculiarem personam, eamque cognitam, eam esse personaliter faciendam; sin vero incognita est persona, faciendam esse in loco publico, ut delinquenti possit innotescere. Similiter si delinquens cognitus, fraude manifestis indiciis comperta, monitionem subterfugere studeat, satis esse, ut ab illius domum, vel in loco publico fiat. Persona semel admonita, alias duas citationes, et monitiones fieri posse in Ecclesia.

Quarto perspicuum est, censuram non sola voluntate legislatoris, aut judicis ferri posse, sed aliquo exteriori signo eam voluntatem esse manifestandam, quod censurae inflictionem determinate significet. Atque id quidem ad censurae valorem omnino est necessarium: praescriptum enim est ab Innoc. IV, in Concilio Lugdunensi, ut qui excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, expressa etiam excommunicationis caussa, et exemplum scripturae teneatur communicare, tradere infra mensem, et si fuerit requisitus.

CAPUT VI.

De caussis eximentibus a censura.

Quae ab incurrenda censura eximere valent, sunt haec potissimum: impotentia, ignorantia, metus, consensus partis adversae, inter quae appellatio referri etiam potest. Et primo quidem impotentia exequendi quod sub censura praecipitur, eximit a censura; quidquid enim excusat a culpa, excusat a censura; impotentiam autem excusare a culpa, notum est ex principiis, quae de hac re traduntur in tractatu de actibus humanis, hinc non ligatur censura lata adversus rei detentores quisquis non habet, unde restituat, quae est impotentia physica. Idem valet de impotentia morali, cum scilicet quisquam restituere non posset absque periculo vitae, famae, aut gravi detrimento, aut jactura bonorum, velut si debitor cui praescriptum est certum tempus ad solvendum; nequeat intra id tempus solvere, quin possessiones suas vili admodum pretio vendat, et distrahat. Excipitur porro impotentia voluntarie contracta, et graviter culpabilis.

Secundo ignorantia invincibilis, sive juris, sive facti, sive poenae eximit a censura. Nam qui laborat ignorantia invincibili juris, aut facti, immunis est a culpa, nec reus contumaciae censetur, qui poenam invincibiliter ignorat ab Ecclesia legi adnexam, unde jus ipsum non vult ignorantes ligari censuris, nisi eorum ignorantia crassa fuerit, vel supina cap. *Ut animarum* secundo de constitutionibus in 6. Hinc si quis non ignoret quidem legem divinam vetantem percussionem clerici, ignoret tamen invincibiliter legem ecclesiasticam talem percussionem prohibentem, non incurrit censuram; nam licet gravissime peccet contra jus naturale, et divinum, stante tamen ignorantia invincibili ecclesiasticae legis, non est reus contumaciae adversus Ecclesiam, proindeque non incidit in censuram, quae solum afficit contumaces. Quod si etiam non ignorat legem ecclesiasticam vetantem ex gr. accessum ad claustra monialium, sed ignoret invincibiliter poenam censurae transgressioni adjectam, nec erit censurae obnoxius, nam cum ad contumaciam monitionis aliqua ratio requiratur, tum ille monitus non censetur, qui poenam ab Ecclesia latam adversus legis transgressores invincibiliter ignorat.

Quod pertinet ad ignorantiam vincibilem, si haec sit venialiter tantum culpabilis, orta scilicet ex defectu veniali diligentiae, consentiunt doctores, eam immunem reddere a censura gravis non incurritur, nisi ob peccatum mortale. Ubi autem solam venialis est negligentia, deest peccatum mortale. Nonnulli etiam statuunt aliquod genus vincibilis ignorantiae lethaliter culpabilis, quae tamen nec sit crassa nec supina, eamque ignorantiam valere volunt ad eximendum a censura; quam opinionem alii probabilius rejiciunt. Cum autem censura fertur expresse adversus scienter volentes, et praesumentes, plerique censent, eos non comprehendi, qui operantur ex crassa, et supina ignorantia; quod item nonnulli valere volunt de affectata, quae opinio communius rejicitur, et perperam videtur inducta; siquidem in eo sita est ignorantia affectata, ut quis de industria nescire velit, ut liberius delinquat, et audacius ideo aequivalet scientiae, et culpam ipsam graviorem efficit, minime ergo excusare valet a censuris latis adversus expressam temeritatem, et praesumptionem. Pariter ignorantia concomitans vere invincibilis excusat a censura; itaque censura non alligatur, qui occidit clericum, putans errore invincibili feram interficere, tametsi maxime voluisset eum clericum interimere, si eum praesentem agnovisset.

Quaeritur hic porro, qui laicum percutit, ex gr. putans huic percussioni adnexam esse censuram, in hanc incidat. Negatur plane. Nam erronea conscientia non valet censuram inducere, quae dumtaxat a superiore legitimo infligi potest. Praeterquamquod percussio, cui adnexa est censura, non est sacrilegium mente conceptum, sed externum contra clerici personam patratum. Qui autem ducitur errante conscientia, quanquam sacrilegii mentalis reus sit, non ponit actum externum sacrilegii, quod censura inuritur.

Tertio gravis metus excusat quoque a censura. Nam gravis metus excusat ab ecclesiastica lege servanda (quippe principii loco est, legem humanam non obligare cum gravi detrimento, vel periculo nisi jus aliud superius exurgat, velut si ex violatione legis scandalum sequeretur, aut religionis, aut ecclesiae contempus, quo tempore contra metum omnem est constantissime parendum). Ergo etiam gravis metus excusat a censura. Neque enim in Ecclesiam contumax censeri potest, qui legem ecclesiae observare praetermittit, quando instante gravi damno, et periculo, seclusoque scandalo, et con-

temptu Ecclesia ipsa non intendit ad legis observantiam adstringere. Incurreret autem in censuram qui ex gravi metu aliquid faceret, positivo tantum jure vetitum velut qui jejunium sub censura indictum violaret, si haec violatio exigeretur in contemptum Ecclesiae.

Quarto consensus partis adversae, in cujus favorem lata est sententia ferens comminationem censurae, nisi ei satisfiat excusat a censura; velut si debitor sub censura jubeatur creditori intra mensem satisfacere, creditor autem debitum remittat, vel terminum proroget, elapso mense debitor censura non tenebitur, nam condonato debito subtrahitur materia censurae, cessatque proinde ipsa censura, prorogato vero termino suspenditur. Nec obstat quod verba censurae id operentur, quod sonant, ex quo sequi videtur, quando quidem verba censurae exprimunt debitorem incurrere censuram post mensem, revera ipsum censurae subjici, eo vel maxime quod creditor, cum nulla sit jurisdictione praeditus, non intelligitur, quomodo valeat censuram suspendere. Non, inquam, haec obstant; nam verba censurae operantur quidem quod sonant, sed secundum intentionem superioris. Superior autem non intendit alligare debitorem, nisi secundum voluntatem, et in favorem illius, cui debetur, censuraque illum compellere ad satisfactionem debiti. Pendet autem ex voluntate creditoris efficere, ut debitor vel non omnino amplius debeat, vel non debeat intra constitutum tempus solvere; licet ergo censuram suspendere directe, et ex auctoritate, sit actus jurisdictionis, qui creditori, non competit, non tamen pertinet ad jurisdictionem censuram aut tollere in perpetuum plena remissione debiti, aut suspendere ad tempus, termini prorogatione, per modum subtractionis materiae.

Demum quod attinet ad appellationem, haec breviter indicamus. Appellatio dicitur provocatio a judice inferiore ad judicem superiorem ratione gravaminis illati, aut inferendi. Appellatio, ut sit legitima, his duabus conditionibus praedita esse debet: Primo, ut fiat ex caussa sufficiente, et sine dolo, nemini enim sua fraus debet patrocinari: Secundo ut fiat tempore debito. Appellationis legitimae duplex est effectus: Primo devolvit caussam ad tribunal superius: Secundo suspendit effectum sententiae judicis inferioris. Verum quod attinet ad censuras, non semper valet appellatio suspensam reddere sententiam. Sed facilis est hujus rei explicatio; nam censura vel pu-

re, et absolute fertur, ut quum quis excommunicatur quia contumax est, vel conditionate tantum, ut quum quis excommunicatur, nisi satisfecerit intra praefixum tempus. Appellatio a censura pure, et absolute lata non eam suspendit, neque appellatio a censura conditionata, post eventum conditionis.

Ita statuit Innocentius III. cap. *Pastoralis* 53. de Appellatione. Nam tali censura quis revera, et absolute ligatur, ex quo consequens est, ut alligatus maneat quousque absolvatur. Absolutio porro non tribuitur per appellationem. Appellatio vero a censura conditionata, si fiat intra tempus incurrendae censurae praefixum, suspendit censuram, ut patet ex Cap. *Praeterea* 4. de Appellatione. Ratio est, quia per appellationem caussa devolvitur ad tribunal superius, unde suspensa manet jurisdictio inferioris judicis, antequam censura incurratur. Qua suspensa jurisdictione, censura non amplius incurritur. Notant autem Doctores, appellatione non tantum suspendi censuram, verum obligationem etiam praestandi quod jubet judex inferior sub poena censurae. Ideo enim appellatur a censura, quia appellatur a praecepto, quo se injuste gravatum aliquis putat. Hinc citatus a judice inferiore ad comparendum intra mensem sub poena censurae, non incidit in censuram, si legitima appellatione interjecta, non compareat.

CAPUT VII.

De absolutione a Censuris.

Quemadmodum ex potestate ligandi a Christo Ecclesiae tradita potestas exoritur ferendarum censurarum, sic etiam absolvendi a censuris potestatem ex potestate solvendi, quod ligatum fuerit, manare compertissimum est. Cum autem quod est Ecclesiae potestate alligatum, ea tantum solvi queat, censuram non posse tolli, nisi per absolutionem, constans est doctrina. Non proinde primo censura tolli potest poenitentia delinquentis; haec enim praeparat quidem ad absolutionem, non tamen eam praestat. Quare ab Alexandro VII damnata est haec propositio num. 44. *Quoad forum conscientiae reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessat censura.* Neque secundo, morte illius qui censura ligatus est, nam post mortem adhuc privatur suffragiis, et ecclesiastica sepultura. Non

denique tertio, morte ipsius ferentis, quia poena per legitimam judicis sententiam inflicta transit in rem judicatam, adeoque non finitur morte, aut depositione judicis. Ejus autem absolutionis alia est ratio in foro interno, alia in externo. Nam qui est absolutus a censura in foro externo, nullo ejus vinculo impeditur in foro interno; sed qui dumtaxat est absolutus in foro interno, adhuc ligatus manet in externo, quousque in hoc absolutionem acceperit. Cum autem censura alia sit a jure, alia ab homine, de utraque inquiritur, quisnam absolvere possit.

Et primo quidem a censura lata peculiari sententia is solum absolvere potest, qui eam tulit, aut successor, aut superior, aut delegatus. De auctore, sive de illo qui sententiam tulit, certum est ex regula praecepta: *ejusdem esse solvere, ac ligare:* et ut dicitur Cap. *Verbum* dist. 1. de poenitentia: *par est jus solvendi et ligandi.* Quod semper intelligitur quamdiu in ferente jurisdictio perseverat; secus si extincta sit per jurisdictionem, vel impedita per suspensionem, excommunicationem etc. De successore nulla quoque est dubitandi ratio; nam cum potestas ferendi censuram, vel ab eadem absolvendi, adnexa sit muneri, et dignitati, qua quis fruitur, ad eos eam pertransire necesse est, qui succedunt in eodem munere, vel dignitate. Hinc etiam cap. 1. de majoritate et obedientia in 6., Episcopali sede vacante, potest capitulum, seu ad quem episcopalis jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, iis quibus posset episcopus, si viveret, ab excommunicationis sententia, sive hominis fuerit, absolutionis beneficium impertiri.

De delegato patet etiam, non enim minus delegari potest facultas absolvendi a censura, quam ejusdem ferendae. De superiore denique certum est, modo is plenam habeat jurisdictionem in eos, qui censura legali obstricti sunt a praelato inferiori, et in casibus quibus eam jurisdictionem obtinet.

Secundo a censuris latis a jure, et non reservatis, communis est sententia, parrochos, et quosvis confessarios ordinarios, qui a mortalibus absolvere possunt, posse absolvere. Constat ex cap. *Nuper* 29. de sententia excommunicationis, ubi Innocentius III ait: « In secundo vero casu a suo « episcopo, vel a proprio sacerdote poterit absolutionis be- « neficium obtinere ». Quamvis enim et tunc non juris, sed judicis sententia sit legalis, quia tamen conditor canonis ejus

absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipse concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. Idem habet Divi Th. in supplemento q. 24. art. 1. Idem communior, et probabilior sententia constituit, de censuris ab homine latis per generalem sententiam, nimirum quod tales censurae, quae non feruntur in determinatas personas, sed generatim in eos, qui tale delictum commiserint, se habeant ad modum censurae latae a jure, hoc tantum discrimine, quod cum praecepto transitorio, non constanti legi adhaereant, cessant morte superioris illas infligentis.

Quod vero attinet ad absolutionem a censuris in foro interno, decretum est conc. Trid. sess. 14. cap. 7. de casuum reservatione, ut in articulo mortis omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possint; atque hic quaestio exorta est, utrum omnium sacerdotum nomine debeant, non solum sacerdotes omnes non approbati, verum etiam qui dicuntur praecisi, excommunicati, denunciati. Negantem sententiam defendit Prosper Fagnanus, eamque multis sane, nec contemnendis argumentis firmat; verum apposita sententia, quae decreto Tridentini omnes omnino sacerdotes, etiam excommunicatos comprehendi docet, longe est communior, eamque defendunt Melchior Canus, et Dominicus Soto, qui ei concilio interfuerunt. Hanc in praxi tutissimam esse, omnes jam consentiunt, quae consensio in re, quae pendet ex disciplina, argumento est, eam esse contrariae omnino anteponendam.

Debet autem sacerdos absolvens poenitentem a censuris articulo mortis exigere, ut poenitens actu satisfaciat, si potest. Secundo, ut saltem cautionem praestet, aut juramentum de satisfaciendo, tum quod adhibeat media, quae actu in potestate habet, quibus in futurum prospiciat ei satisfactioni, quam actu praestare nequit. Tertio jure communi obligandus est, idque sub poena reincidentiae, ut sublato impedimento, quamprimum commode poterit, praesentet se superiori, a quo fuerat de jure absolvendus.

Quaeritur autem, utrum articulus mortis idem sit atque mortis probabile periculum; negant nonnulli, ajuntque articulum mortis esse, cum mors jam instat, estque moraliter certa, et inevitabilis; periculum vero, cum quis in tali versatur discrimine, ut non quidem moraliter certa, sed tamen gravi probabilitate mors obventura judicetur; ut contingit e-

c. militibus proelium ineuntibus. Hinc volunt isti, omnibus quidem sacerdotibus in articulo mortis, non autem in periculo, facultatem competere a censuris absolvendi. Verum longe communior, et probabilior sententia est eorum, qui hac in re idem de periculo, ac de articulo mortis judicium faciendum putant, sive quia saepe in jure periculum, et articulus promiscue accipiuntur, sive quia periculum morale in malis perinde caveri debet, ac eventus.

Quaeritur insuper, num per absolutionem a simplici sacerdote factam in articulo mortis, omnes omnino censurae relaxentur. Affirmant nonnulli, eo quod Tridentinum decreto cit. de censuris indefinite loquatur. Negant alii, et forte probabilius, quia Tridentinum eam facultatem tribuit necessitate urgente, ne quis pereat: jam vero ne quis pereat, satis est absolutionem consequatur a censuris, qua impediunt absolutionem a peccatis, reconciliationem cum Ecclesia, participationem sacramentorum, velut ab excommunicatione, et interdicto personali, non autem ut absolvatur etiam a suspensione ab ordine, officio, vel beneficio.

Hinc etiam communis doctrina est, neque in articulo mortis posse laicum, vel clericum absolvere a censuris. Nam haec facultas absolvendi a censuris in articulo mortis tribuitur tantum, ut reus absolvi possit a peccatis. Solus autem sacerdos absolvere a peccatis potest. Unde et Tridentinum de solis sacerdotibus loquitur.

Deniquo quod attinet ad eum, qui est absolvendus a censuris, notabimus, eum teneri omnino petere quamprimum absolutionem, et debitam satisfactionem praestare ad absolutionis beneficium consequendum. Notabimus etiam ut quis valide a censuris absolvatur, non eas omnes dispositiones requiri, quae requiruntur, ut absolvatur a peccatis. Nam, ut ait D. Th. in supplemento q. 74. art. 2. Dicendum, quod malum culpae, et poenae in hoc differunt, quod culpae principium est in nobis, quia omne peccatum voluntarium est: poenae autem principium quandoque extra non est. Non enim requiritur ad poenam, quod sit voluntaria, immo magis est de ratione poenae, quod sit contra voluntatem; et ideo sicut peccata non remittuntur alicui invito, sed excommunicatio sicut in aliquem invitum ferri potest, ita etiam invitus ab ea absolvi poterit; dupliciter autem intelligi potest quisquam repugnare absolutioni a censura, vel qui non vult recedere

a culpa, et contumacia, propter quam lata est censura, vel quia solum non vult petere absolutionem. In priori casu, si culpa continuationem habet, ut haeresis, concubinatus, possessio beneficii per simoniam adepti, ajunt doctores, non posse invitum absolvi a censuris, nisi ab eo, qui supra jus ipsum, et praeceptum potestatem habeat. Si vero quis censura sit affectus propter culpam praeteritam, velut propter percussionem clerici, blasphemiam etc., posse illum absolvi etiam invitum, et similiter in alio casu, eum, qui culpam correxit, sed non vult petere absolutionem; advertunt tamen, non esse tribuendam absolutionem, nisi cum haec praevidetur et magis medicinalis, et utilior futura, quam censura.

Atque haec quidem, quae strictim attigimus de censuris, utpote cogenda in paucas superstites lectiones, sic accipiatis velim, ut existimetis, nos voluisse non institutiones tradere, quae satis essent, quod his angustiis temporis fieri minime poterat, sed solum percensere capita quaedam notionum ad eas res pertinentium quibus velut indicibus admonerentur studiosi ad singula diligentius perquirenda, et penitus cognoscenda.

APPENDIX II.

DE GRATIA DEI

COMMENTARIOLUM.

DE GRATIA DEI

COMMENTARIOLUM.

Illud piis omnibus, nobis vero in primis curae esse debet, ut quam de Gratia doctrinam celeberrimi patres africani pro Fide Catholica in Sardinia exules praedicarunt, atque in orbem totum summa cum totius ecclesiae commendatione propagarunt, ea sancte apud nos retineatur, ac juxta ecclesiae traditionem, et intelligentiam defendatur.

Neque alio Sancti Patres illi spectabant, quam ut eos, qui de Gratia, et libero arbitrio dissidebant, in unam fidei catholicae concordiam, atque ad unum idemque sentiendum, ut par est, in Christo Jesu adducerent. Nam cum alii, licet immerito prorsus putarentur liberati officere, quod summam Gratiae vim, et efficaciam praedicarent, illud Apostoli afferentes: Epist. Synod. C. 12. *Deus est, qui operatur in vobis, et velle, et operari pro bona voluntate:* Alii contra, ut arbitrii libertatem tuerentur, gratiae vim, dignitatemve imminuere non vererentur, illo se protegentes Isaiae testimonio: *Si volueritis, et audieritis me, bona terrae comedetis:* Duo illa testimonia nullo pacto pugnare inter se Patres Africani luculenter ostendunt, Quin potius, *si utrumque, sicut oportet, animus in fide tranquillus acceperit*, futurum pollicebantur, ut nulla de Gratia Dei, et humano arbitrio quaestio remaneret. Et sapienter illi quidem animos in fide tranquillos requirebant: nam in omni disputatione, quae de re quacunque instituatur, illud in primis optandum, ut animi tranquillentur. Quippe disputationum aestu abreptae mentes hominum saepe

magis discordant studio partium, quam momentis ipsis sententiarum.

Summa porro capita colligere in hunc locum propositum nobis fuit, quae ad totam hanc de gratia pertractationem propius pertinere visa sunt, aeque porro cum ex africanorum Patrum, summorumve doctorum Augustini, ac Thomae placitis, tum potissimum ab Apostolicae sedis, conciliorumque ab ea probatorum firmissima auctoritate depromere: praeclara nempe majorum exempla secuti, velut patrum synodi secundae Arausicanae, qui duce caesario Arelatensi, omnis tollendae ambiguitatis causa, capitula quaedam ab Apostolica sede transmitti sibi postularunt, quibus illi subscribere deberent, cui synodo cum ab Apostolica ipsa sede petitae confirmationis accessisset auctoritas, tum demum *Semipelagianos ultimò ictu confossos concidisse*, probe animadvertit Natalis Alexander, Hist. Saec. V. c. 3. art. 10.

In hoc porro abstrusioris institutionis, disceptationisve genere, quod totum pro subjectae doctrinae ratione, ex plenitioribus theologiae fontibus ducitur, minus nobis fas esse arbitrati sumus a communi theologorum loquendi consuetudine recedere; ne forte politiorem dicendi formam, utcumque seu verius frustra consectantes, proprietatem amitteremus, qua perspicuitas maxime continetur. Ut enim in alio quolibet artificii genere, sic et in theologicis disciplinis sua quaedam inest et propria disserendi ratio, qua fit, ut notiones rerum de quibus agitur, certis quibusdam, ac diuturno usu contritis verborum formulis comprehensae, ac velut circumscriptae, certum quoque, ac plaunm definitum sensum illum referant, quem doctrinae ratio postulat: quas proinde formulas si paullo latiore, tametsi concinniore circuitu ad elegantius dicendi genus traducere velis, verendum sit, ne sententia suis veluti sedibus dimota, vinculisque soluta, quibus ante adstricta tenebatur, jam se aliquanto licentius efferat; sic ut ea percipienda quisque prout affectus est, plus, minusve dictum intelligat, quam dici oportuerit. Omnino vis haec est praescriptae formulae, ut quam claudit notionem propriam ejus ac certam speciem velut sigillo impressam signet in animis: diffluentior contra oratio subjectam sententiam per latiorem verborum ambitum fusam, ac dissipatam, suo potius cuique modo ex tota sermonis

complexione colligendam, ac fingendam tradere videatur. Quo magis praecavendum nobis fuit, ne in hoc subtili dicendi genere, minus propriae dictionis ambiguitas in offensionis, errorisve periculum incurreret: omninoque proprietatem illam sequendam nobis esse censuimus, quam Catoni probatam maxime fuisse auctor est Quintilianus, ut proprie dictum id sit, quo nihil significantius inveniri possit.

I.

DE PRIMIGENIA HOMINIS ORDINATIONE IN DEUM ANTE PECCATUM.

1. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* (Prov. 16.) Deus ergo ut primum principium, ita et finis ultimus rerum omnium. Hinc et initium ducitur, ut sapienter intelligendi, sic et recte agendi.

2. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te.* (Johan. 17.) Scilicet cum intellectus, rationisve particeps natura ordinetur in Deum per cognitionem, et amorem, suprema ejus felicitas in perfecta ejusmodi adhaesione cum Deo consistit. Quippe adhaerere Deo bonum esse, idque summum, sacrae nos litterae docent. Quin et in eo extremum bonorum positum esse inter priscos philosophos nonnulli, si non expressa, saltem adumbrata quadam ratione intellexisse videntur.

3. *Videamus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* (1. Cor. 13.) Non ergo perfecta, numerisque omnibus cumulata felicicitas ea Dei cognitione continetur, quae aut per sensum communem habetur, aut demonstratione acquiritur, aut per fidem accipitur. Nec enim hujusmodi cognitio animum explere perfecte potest, ut luculenter docet Angelicus praeceptor l. 3. cont. gent. cap. 38. 39. 40. Immo nec in ea naturali Dei cognitione, quae vel ipsis separatis naturis, ab omnique corporea contagione secretis congruit, quiescere omnino posse naturalem ipsarum Beatitudinis appetitionem tradit S. Doctor, cap. 50.

SCHOL.

« Beatitudo, ait S. Th. 1. 2. q. 5. art. 8., potest con« siderari sub ratione finalis boni et perfecti, quae est com« munis ratio beatitudinis: Et sic naturaliter, et ex neces« sitate voluntas in illud tendit . . . . Potest etiam conside« rari secundum alias speciales considerationes, vel ex parte « ipsius operationis, vel ex parte potentiae operativae, vel « ex parte objecti, et sic non ex necessitate voluntas ten« dit in ipsum ». Hinc licet naturalis sit, et insita beatitudinis appetitio sub communi ratione perfecti boni, quod undequaque animum expleat, quia tamen nil volitum quin praecognitum, non sequitur ex mente S. Doctoris, naturalem, innatamque beatitudinis appetitionem expresse, distincteque illam specialem perfecti boni consequendi rationem per sese posse attingere, quo suprema, quae haberi possit, felicitas continetur.

4. Revera perfecta, et cumulata omni ex parte intellectualis, rationalisve naturae felicitas in clara Dei visione consistit, qua non jam ut *nunc per speculum in aenigmate*, sed *facie ad faciem* Deus in sua essentia videtur, seu *sicuti est* (1. Johan. 3.). Hac etenim visione fruitio continetur illius boni, quo nullum excellentius bonum cogitari potest. Sic D. Th. l. 4. cont. gent. cap. 50 « Finis omnis rationalis est, « ut beatitudinem perveniat, quae esse non potest nisi in « Regno Dei, quod quidem nihil est aliud, quam ordinata « societas eorum, qui Divina visione fruuntur, in qua vero « beatitudo consistit. » Vid. S. Th. 1. p. q. 12. art. 1. *Quum ultima hominis beatitudo etc.* et 1. 2. q. 3. art 8. *Remanet homini etc.*

5. *Gratia Dei vita aeterna*: (ad Rom. 6.). Etsi ergo est sit homo natura, quae supremae hujusce beatitudinis capax est, ad eam tamen non potest, nisi per . supernaturale Dei auxilium promoveri. Scilicet, ut sapienter docet S. Th. 1. 2. q. 109. art. 5., et l. 3. cont. Gent. cap. 147., eo praestat rationalis creatura inferioribus naturis, quod istae determinatae sunt ad finem naturae suae aptum, et congruentem, quem quidem per naturales suas vires consequi possunt, sed ultra quem provehi nullo pacto valent: Ita S. Doctor 1. 2. q. 5. art. 5. ad 2. At vero pergit ibidem.

« Nobilioris conditionis est natura, quae potest consequi perfectum bonum, licet indigeat exteriori auxilio ad hoc consequendum, quam natura, quae non potest consequi perfectum bonum, sed consequitur quoddam bonum imperfectum, licet ad consecutionem ejus non indigeat exteriori auxilio ». Ea porro est hominis excellentia, ut per divinum auxilium perduci queat ad finem altiorem, suas naturales vires excedentem, ad quem inferiores naturae pertingere nullo modo possunt. Igitur homo si ordinatur in finem, qui naturalem ejus facultatem excedit, necesse est ei supernaturale aliquod subsidium adhiberi, quo tendat in finem.

6. *Ego manifestabo ei meipsum*, Joh. 14. Sane, ut docet idem S. Doctor. « Impossibile est perveniri ab aliquo intellectu creato ad visionem Divinae substantiae, nisi per actionem Dei, qui omnem creaturam transcendit. Hinc est, quod (Rom. 6.) dicitur: *Gratia Dei vita aeterna*; in ipsa enim Dei visione ostendimus esse hominis beatitudinem, quae vita aeterna dicitur, ad quam sola Dei gratia ducimur, quia talis visio omnem creaturae facultatem excedit, nec est possibile ad eam pervenire, nisi Divino munere. Quae autem sic adveniunt creaturae, Dei gratiae deputantur, et Johan. 14. dicitur: *Ego manifestabo ei meipsum* ». Stet igitur hominem pro naturae suae conditione, ac praestantia capacem esse visionis beatae adipiscendae, nec tamen per naturales suas facultates ad hanc pervenire, nec aspirare posse, nisi superiori gratiae munere ad eam provehatur: Quippe longe aliud capacitas est, aliud facultas. Qua de re, siquidem probe intelligatur, nulla potest suboriri dubitatio.

7. Cum autem *Dei perfecta sint opera* (Deuteron. 32.), et inter rationes, quae assignari possunt Divinae voluntatis, recenseat D. Th. (l. 1. cont. Gent. C. 86.), decentiam, utilitatem, tum et necessitatem ex suppositione, profecto decebat suavitatem Divinae Providentiae, ut cum rationalem creaturam conderet Deus visionis suae beatificae capacem, sed ad quam propris viribus assurgere non posset, eamdem ad se supernaturali gratiae munere ordinaret, nec perfecti hujus boni, finisque ultimi expers maneret. Quae ordinatio tametsi suavitati Divinae Providentiae maxime consentanea,

cum tamen non nisi supernaturali beneficio constitui potuerit, merito supernaturalis dicitur, et censetur.

SCHOL.

V. Bellarminus (de Gratia primi hominis) posteaquam C. 5. adversus Novatores invictis argumentis asseruit: *Supernaturale donum fuisse rectitudinem, quam primus homo in creatione accepit*, nihilominus C. 7. ad object. 13. ultro fatetur, agnoscitque: *Beatitudinem finem hominis naturalem esse quoad appetitum, non quoad consecutionem.* Cl. Berti (August. Syst. Vindic. Dissert. 2. C. 1. §. 6.) plures ex omni Schola profert insignes theologos velut in eamdem sententiam conspirantes; cui et Divum Thomam adscribere multi non dubitant, cum ex aliis locis, tum ex illo primae partis q. 12. art. 1. *Inest homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum.* At non omittenda cautio, quam prudenter adhibet Sylvius in hunc locum: « Omnino est concedendum, hominem naturalibus suis viribus absque ulla « de possibilitate visionis Dei cognitione relictum, non posse « elicere simplex, et absolutum hoc desiderium: Volo Deum « videre per essentiam: idque affirmat D. Th. q. 62. art. 2. « his verbis: *Videre Deum per essentiam (in quo ultima bea- « titudo rationalis creaturae consistit) est supra naturam cujusli- « bet intellectus creati. Unde nulla creatura rationalis potest « habere motum voluntatis ordinatum ad illam beatitudinem, « nisi mota a supernaturali agente.* Desiderium ergo videndi « Deum, quod D. Th. dicit hic, esse naturale, non est sim- « plex, et absolutum, sed vel conditionatum, si fieri potest, « vel in communi quantum videri potest ». Sic plana evadit probatissima sententia S. Doctoris, ut existimaverit naturale quidem inesse homini desiderium primae causae cognoscendae, prout humana possit investigatione innotescere; non prout sese Deus facie ad faciem videndum, fruendumque praebeat, quae Dei videndi ratio cum captum omnem superet humanae intelligentiae, non nisi superiori Divina revelatione innotescere potuit.

8. Hinc et specialis ordo Providentiae erga rationalem creaturam, de quo multa praeclare S. Th. l. 3. cont. Gent. cap. 3. et 113., absit autem, ut quod ordini Divinae pro-

videntiae ex aliqua decentiae ratione congruere intelligitur, illud creaturae ipsi debitum dicatur, quasi *prior ille acceperit*.

SCHOL.

Abest sane ab instituti nostri ratione plurimum, improbari quidquam a nobis eorum, quae de *statu naturae purae* in scholis catholicis, nulla Ecclesiae improbatione palam disputantur. Absint modo, penitusque facessant proscripti errores Baij, Quesnelliive: « Integritatem scilicet primae creationis, immortalitatemve primi hominis, non fuisse gratiae beneficium, sed naturalem hominis conditionem: Humanae naturae sublimationem, et exaltationem in consortium Divinae naturae, debitam fuisse integritati primae conditionis, et proinde naturalem dicendam esse, non supernaturalem: Gratiam Adami sequelam creationis fuisse, debitam naturae sanae et integrae, quaeque non produceret, nisi merita humana ». Sane doctissimus Norisius (Vindic. Aug. col. 923.) ad propositionem 55. Baij: *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur*, notat damnatam eam esse respective ad propositionem 27. quae est: *Integritas primae conditionis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio*. Additque: « Quasi subjectio concupiscentiae non fuerit ex dono creatoris, sed ex exigentia naturali humanae substantiae, tanquam propria passio ejusdem, quod falsum est. Nam haec duo distinguenda sunt: concupiscentiae subjectionem datam homini ex exigentia rei creatae: vel ex pura puta decentia. Primum enim negatur. Alterum a nobis asseritur, et hoc patet ex Augustino scribente lib. 3. cont. Julian. c. 11. *In natura hominis ante peccatum pacem decebat esse, non bellum* ».

Certe non aliud bonum cuique naturae proprie debitum dici potest, quam quod naturali ejus *exigentiae*, seu conditioni respondet. Proinde si integritas primi hominis, ejusdemque sublimatio *ex dono Creatoris* profluxit, non ex *naturali exigentia humanae substantiae*, neutra proprie debita fuit. Nec vero ad inducendum ejusmodi debitum valet, quod utramque decuerit in prima creatione homini conferri; quippe longe abest a ratione veri debiti quidquid merae tantum

decentiae refertur acceptum. Nemo negaverit, decuisse Deum id facere, quod a Deo revera factum est; nec tamen inde consequens est, non potuisse Deum aliter facere, quam fecit. Sane hoc ipso quod mundus a Deo creatus est, recte inferes, decuisse Deum, ut mundum crearet, nec enim creasset, nisi decuisset. Minime vero fas est inferre, fieri haud potuisse, quin mundum Deus conderet. Ita plane, licet vere decuerit hominem ad finem supernaturalem ordinari, quod facto ipso comprobatur, minime inde sequitur, haud potuisse Deum hominem condere iis tantum dotibus instructum, quae naturali ejus conditioni responderent. Quo in statu hominis beatitudo ea summi boni, seu Dei cognitione, et adeptione contineretur, quae naturalem hominis facultatem, naturalibus etiam auxiliis adjutam non excederet, e qua major adhuc felicitas haberetur, quam, quantam vel cogitando philosophi, effingere, aut adumbrare unquam potuerint. Quin et ipse Augustinus certam quamdam beatitudinis rationem agnoscit, quam a plenitudine beatitudinis (quae beatifica visione continetur) apertissime distinguit. Quippe lib. de corrept. et grat. n. 27. « Diabolus vero, ait, et angeli ejus, etsi beati « erant antequam caderent, et se in miseriam casuros esse « nesciebant, erat tamen adhuc, quod eorum adderetur bea- « titudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, « donec istam summae beatitudini plenitudinem, tanquam « praemium ipsius permansionis acciperent ». Hinc si propter eam decentiam, de qua superius dictum est, divinae providentiae ordini maxime consentaneam praestantes non desunt theologi, qui statum naturae purae impossibilem dicere non dubitaverint, id eo sensu ab his dictum intelligi par est, quem a Norisio supra expositum vidimus, non quasi talis status vel Dei potentiae, vel hominis naturae absolute repugnet; cum et Augustinus lib. 3. de libero arbitrio c. 12. contra Manichaeos professus sit, et lib. 1. Retract. c. 9. senex confirmaverit, quamvis ignorantia, et difficultas essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandum, sed potius laudandum Deum fuisse: sed eo sensu, quo divinae providentiae ordini, ut dictum est, manus congruere intelligitur, sensuque adeo a Baij, Quesneville erroribus alienissimo.

Quin et spectata praesenti providentia, recto sensu dici potest, impossibilem effectum esse statum naturae purae.

Supposito quippe decreto, quo Deus decrevit hominem ordinare ad finem supernaturalem, impossibilis evadit status, qui cum decreta ordinatione conciliari non potest: sed simul patet, impossibilitatem ex decreto, non excludere possibilitatem ex natura rei. Praeclara omnino sententia D. Th. l. 4. cont. Gent. cap. 52. « Si quis recte consideret, satis pro-« babiliter poterit aestimare, divina providentia supposita, « quae singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, « quod Deus superiorem naturam inferiori ad hoc conjunxit, « ut ei dominaretur, et si quod hujus dominii impedimentum « ex defectu naturae contingeret, ejus speciali, et superna-« turali auxilio tolleretur etc. » His persequendis angelici praeceptoris vestigiis tuti progredimur inter extrema; idque cavebimus, ne quibus muneribus humanam naturam pro Divinae Providentiae suavitate, in prima conditione augeri decuisse rectissime dicitur, ea munera in solutum, quasi summo jure debita, potius quam ex liberali Dei largitate accepta existimentur: ne dum plus aequo naturae praestantiam extollere satagimus, gratuitum prorsus divinae gratiae in omni statu beneficium imminuere ultro, extenuareque videamur.

9. Ad hanc specialem providentim pertinebat, ut consentaneas Deus leges daret hominibus, quibus ad praestitutum finem rite dirigerentur, ac simul divinitus patefacta religione, gratum Deo cultum sancte praestare docerentur. Hinc S. Th. primo ingressu in eam Summam, quae perfectam, numerisque omnibus absolutam christianae disciplinae institutionem continet, (1. p. q. 1. art. 1.) necessitatem eruit, ac demonstrat scientiae divinitus inspiratae: « Quia, inquit, homo « ordinatur ad Deum, sicut ad quemdam finem, qui com-« prehensionem rationis excedit, secundum illud Isaiae 64. « 4. *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti « diligentibus te.* Finem autem oportet esse praecognitum « hominibus, qui suas intentiones, et actiones debent ordi-« nare in finem. Unde necessarium fuit homini ad salutem, « quod ei nota fierent quaedam per revelationem divinam, « quae rationem humanam excedunt ». Quemadmodum igitur hominis ordinatio in visionem beatificam, velut ultimum finem, revelationis necessitatem comprobat, sic vicissim necessitas rivelationis naturalem intelligentiam prorsus excedentis, plane comprobat, ex naturali hominis conditione non

prodire ordinationem illam, quae supernaturale revelationis subsidium exposcebat.

10. Proinde cum, ut dictum est, Dei perfecta sint opera, simul atque Deus hominem condidit, non solum dotibus eum omnibus ad condictionem illius naturae pertinentibus instruxit, verum et supernaturalibus auxit, et in superiori revelatae religionis ordine constituit.

11. Sane rectitudinem primi hominis donum gratiae fuisse docet S. Th. 1. p. q. 95. art. 1. his verbis: « Manifestum est, quod illa prima subjectio, qua ratio Deo subdebatur, non erat solum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum gratiae ». Quod confirmat auctoritate Augustini *de Civit. Dei* lib. 13. cap. 13. ajentis: « Postquam praecepti facta transgressio est, confestim gratia deserente Divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt. Senserunt enim motum inobedientis carnis suae, tanquam reciprocam poenam inobedientiae suae ,,. Ex quo merito infert S. Th.: Si deserente gratia, soluta est obedientia carnis ad animam, per gratiam effectum esse, ut ante peccatum subderetur animae caro. Nil proinde magis abhorret a mente Augustini, quam ad naturalem conditionem referatur, quod ipsemet Augustinus gratiae dono refert acceptum.

12. Eodem spectat doctrina S. Thomae de primo statu Angelorum 1. p. q. 62. art. 2. « Angelum indiguisse gratia, ut converteretur ad Deum, quatenus est beatificans, per suae essentiae visionem ». Et art. 4. « Beatitudo ultima excedit naturam angelicam, et humanam, ut ex dictis patet, unde relinquitur, ut tam homo, quam angelus suam beatitudinem meruerint. . . . Actus vero non potest esse meritorius secundum quod est ex libero arbitrio, nisi in quantum est gratia informatus ». Et q. 63. art. 3. exponens, quemadmodum diabolos peccavit appetendo esse Deus: « Sed in hoc appetiit indebite esse similis Deo, quia appetiit, ut finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute suae naturae poterat pervenire, avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quae est ex gratia Dei; vel si appetiit ut ultimum finem illam Dei similitudinem, quae datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suae naturae, non ex Divino auxilio secundum Dei depositionem ».

13. Idem perspicue docet Augustinus de corrept. et grat. n. 29. et seq., ubi disserens de gratia utriusque status, nimirum status naturae innocentis, et status naturae per Christum reparatae, ait: « Quid ergo? Adam non habuit « Dei gratiam? Immo vero habuit magnam, sed disparem ». Disparem dicit, non quasi una gratuita esset, non item altera; sed quod unam altera potentiorem agnoscat. Scilicet, inquit n. 31. « Istam gratiam non habuit homo primus, qua « nunquam vellet esse malus: sed sane habuit, in qua si « permanere vellet, nunquam malus esset, et sine qua « etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed « eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec « ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam re- « liquit in ejus libero arbitrio ». Non ergo ex libero arbitrio, aut ex naturali hominis conditione profluebat ea gratia, qua muniendae fuerunt naturales vires, juvandum liberum arbitrium, ut homo permanere in bono posset.

14. Concilium etiam Arausicanum II. Can. 19. « Natu- « ra humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condi- « ta, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non « adjuvante, servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem « non possit custodire, quam accepit, quomodo sine gratia Dei « poterit reparare quam perdidit? » Quae sententia sive Augustini, sive Arausicani concilii, plane conficiunt supernaturalem omnino fuisse gratiam, quae primo homini collata est, sine qua custodire salutem non posset, quam acceperat, et in qua si stetisset, summae beatitudinis plenitudinem, tanquam ipsius permansionis proemium acciperet, sicut acceperunt angeli, qui stetere. An porro dicemus, nonnisi merita humana produxisse gratiam ejusmodi, per quam adipisci homo poterat, et reapse, auctore Augustino, angeli boni summae beatitudinis plenitudinem adepti sunt? Non minus ergo a mente Augustini, quam a doctrina Ecclesiae aberrat vigesima quarta propositio Quesnelii: *Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.*

15. Itaque non aliunde, quam ex ordine illo, qui Divinae providentiae suavitatem maxime decebat, praeclara illa petenda sunt gratiarum ornamenta, quae in statum innocentiae cumulatissime collata esse sacrae litterae testantur. Quo fiebat, ut corpus animae, vires inferiores rationi, ratio ipsa Deo esset ordinatissime subdita. Hanc porro in-

tegritatem, seu rectitudinem donum Dei fuisse liquet ex dictis.

16. *Deus mortem non fecit.* (Sap. 1.) *Et peccatum mors.* (Rom. 5.) Erat nimirum integritas illa radix immortalitatis in homine. Sic enim Deus hominem fecerat, ut quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret. Tamen, (prout S. Th. 1. p. q. 97. art. 1.) « Non corpus ejus erat indissolubile per « aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed ine« rat animae vis quaedam supernaturaliter divinitus data, « per quam poterat corpus ab omni corruptione praeserva« re, quamdiu ipsa Deo subjecta mansisset. Quod rationa« biliter factum est, quia enim anima rationalis excedit pro« portionem corporalis materiae, ut supra dictum est, con« veniens fuit, ut in principio virtus ei daretur, per quam « corpus conservare posset supra naturam corporalis mate« riae ». His apprime consentanea sunt, quae scribit Augustinus de Gen. ad lit. l. 6. n. 36. « Illud quippe (corpus) « ante peccatum, et mortale secundum aliam, et immorta« le secundum aliam causam dici poterat: id est morta« le, quia poterat mori, immortale quia poterat non « mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam « naturas immortales creavit Deus: aliud est posse non mo« ri, secundum quem modum primus creatus est homo im« mortalis, quod ei praestabatur de ligno vitae, non de « constitutione naturae: a quo ligno separatus est, cum pec« casset, ut posset mori, qui nisi peccasset, posset non mo« ri. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, im« mortalis autem beneficio creatoris ». Annon videtur Bajus sententiam simul, et verba S. doctoris refutare voluisse illa sua 78. damnata propositione: *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio?* Vid. Sylv. in laudatam quaest. S. Th. art. 4.

17. Supernaturale quoque divinae revelationis beneficium sapienter notavit Augustinus in illo mysterii pleno sopore, quem immisit Deus in Adam. „ Ac per hoc etiam (de Gen. « litt. l. 9. n. 36.) illa extasis, quam Deus immisit in Adam, « ut soporatus obdormiret, recte intelligitur ad hoc immis« sa, ut et ipsius mens per extasim particeps fieret tanquam « angelicae curiae, et intrans in sanctuarium Dei intellige« ret in novissima. Denique evigilans tanquam prophetiae « plenus, cum ad se adductam costam, mulierem suam

« videret, eructavit continuo, quod magnum Sacramentum « commendat Apostolus: *Hoc nunc os ex ossibus meis* etc. » Unde et S. Th. 2. 2. q. 2. art. 7. « Ante statum peccati « homo habuit explicitam fidem de Christi incarnatione, se- « cundum quod ordinabatur ad consummationem gloriae, « non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a « peccato per passionem, et resurrectionem: quia homo non « fuit praescius peccati futuri ». Et sane, ut ibidem docet angelicus praeceptor: « Via hominis veniendi ad beatitudi- « nem est mysterium incarnationis, et passionis Christi: Di- « citur enim act. 4. *Non est aliud nomen datum hominibus,* « *in quo oporteat nos salvos fieri.* Et ideo mysterium incar- « nationis Christi aliqualiter oportuit omni tempore esse cre- « ditum apud omnes, diversimode tamen secundum diversi- « tatem temporum, et personarum ». Quo etiam confirma- tur, supernaturali revelatione niti religionis ordinem, qua homo ad supernaturalem beatitudinem ordinatur. Quis etenim dixerit, ad naturalem hominis conditionem pertinuisse my- steriorum cognitionem, qua imbutus est Adam in statu in- nocentiae? Quae Mysteria utpote quae naturalem omnem fa- cultatem superant, non nisi supernaturali manifestatione in- notescere potuerunt.

SCHOL.

Ex pervagata in Adae posteros promissione ipsi post lapsum facta potuere homines, divina opitulante gratia, seu etiam peculiari quodam divino instinctu, fidem eam saltem implicitam in Redemptorem futurum concepire, quae ad salutem iis quoque necessaria fuit, qui sub lege naturae vixere.

18. *De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas.* Gen. c. 2. v. 17. Non omni ergo praecepto positivo caruit status innocentiae. Pulchre Augustinus (de Gen. ad litter. l. 8. c. 6.) « Oportebat, inquit, ut homo sub Domino Deo « positus alicunde prohiberetur, ut promerendi Dominum « suum virtus esset ipsa obedientia ». Et post pauca: « Non « esset ergo, unde se homo Dominum habere cogitaret, at- « que sentiret, nisi aliquid ei juberetur ». Hoc nempe in- terdicto abstinendi ab illius unius arboris fructu, velut in- fixo ad perpetuam rei memoriam monumento, admonebatur

Adam, ut cum inferioribus naturis omnibus dominaretur, semper tamen meminisset, se servum illius esse, cujus beneficio reliqua sibi omnia subjecta fuerant, prout etiam notat Augustinus de *Civit. Dei* l. 14. c. 15.

19. Et quidem ex hactenus dictis colligitur, Adamo infusum fuisse donum fidei, qua revelatis crederet, infusam gratiam sanctificantem, qua mereri posset, collatum insuper actualis gratiae adjutorium, quo permanere posset in bono, si vellet.

20. Sic itaque sancta religio, qua pius Dei cultus continetur, fuit auctore Deo ab initio constituta, ut superna revelatione, ac lege niteretur, perennique Dei influxu regeretur. Ut proinde augusto isto religionis nomine indigna plane sit quaecunque alia colendi numinis ratio, quae ex humano arbitratu, non ex divino praescripto, institutave a Deo auctoritate pendeat.

21. Utrum autem gratia angelo, et homini innocenti collata fuerit ex praevisis Christi meritis; et utrum gratiae adjutorium pro eo statu efficax, necne vi sua fuerit, disputant in utramque partem theologi. Ceterum nefas dubitare, quin Christus caput sit non hominum tantum, sed et angelorum. Quippe (ad Colos. 1.) « Ipse est caput « corporis Ecclesia, qui est principium, primogenitus ex « mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia « in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per « eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sangui« nem Crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis « sunt. » Ed ad Ephes. 1. « Suscitans illum a mortuis, et « constituens ad dexteram suam in coelestibus supra omnem « principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, « et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sae« culo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus « ejus: et ipsum dedit supra omnem Ecclesiam, quae est « corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus « adimpletur ».

SCHOL.

Ex his quae de revelatione Adamo facta mysterii incarnationis a SS. Doctoribus Augustino, e Thoma tradita paullo ante accepimus, conjectura forte non omnino improbabilis

capi posse videtur ad aliquam quaestionis ejus explicationem, quae in scholarum disputatione versatur, utrum gratia quam in statu innocentiae Deus contulit, per Christum, et ex meritis Christi collata fuerit. Certe Augustinus non dubitavit, quin divinitus Adae patefactum fuerit incarnationis mysterium. Sanctus vero Thomas haec duo confirmat, et fidem aliquam incarnationis omni tempore necessariam fuisse, et hac fide primum hominem, nec tantum implicita, sed et explicita imbutum fuisse. Enim vero cum omne tempus valeat apostoli sententia, *sine fide impossibile esse placere Deo*, omni sane tempore congrua rerum earum fides necessaria fuit, quae per sese ac directo pertinent ad fidem. Quae porro haec sint praeclare declarat S. doctor 2. 2. q. 1. art. 6. « Quia vero inquit, fides principaliter est de his, quae videnda speramus in patria, secundum illud Hebr. 11. *Fides est substantia sperandarum rerum*; ideo per se ad fidem pertinent illa, quae directe nos ordinant ad vitam aeternam, sicut sunt tres personae Omnipotentis Dei, mysterium incarnationis Christi, et alia hujusmodi ». Et art. 8. « Dicendum, quod sicut dictum est (art. 4. et 6. huj. quaest.), illa per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita aeterna perfruemur, et per quae ducemur ad vitam aeternam. Duo autem nobis videnda proponuntur, scilicet occultum divinitatis, ejus visio nos beatos facit, et mysterium humanitatis Christi, per quod in gloriam filiorum Dei accessum habemus ». Ex his principiis aptissime more suo concludit q. 2. art. 7., fidem incarnationis omni tempore, atque in omni statu fuisse de necessitate salutis. « Dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 5. huj. quaest. et quaest. 1. art. 8.), illud proprie, et per se pertinet ad objectum fidei, per quod homo beatitudinem consequitur. Via autem hominibus veniendi ad beatitudinem est mysterium incarnationis, et passionis Christi: dicitur enim art. 4: *non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Et ideo mysterium incarnationis Christi aliqualiter oportuit omni tempore esse creditum apud omnes, diversimode tamen, secundum diversitatem temporum, et personarum ». Tum sese referens ad statum innocentiae, subjicit: « Nam ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi incarnatione, secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriae, non secundum quod ordi-

« nabatur ad liberationem a peccato per passionem, et resur-
« rectionem: quia homo non fuit praescius peccati futuri ».

Sic igitur jam in ipso innocentiae statu homo in Christum credidit, immo et credere debuit, velut in eum, per quem ordinatus erat ad vitam aeternam, per quem unum accessum habere poterat in gloriam filiorum Dei, et paratam filiis Dei beatitudinem consequi. Jam vero perspicuum est, eatenus Christo convenire, ut sit via ad beatitudinem, ac per eum homo ducatur ad vitam aeternam, quatenus intuitu Christi, et ex meritis Christi gratia confertur, qua homo accessum habet ad gloriam filiorum Dei, et beatitudinem homo consequitur. Hoc ipso igitur, quod in statu innocentiae homo crederet in Christum, velut in viam qua ducendus erat ad vitam aeternam, hoc ipso, inquam, profitebatur, ex meritis Christi obvenire gratiam, qua pateret accessus ad gloriam filiorum Dei, indeque aditus ad vitam aeternum consequendam.

Aliunde fides viva sejuncta esse nequit a spe, et charitate. Si ergo fide viva homo innocens credebat in Christum, certe illum spe, et charitate colebat. Quam autem spem charitate formatam in Christo collocatam habere potuisset, nisi ab eo, et per eum beneficia illa divinae largitatis expectasset, per quae homines ducuntur ad vitam?

Neque vero inde futurum est, sublatum iri discrimen inter gratiam primi status, et gratiam medicinalem status naturae lapsae, ac per Christum reparatae. Quippe huic retinendo discrimini satis apte accommodari potest quod Cl. card. Gotti de utriusque status discrimine statuit (Tract. IV. de Scentia Dei quaest. 4. Dub. 8. §. 3.) quoad efficacitatem gratiae ab intrinseco, quam tamen pro utroque statu graviter, copioseque defendit: « Discrimen ergo, inquit, inter homi-
« nem lapsum, et saucium, ac hominem integrum, et sa-
« num, et Angelos, non in eo situm est, quod homo sau-
« cius egeat adjutorio, quoad perseverandum, homo autem
« sanus, et Angeli eo non indiguerint; sed in hoc, quod
« homo saucius egeat adjutorio sanante vulnus, homo au-
« tem sanus, et Angeli tali adjutorio non indiguerint. » Et post multa in eamdem sententiam egregie disputata. « Ex
« quo concludo, differentiam gratiae efficacis in utroque statu
« sumi potius penes extrinsecum, nempe subjectum, quam
« penes intrinsecum, ipsam nempe gratiae efficacis natu-

« ram. » Quidni ergo et gratia Christi, quae homini juvando in statu innocentiae data est, tum demum medicinalis gratiae vim ac rationem habuerit, cum sanando vulneri per peccatum inflicto adhibenda fuit?

Nec et istud sequitur, hominem redemptum jam dici debuisse, dum etiam in statu maneret innocentiae. Nam redemptus proprie non dicitur, nisi qui facto, vel debito servituti sit obnoxius. Porro neutro modo innocens homo servituti peccati subjacebat. Quamquam ergo ex meritis Christi collata fuerit gratia, sive qua est primum in justitia constitutus, sive qua permanere posset, si vellet, non inde fit, ut jam redemptus dici debuerit, qui nullo adhuc servitutis nexu tenebatur. Quae quidem sic dicta velim accipi, non quasi comperti quidquam in ancipiti quaestione afferre confiderem, sed quod ea, quae se scribenti obtulere, omni deposito certandi animo, sapientiorum judicio subjicienda potius, quam tacenda penitus, et obruenda duxerim.

II.

DE NATURA

Per peccatum vitiata.

22. *Homo cum in honore esset, non intellexit.* (Ps. 48.) Ex illo nempe altissimo dignitatis gradu, in quo primum Deus hominem collocarat, culpa ille sua eo ipso excidit, quo a Dei obedientia descivit. Hinc natura humana in origine vitiata fuit, nec solum spoliata supernaturalibus donis, sed in deterius secundum corpus, et animam mutata.

23. *Sic per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* (Rom. 5.) Quo firmissime tenendum, juxta traditionem Ecclesiae, non mortem tantum corporis, quae poena peccati est, sed et peccatum, quod mors est animae, per unum hominem in omne genus transiisse.

24. *Quocirca hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium.* (Trid. Sess. 5.) Suo tamen decreto beatam, et Immaculatam Virginem Dei Genitricem Mariam comprehen-

dere haud intendisse Tridentina sacra synodus apertissime declaravit. De hac nimirum Sanctissima Virgine praeclara extat Augustini sententia (de Nat. et Grat. c. 36.), qua profitetur *propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi velle quaestionem.* Quam generalem sententiam ad peccata dumtaxat actualia coerceri non patitur ipsa *honoris Domini* ratio, quae si omnem *prorsus* de peccatis quaestionem in hac causa excludit, profecto ad originale non minus, quam ad actuale peccatum removendum valere debet, nisi hoc putamus Augustinum sensisse: quaestionem de originali peccato, minus quam de actuali *honori Domini* obfuturam fuisse, quasi non omnis cujuscunque peccati labes in honoris Domini offensionem verteretur, ac redundaret. Quamquam nec alia desunt in Augustino loca, quae ad originale perinde atque actuale peccatum ab ea purissima Virgine removendum accomodatissime proferuntur. Quin et piam hanc mentem, ac sententiam ab ea jam vetustate fidelium animis insedisse luculento testimonio fidem facit bonus auctor, eximius Taurimensis antistes, idemque clarissimus Ecclesiae doctor, ac pater Sanctus Maximus, qui, dum commissam sibi Christi plebem pro concione alloqueretur: *Idoneum plane Christo habitaculum Mariam, non pro habitu corporis, sed pro gratia originali* praedicavit. Quis etenim non intelligat, nec puncto temporis labem originalem cum originali gratia potuisse consistere? Sane refugit pia mens cogitare, fuisse aliquando peccati servam, ac daemonis, per quam conterendum erat caput serpentis, utpote quae Victorem peccati; ac mortis editura esset.

25. Originali hac labe infecti porro nascuntur filii omnes Adae, immundi, et natura filii irae sub captivitate mortis, et diaboli, ac aeternae damnationi obnoxii. Quare Augustinus de parvulis, qui sine Baptismo de corpore exeunt, ait, recte dici posse, in damnatione omnium mitissima futuros, (de peccat. merit. et remis. l. 1. 16. n. 21.) multum autem fallere, et falli, qui eos in damnatione praedicat non futuros, dicente apostolo: *Judicium ex uno delicto in condemnationem.* Et paullo post: *per unius delictum in omnes homines ad condemnationem.* Vide etiam l. 5. cont. Julian. cap. 11. 12. 44. Hanc porro parvulorum damnationem ad solam poenam damni revocat S. Th., cui et adstipulatur communis fidelium sensus, quem quidem quanti fecerit Augustinus, quan-

lique faciendum existimaverit, testatum ipse reliquit gravi ea reprehensione, qua sibi obtrectantem Julianum refutat, quod advocatis saepe plebecularum catervis uteretur l. 1. n. 33. Ceterum parvulis istis beatitudinem aliquam naturalem asserere, commentum videtur alienum a mente scripturae, et sanctorum patrum.

26. Inter vulnera per originale peccatum inflicta merito recensetur ignorantia ex obscuratione intellectus, infirmitas liberi arbitrii, rebellis concupiscentia, qua sentiens appetitus rationi acrius repugnat.

27. Liberum arbitrium fuit quidem viribus debilitatum, et attenuatum, non tamen extinctum. Hinc remansit homo liber non solum a coactione, verum etiam a necessitate, quae libertatis ratio indifferentiae nomine designari solet. Quia vero ipsum liberum arbitrium fuit viribus attenuatum, haec indifferentiae libertas quae remansit, non est intelligenda libertas aequilibrii, qua animus eadem facilitate seu pronitate sese in alterutram partem inflectat. Quippe aliud facultas, aliud facilitas.

28. A fomite concupiscentiae reatus culpae secerni sane potest, ac debet. Etenim concupiscentiam in renatis peccatum non esse, in iis tamen manere ad agonem, prorsus constat ex Tridentino Sess. 5. Atque, ut docet Augustinus lib. 2. Oper. Imperf. n. 71. « Aliud est peccatum, aliud concupi« scentia peccati, cui non consentit, qui per gratiam Dei « non peccat, quamvis et ipsa concupiscentia peccati vocetur « peccatum, quia peccato facta est. « Sic ergo concupiscen« tia quandoque peccatum dicitur, non quod reipsa peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.

29. *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus* (Jacob. 1.) Satis certe id esse videtur, ne putemus vitiatam peccato concupiscentiam rem esse suapte natura nec bonam, nec malam, sed indifferentem, et in bonum, malumve ex aequo versatilem. Nam quod ex peccato est, et ad peccatum inclinat, quod abstrahit a bono, et illicit in malum, quocum et perpetua colluctatio esse debet, id sane malum est propter inhaerentem immoderationem, tametsi absque voluntatis consensu, culpa in eo nulla existat. Quippe latius patet ratio mali quam ratio peccati; et siquidem omne peccatum est malum, non ideo malum omne peccatum est. Sane Ven. Bellarminus de grat. primi hominis

cap. 7. ad 1. object. « Concupiscentia carnis, inquit, nunc « quidem poena peccati est, tamen homini conditio in puris « naturalibus fuisset sine dubio naturalis, non quidem ut bo- « num aliquod naturae, sed ut defectus, et quasi morbus « quidam naturae ex conditione materiae consequens. Quare « rectissime dicitur, non esse ex Deo, odio, non amore di- « gnam, malam, naturaeque contrariam propter duas caus- « sas, primum quia non ex intentione auctoris naturae, sed « praeter ejus intentionem in homine extitisset, si in puris « naturalibus homo creatus fuisset. Deinde quia Deus illam « sustulerat, et ex ipsius hominis culpa locum in nobis ha- « bet. « Et lib. 5. de Amiss. Grat. etc. c. 13. ad 1. » Re- « cte dicitur concupiscentia non bona, non sancta, sed mala. « Non tamen sequitur, eam esse proprie peccatum. »

30. *Ignorantias meas ne memineris*, Ps. 24. Minime ita- que dubitandum, quin et dentur peccata ignorantiae. Quoties proinde vincibilis est ignorantia, idest voluntaria aut in se, aut in caussa, toties peccat, qui ex ea inductus in fraudem praescriptum officium deserit, idque tametsi tum homo nec de Deo, nec de lege, nec de ipsa peccati turpitudine ullo pacto cogitet.

31. Nec tamen quod attinet ad peccatum inducendum, vo- luntaria, seu vincibilis ignorantia censenda est, quod ex ori- ginali culpa ortum duxerit. Nam ad peccatum actuale actua- lis motus voluntatis requiritur; et ut concupiscentia non fit peccatum, nisi cum voluntatis consensus accessit, sic etiam ignorantia non inducit peccatum, nisi qui ea tenetur, vitu- perabili negligentia nosse illa praetermiserit, quae scire po- tuit, ac debuit.

32. Prima principia, proximioresve legis naturalis con- clusiones invincibiliter ignorari haud posse, satis constat in- ter doctores, satisque fit ex eo manifestum, quod rationis lumen per peccatum non fuerit penitus extinctum. Utrum vero in remotiores naturalis ejusdem legis conclusiones in- vincibilis ignorantia queat obrepere, nondum quidem videtur expresse definitum. Longe tamen communior sententia est af- firmantium, quorum haec potissima est ratio, nempe de qui- bus sapientes etiam piique viri disputant, num legis sint na- turalis necne, fas est existimare, quae prudentioribus obscura sint, ea rudioribus praesertim, spectato communi providentiae or- dine, sic impervia esse, ut invincibili eorum ignoratione te-

neantur. His assentitur Cl. Berti de theolog. discipl. l. 21. c. 10. quo loco post expositam eorum opinionem, qui censet neminem sui compotem laborare ignorantia invincibili juris naturae, suam ipse mentem aperit his verbis: « Verissimam « tamen puto sententiam oppositam, et circa consequentias « juris naturae remotissimas censeo, ignorantiam invincibi- « lem esse admittendam; . . . etiam illam tenent omnes fere « Aegidiani, ac Thomistae, nec non Sylvius, Ludovicus Ha- « bert, l'Herminier, aliique communiter. Cujus assertionis « haec videtur ratio apertissima, quod conclusiones juris na- « turae remotiores deducuntur ex principiis longiori, imple- « xoque discursu, quem rudes quamplurimi etiam ordinariis « gratiae adjumentis efformare nequaquam valent, ut in mul- « tis ad usuram, et matrimonii impedimenta spectantibus non « perraro contingit. » Tum progreditur ad argumenta solvenda in contrariam partem ab ill. Genetto proposita, quae ait videri non admodum valida.

SCHOL.

Moralis quidam theologus, quem laudat. P. Antoine de Peccat. c. 3. quest. 6. scribit, confixam esse Romae an. 1635. propositionem istam: „ Nullam admittimus ignorantiam in- „ vincibilem juris naturae in ullo homine, dum hic et nunc „ contrarium naturae agit: „ Verum qui moralem theologiam P. Antoine multis additionibus auctam et illustratam Romae an. 1764. edendam curavit, Philippus de Carboneano, nota ad eum locum adjecta, deceptum monet in eo scriptorem laudatum: „ Prohibitus fuit, inquit, libellus anony- „ mus plures continens theses, in quo etiam propositio illa „ reperitur, sed quis inde inferat, fuisse propositionem dam- „ natam, quam deinceps tot gravissimi theologi propugna- „ verunt? „ Tum et eamdem ille quaestionem pluribus versat alia prolixiore nota, ac demum concludit: „ Utut se res „ habeat, ne in tam gravi controversia progrediar, forsan „ aliqua temeritate sententiae, nihil firmiter statuo, ut „ jam monui, sed judicium omne sapientibus relinquo etc. „

33. Quamcumque porro in rem subrepat invincibilis ignorantia, certum, ratumque est extra culpam esse, qui ex ea committit in legem. Auctor Augustinus ipse, qui lib. 3. de lib. arb. c. 19. negat deputari ad culpam, quod invitus igno-

ret. Non minus autem invitum, seu involuntarium est, quod fit ex involuntaria ignorantia, quam ipsa ignorantia, qua invitus quisquam tenetur. Aliunde constat id omnino ex damnata secunda propositione ab Alexandro VIII. „ Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, haec in statu „ naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato „ formali. „ Quem errorem proditum ante a Calvino, arreptum deinde a Jansenio probe explodit laudatus Berti.

34. Quamvis autem invincibilis ignorantia juris etiam naturalis eximat a culpa, non ideo facit, ut actus contra hanc legem, bono licet animo editus, bonus evadat. Nam, ut sapienter docet S. Th. 1. 2. q. 19. a. 6. ad 1. „ Ut aliquid „ sit malum, sufficit sive secundum suam naturam sit ma- „ lum sive quod apprehendatur ut malum: sed ad hoc quod „ sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum. „ Nec enim haec duo pugnant: ut actio sit ex se se mala, nec tamen deputetur ad culpam propter invincibilem ignorantiam, quae ut voluntarii, sic et culpae rationem omnem ab actu removet.

SCHOL.

At forte inquies; si quis conformatum in modum hostiae panem publice in Altari expositum, nec tamen rite consecratum, eo religionis cultu prosequeretur, qui Christo tribuendus est, quem invincibili errore putat ibi adesse sub specie panis, num forte de cultu isto dicendum erit, futurum tantummodo culpae expertem propter ignorantiam invincibilem: ceterum omni pietatis fructu, bonitate omni cariturum? Respondemus futurum utique bonum. Ad cujus rei explicationem summatim perstringemus, quae copiosius alio loco pertractata sunt, cum de recta conscientia nobis esset instituta disputatio. Repetendum itaque, duplici modo errari posse in judicio conscientiae: 1. Errore juris, seu dictaminis, quo quis putat actionem in tali specie constitutam, bonam esse, vel malam: velut si quis putet bonum esse mentiri pro salute innocentis, aut (quod exemplum memorat Augustinus) uxori licere pro salute viri copiam sui facere iniquo Judici. 2. Errore facti, velut dum quis falsum quid affirmat, quod credit esse verum: aut ad mulierem accedit, quam putat esse suam, velut Jacob ad Liam. Primus error, utpote qui ad-

versatur principiis syntheresis, quae lege aeterna continentur, quo nempe mendacium, vel adulterium, cognitum ut mendacium, et adulterium, certo in casu licitum judicatur, ac bonum, obstat ne bonus dici queat actus, qui lege ipsa aeterna reprobatur ut malus; nec adeo rectum unquam dici poterit conscientiae judicium, quo bonum dicitur malum, et malum bonum. At vero error facti, quo quis sciens adulterium esse malum, nec de adulterio quidquam suspicans, immo ab eo prorsus abhorrens, involuntario errore personae deceptus, accedit ad non suam, talis, inquam, error non adversatur principio syntheresis, seu legis aeternae dictantis adulterium esse malum: nec adeo tali errore depravatur judicium proprium conscientiae, quatenus refertur ad principia legis aeternae, quemadmodum iis principiis difforme omnino est illius judicium, qui adulterium aliquo casu judicat fieri posse licitum. Proinde nil vetat, quin actus tali invincibili errore facti susceptus, non solum expers culpae propter invincibilem ignorantiam, sed etiam bonus habeatur pro bona mente, qua suscipitur. Brevius more scholastico: scilicet cum agitur de actu malo ex objecto, distinguendum, utrum tale sit ex objecto formali, an ex objecto materiali. Cum error versatur circa objectum formale, velut cum quis mendacium dicit, cognitum ut mendacium, putans tali casu licitum esse mentiri, tum actus ejusmodi malus ex objecto formali, numquam bonus evadere potest, quippe quod incommutabili bonitatis regulae repugnat, hoc ipso repugnat esse bonum. Cum vero error versatur circa objectum duntaxat materiale, nec proinde repugnat regulis morum contentis in aeterna lege, tum actus ejusmodi malus tantum ex objecto materiali, potest esse bonus, quia actus qui intenditur, actus est ex objecto formali revera bonus, velut qui verum dicere intendit, dum falsum dicit, quod invincibili errore putat esse verum. Praeclara multa in hanc rem suppeditat S. Bernardus lib. de praecepto et dispensat. Cap. 14., cujus haec est inscriptio: *Cur conscientia errans non aeque convertat malum in bonum, uti bonum in malum.*

Nunc demum ut ad quaestionem revertar initio propositam, satis liquere puto ex dictis, nil obesse, quo minus cultus hostiae non consecratae ab eo praestitus, qui invincibili errore deceptus eam putet rite consecratam, non solum culpae sit expers, verum etiam bonus, ac pius censeri queat.

Nam si adhuc pauca licet majoris proprietatis gratia subjicere, prout judicium conscientiae rectum, aut pravum est, sic actio ex eo prodiens bona, vel mala censeri debet. Jam vero judicium illud vel legem refertur praecipientem, aut vetantem; vel ad materiam ipsam, seu objectum, quod lege praecipitur, vel vetatur: atque ut rectum est vi sua judicium, quod aeternae legi sit consentaneum, ita non rectum, seu pravum necesse est esse judicium, quod eidem adversatur. Jam vero dictat quidem lex aeterna, non licere cultum latriae creaturae cuivis tribuere; nec ideo rectum unquam poterit esse contrarium conscientiae judicium, nec bonus actus ex eo judicio profectus, quo quis nimirum quocumque errore abreptus judicet, aliquando licere sibi hostiam non consecratam adorare. Hic etenim directo errat contra legem aeternam, dum judicat licitum esse, quod lex aeterna dictat nusquam licere. At qui hostiam adorat non consecratam, putans invincibili errore consecratam esse, illius judicium non ipsimet legi repugnat, quippe non judicat licere, quod lex dictat non esse licitum, sed ejus judicium sistit in conditione objecti, circa quam error obrepere potest sine offensione legis aeternae, quippe lex aeterna non dictat, hanc numero hostiam consecratam esse, vel non consecratam. Statque adeo, ut cum tali errore rectum consistat judicium conscientiae, prout refertur ad legem aeternam, proindeque et bona censeri queat actio ex eo judicio profecta.

III.

DE REPARATIONE HOMINIS POST LAPSUM ET DE GRATIAE IN PRAESENTI STATU NECESSITATE.

35. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* (Rom. 7.) Homo nimirum lapsus, totusque per offensam praevaricationis Adae in deterius secundum corpus, et animam commutatus, non potest ad vitam aeternam ordinari, nisi per gratiam Christi. Trid. Sess. 5. c. 1. Sess. 6. c. 1.

36. Etenim innocentia per eam praevaricatione amissa, et culpa originali in totam Adae sobolem propagata, homines facti immundi, et natura filii irae, usque adeo servi erant

peccati, ut non modo gentes per vim naturae, sed ne Judaei quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi, inde liberari, aut surgere possent. Sess. 6. c. 1. et 2.

37. Ut ergo et Judaei, et gentes adoptionem filiorum reciperent, Christum Jesum proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, nec nostris tantum, sed et totius mundi.

38. Ergo nec justificari quisquam potest, nec adeo salvari, nisi renascens in Christo adoptionem filiorum recipiat.

39. Haec justificatio, seu translatio a statu peccati in statum gratiae, et adoptionis, post evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest: ut proinde nemo adultus in praesenti statu salvari queat sine voto saltem regenerationis, complectente fidem in sanguine Christi.

40. Gratia, qua homo ab infidelitate ad fidem, a peccato ad poenitentiam convertitur, aut quocumque modo disponitur, nullis datur praecedentibus meritis. Neque enim esset vera gratia, nisi esset omnino gratuita. Unde Apostolus dicit: *Gratia salvi facit estis per fidem.* (Sess. 6. cap. 8.): *Ut ostenderet*, inquiunt patres africani, *fidem non aliquibus bonis meritis dari, sed ipsius fidei dono omne bonum meritum inchoari*, secutus adjunxit: *Et hoc non ex vobis, sed donum Dei est.*

41 Disponuntur autem homines ad justitiam, dum 1. Excitati, et adjuti divina gratia fidem ex auditu concipiunt, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata, et promissa sunt. 2. Peccatores se esse intelligentes, a justitiae divinae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertunt. 3. In spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore. 4. Illum tamquam omnis justitiae auctorem diligere incipiunt. 5. Et propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem. 6. Proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, et servare mandata c. 6.

42. Nemo itaque adultus justificari posse putandus est, nisi gratia excitatus, et adjutus fidem conceperit, a timore divinae justitiae ad ejus misericordiae considerationem conversus in spem venerit propitiationis per Christum: Deum diligere incaeperit, tamquam omnis justitiae auctorem, his-

que de causis, et incitamentis, odio, et detestatione in peccata moveatur, proponat suscipere sacramentum reconciliationis, inchoare novam vitam, et servare mandata.

IV.

DE GRATIA QUOAD OPERA MORALIA.

43. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis ipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Cor. 3. Nemo per vigorem naturae, bonum aliquod, quod ad salutem pertineat, aut cogitare, ut expedit, aut eligere potest absque illuminatione, et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, et credendo veritati. Concil. Araus. 1. l. c. 7. Trid. Sess. 6. c. 3.

44. Quia tamen humana ratio per peccatum non penitus corrupta est, nec liberum arbitrium extinctum, nec omni modo delectum in corde hominum, quod ibi per imaginem Dei, cum crearetur, impressum est: (Augustinus de Sp. et litt. c. 27.) Ideo potest homo lapsus per vires naturales, quas retinuit, et veritates multas etiam practicas cognoscere, non tamen omnes, et aliqua virtutum moralium officia servare, non tamen substantiam omnem legis implere.

45. Hinc Augustinus hominum peccatorum etiam infidelium quaedam facta esse agnoscit, quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus. De Sp. et litt. c. 27.

46. Ea bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur, haud prosunt impio ad salutem aeternam, prodesse tamen possunt, ut qui alieni sunt a gratia, mitius puniantur: *Quamquam si discutiantur, quo fine fiant* (c. 28.), *vix inveniuntur, quae justitiae debitam laudem, defensionemve mereantur.*

SCHOL.

Qui ait *vix inveneri*, non negat, immo dat aliqua saltem, licet rarius inveniri, quae spectato etiam fine, justitiae debitam laudem mereantur. Et sane bona ea opera si prodesse possunt, ut qui ea fecerit mitius puniatur, quam puniretur, si non ea fecisset, consequens est, ita bona esse,

ut nulla pravitatis accessione vitientur. Nam si essent aliqua culpae labe vitiata, non prodessent ad poenam minuendam eorum, qui ea fecissent; sed et ipsa pro modo culpae, aliqua poena adjectione plecterentur. Ex quo non invitus quisquam colligat, haud alienum fuisse Augustinum ab agnoscendis bonis operibus ex impressione, quam agnovit remansisse imaginis Dei in homine, quae opera, tametsi non prosint ad salutem, nec adeo bona sint ex bonitate, de qua quaestio erat adversus Pelagianos, cum tamen valere queant ad poenam minuendam, culpae omnis expertia merito existimentur. Hoc ipsum confirmat cl. Berti (de theolog. discipl. l. 18. c. 2. prop. 1.), ubi alio recitato S. Augustini eamdem in rem testimonio, ex lib. 4. cont. Julian. c. 3. subjicit: « Opus quod « exercentes minus deviamus a veris, christianisque virtuti- « bus, mulctamque vitamus acerbiorem, nequit esse pecca- « tum. Peccata ergo non sunt opera moralium virtutum, quae « interdum ab impiis, et a gentilibus exercentur „. Atque hoc quidem non de actione spectata tantum *ratione operis*, intelligendum esse, clarius etiam patet ex his, quae de temporali mercede subjungit, quam et gentilium quoque virtutibus quandoque tributam fuisse ostendit. Planum est enim, actionem tametsi bonam ex objecto, sed quae prout exercetur, peccatum revera sit, mercedem etiam temporalem a Deo consequi non potuisse. *Obstetrices Aegypti. Exodi 1. v. 20., laudantur* inquit Berti, *et mercedem consecutae sunt, quoniam hebraeorum masculos non praefocarunt.* An vero mulieres illae laudari meruissent, quae misericordia male utenda revera peccassent? Recte proinde Hieronymus affirmat, *etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede, Dei judicio reperiri.* Quae verba manifeste referuntur ad opus, prout fit, non prout spectatur tantum ex objecto. Audiatur praeterea Natalis Alexander hist. Eccles. saec. V. c. 3. art. 3. §. 2., ubi exposita Juliani sententia concludit: Hanc Juliani Pela- « giani de infidelium bonis operibus, et virtutibus sententiam « uberius, et accuratius exposui, ut videas, quantum ab illa « distet communis theologorum opinio, qui aliqua bona opera « fieri ab ipsis posse, et interdum elici propugnant, quam- « vis admodum infrequentia, et ad salutem aeternam nihil « conferentia: et quantum a veritate aberraverit Jansenius « Yprensis, qui illam cum errore Juliani inscite, et temere « confudit ».

47. Et sane cum inter infideles ipsos nonnulli Deum cognoverint, quippe *invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus, et divinitas*, potuerunt etiam aliqui ea opera ex objecto bona in Deum ordinare, ut proinde nec ipsa conditio relationis in Deum ad eorum bonitatem moralem defecerit.

48. Immo et gratiae quoque auxilio, bona opera etiam inter infideles inveniri, ex Polemonis continentia intelligi potest, quam Dei dono tribuendam esse satius existimat Augustinus Epist. 144. Proinde sive ex uno capite, sive ex alio, idest sive ex impressione imaginis Dei, quae remansit in homine, sive ex collato dono gratiae, pro diversa doctorum sentiendi ratione aestimentur istiusmodi facta infidelium, semper constat, aliqua etiam inter infideles opera inveniri quae omni culpae labe careant, errorque prorsus convincitur Baii asserentis, *omnia infidelium opera esse peccata.*

49. Profecto non est ambigendum, quin Deus misericordiae suae thesauros infidelibus quoque aperiat, spirando prout vult, et gratiae auxilia impertiendo, quibus magis, aut minus proxime vocentur ad fidem. Qua de re nulla potest remanere dubitatio post quintam ab Alexandro VIII damnatam propositionem. « Pagani, judaei, haeretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte infertur in illis esse voluntatem nudam, et inermem sine omni gratia sufficienti ».

50. Itaque cum patres interdum dicunt, fidem esse primam gratiam, plane loquuntur quandoque de auxiliis gratiae, quibus homines vocantur, aut disponuntur ad fidem, quaeque adeo ipsummet fidei donum antecedunt: quandoque vero de fide in ordine justificationis, et meriti; quo sensu fidei dono omne bonum meritum inchoari dicunt patres africani. Et S. Augustinus (de Praedest. sanct. c. 7.), fidem, qua homo justificatur, velut primam gratiam memorat, *ex qua impetrentur coetera, quae proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur.* Aliud itaque est loqui de prima gratia in ordine justificationis, et meriti, aliud loqui de prima gratia in ordine vocationis. Quod sane discrimen eruitur etiam ex doctrina Tridentini Sess. 7., nam cap. 8., quo declarat S. Synodus *Quomodo intelligatur impium per fidem, et gratis justificari*: « Fides est, inquit, humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis, sine qua impossi-

« bile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium per« venire ». At simul cap. 5. *de necessitate praeparationis ad justificationem in adultis, et unde sit.* « Declarat praeterea ip« sius justificationis exordium in adultis a Deo per Christum « Jesum, praeveniente gratia, sumendum esse, hoc est, ab « ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis vo« cantur ». Et cap. 6. *Modus praeparationis*: « Disponuntur « autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et « adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in « Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata, et « promissa sunt ». Adest ergo gratia praeveniens, qua homo excitatur, et adjuvatur, ut fidem concipiat ex auditu, et credat vera esse, quae divinitus revelata sunt. Manifestum est autem gratiam, qua quis excitatur, et juvatur ad concipiendam fidem, supponere hominem, in quo nondum sit concepta fides, talemque adeo gratiam praevenire ipsam fidem, ad quam concipiendam excitat, et adjuvat. Ergo ante fidem dantur gratiae praevenientes, ac disponentes ad fidem. Non ergo fides est prima gratia in ordine vocationis.

SCHOL.

Perversam Quesnellii doctrinam prop. 26. *Nullae dantur gratiae, nisi per fidem*; Et prop. 27. *Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum*; Et prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio:* expressis verbis refellit Augustinus (de dono Persev. c. 16), ubi docet gratiam dari, quae fidem, quae obedientam, quae caritatem praevenit. Verba haec sunt sancti doctoris. « Praevenit ergo et fidem ipsa gratia: alioquin si fides « eam praevenit, procul dubio praevenit et voluntas, « quoniam fides sine voluntate non potest esse. Si autem « gratia praevenit fidem, quoniam praevenit voluntatem « profecto praevenit omnem obedientiam, praevenit etiam « caritatem etc. » Quo etiam spectat quod tradit (l. de nat. et Gr. c. 31.) « *Praevenit, ut vocemur.* » Quod si datur gratia, quae auctore Augustino praevenit fidem, non ergo fides prima gratia, nec fons omnium aliarum: quidquid enim antecedit fidem, necesse est prius esse, quam sit fides. Rursus prius est vocari ad fidem, quam habere fidem. Si ergo per gratiam vocantur homines ad fidem, necesse

est prius esse gratiam, qua vocantur, quam fides, quae vocationem subsequitur. Quod si gratia praevenit etiam caritatem, falsa item convincitur propos. 28. Quesnellii: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; quam et aliunde manifestum et fidei catholicae apertissime repugnare, qua docemur gratias dari, quibus peccatores disponuntur ad remissionem peccatorum, quaeque proinde gratiam remissionis antecedunt.

51. Ceterum etsi verbi divini praedicatio pertineat ad modum ordinarium, quo vocantur homines ad fidem, juxta illud Apostoli: *Quomodo audient sine praedicante?* tamen est memoratu dignum, quod legitur apud Augustinum (de dono Persever. c. 19.) „ Paucissimis esse donatum, ut nullo sibi homine praedicante, per ipsum „ Deum, vel per angelos coelorum doctrinam salutis accipiant: multis vero id esse donatum, ut Deo per homines credant. „.

SCHOL.

Hactenus profligatam vidimus ab Augustino Quesnellianam doctrinam, eo spectantem, ut gratiae beneficium eripiat homini cuique, cui nondum aut concessum sit fidei donum, aut facta peccati remissio. Affinis huic doctrinae alter est capitalis error Quesnellii, haustus ex impuris hussitarum fontibus, quo peccati labes inuritur operibus omnibus, quae non prodeant ex dominante caritate; quasi, horrendum dictu, non bona essent, omnisque labis expertia opera illa, quibus homines, dum adhuc degunt sub peccati jugo, tamen adjuvante gratia ad caritatis dominantis libertatem aspirant. Pravam hanc doctrinam extulit Quesnellius Prop. 44. *Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, et actiones omnes nostrae nascuntur etc.* 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* 46. *Cupiditas, aut caritas usum sensuum bonum, vel malum facit.* Certe in omni homine nondum justificato regnat cupiditas, regnat in infidelibus, qui sunt a caritate dominante disjunctissimi. Si ergo nullus medius est affectus inter caritatem dominantem, et regnantem cupiditatem; si volitiones omes, et actiones, quae non

ex caritate nascuntur, nasci necesse est ex carnali cupiditate, nulla jam extra dominantis caritatis imperium reliqua volitio erit, vel actio, quae non foetus sit carnalis cupiditatis. Quid jam porro absurdius fingi potest, quam ex carnali cupiditate prodire dicantur affectus illi, qui moven animum ad ea vitae officia, quae sunt vi sua, seu ex objecto justitiae, honestatisve regulis maxime consentanea, velut parentes colere, depositum reddere, sobrietatem, et castimoniam in vita servare; quae non solum laudabilia sunt per sese, verum, quemadmodum superius expositum est, sic praestari possunt vel ab infideli, ut sint ab omni culpae labe immunia? Non ea sane indoles est, non ea vis carnalis cupiditatis, ut cum lege mentis consentiat, et ad ea moveat, quae sunt ex sese rectae rationis, atque adeo legis aeternae regulis conformia. Quesnellium non pigeat ab Apostolo discere, cujus generis ea sint, quae ex carnali cupiditate prodeunt, nullum affectum, officium nullum inter ea reperiet, quod sit ex objecto laudabile, quodque debiti finis adjectione non etiam ex omni parte bonum queat evadere. *Manifesta sunt*, inquit ad Ephes. c. 5. v. 19., *opera carnis*, quo nomine pugnantem cum lege mentis concupiscentiam designat, *quae sunt fornicatio*, *immunditia*, *impudicitia*, *luxuria*, *Idolorum servitus*, *veneficia*, *inimicitiae*, *contentiones*, *aemulationes*, *irae*, *rixae*, *dissensiones*, *sectae*, *invidiae*, *homicidia*, *ebrietates*, *comessationes*, *et his similia*. An his similia, in quibus elucet lumen aliquod justitiae, misericordiae, bonitatis, pudoris, et honestatis? Ut proinde affectus in ea movens nequeat ad carnalem cupiditatem referri, nisi placet ex carnali cupiditate repetere, quae cum carnali cupiditate pugnant apertissime.

Atque haec quidem illustriora fient praeclara illa auctoritate Augustini, quam ex lib. de Spir. et litt. deprompam superius attigimus, quam proinde operae pretium fuerit hoc loco repetere, ac paullo uberius exponere. Ibi Augustinus illud interpretans Apostoli dictum: *Gentes quae legem non habent*, *naturaliter ea quae legis sunt facere:* ac docere instituens, qua ratione accomodari ad eos valeat, qui nec Deum verum veraciter, justeque colunt, apertissime profitetur, horum tamen facta memorari, *quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possu-*

mus, *verum etiam merito*, *recteque laudamus*. Equidem continuo subjicit: *Quamquam si discutiantur*, *quo fine fiant*, *vix invenientur*, *quae justitiae debitam laudem*, *defensionemve mereantur*. Quibus verbis indicat quidem Augustinus, facta illa infidelium pravo adjecto fine plerumque vitiari, nec tamen adeo universe, ut non aliqua saltem extare valeant ab ea labe immunia, quaeque adeo merito, recteque laudentur. Nam qui ait, *vix inveniri*, hoc ipso significat, nil obesse, quominus aliqua rationis hujus, est perraro, aliquando tamen inveniri queant. Jam inquirit Augustinus, unde laudabilia ista facta infidelium repeti debeant. Num forte ex radice carnalis cupiditatis, qualem certe in impiis, de quibus loquitur, dominari non ignorabat? Nihil minus. « Verumtamen, inquit c. 28., quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitae, facere aliqua legis, vel sapere ». Et paullo infra: « Quantulacumque legis opera naturaliter insita non invenirentur in eis, qui legem non acceperunt, nisi ex reliquiis imaginis Dei. » Non ergo *ex terrenorum affectuum labe*, seu carnali cupiditate repetit Augustinus quantulacumque illa infidelium laudabilia opera, sed ex reliquiis, et lineamentis imaginis Dei, quorum impressio nulla vetustate delenda inest in ea vi naturae, qua rationalis anima legitimum aliquid et sentit, et facit, sine qua hominis anima rationalis utique non esset; quam deinceps impressionem ostendit, per gratiam novi testamenti renovari ad fructum pietatis in credentibus. Itaque Augnstinus facta quaedam infidelium agnoscit, quae merito, recteque laudentur; et cum talia vix inveniri subjungit, quae spectato fine debitam justitiae laudem mereantur, ostendit, se de factis loqui, non tantum ex objecto laudabilibus, quippe talia apud infideles permulta inveniri probe noverat, sed de ipsismet factis, prout ab infidelibus actu exercentur. Quae facta cum S. Doctor ex *lineamentis* repetit, ac *reliquiis imaginis Dei*, satis ostendit, ea non ex terrenorum affectuum labe prodire; nisi usque adeo desipuisse velimus Augustinum, nt pravitatis labem lineamentis illis asperserit, quae ait per eam labem penitus nunquam deleri potuisse. Igitur Augustinus palam agnoscit in homine medios affectus, qui neque ex caritate

dominante prodeant, utpote quae longe abest ab infidelibus, neque a carnali cupiditate, quae in terrenorum affectuum labe longe lateque dominatur. Hac proinde tam perspicua, tam rata, et firma auctoritate Augustini radicitus evellitur non insana minus, quam perversa eorum opinandi libido, qui omnia sic referunt ad dominantem caritatem, et cupiditatem, ut velint ex vitiata cupiditate prodire volitiones omnes, et actiones, quae non sint ex caritate dominante; ex quo consequens fit, ut, quandoquidem a caritate dominante justificatio non disjungitur, vitiatae cupiditatis labe contaminata dicenda sint opera omnia, quae ante justificationem fiunt, contra Tridentini expressam definitionem Sess. 6. Can. 7. Insana, inquam, et perversa opinandi ratio, quae dum hominem exuit ex homine, in id plane spectare videtur, ut sub fucata specie pietatis, lineamenta illa imaginis Dei aboleat in homine, quae testatur Augustinus, nulla unquam vetustate deleri, nulla terrenorum affectuum labe deleri penitus voluisse.

V.

DE DIVISIONE GRATIAE.

52. Divisio gratiae multiplex. Nam praeter gratias gratis datas, de quibus hoc loco non agimus, praeter gratiam ipsam justificantem, quae instar habitus animae inhaeret, alia insuper gratia est, quae quia datur ad singulos actus, actualis dicitur.

53. Haec gratia in illuminatione, et inspiratione Spiritus Sancti posita est, ut ajunt patres Arausicani, cujus munere, prout et patres africani docent, illuminatur, et juvamine gubernatur liberum arbitrium.

54. Sine hujusmodi gratia non sumus sufficientes cogitare, aut velle aliquid ad salutem pertinens. Et, ut ajunt patres africani c. 12. « Per hoc, quoniam habet homo liberum arbitrium, audit praecepta, quae faciat, sed ad implenda praecepta liberum arbitrium idoneum nullatenus efficitur, nisi divinitus adjuvetur. » Et c. 8. « Sic est ipsum liberum hominis arbitrium absque dono gratiae, sicut est oculus sine lumine ».

55. Gratiae tamen praevenienti per liberum arbitrium homo cooperatur libere assentiendo. Nimirum, ut iidem docent. c. 10. „ Hic est ordo divinae misericordiae, et „ voluntatis humanae, ut illa praeveniat, haec sequatur. Sola „ Dei misericordia initium salutis conferat, cui deinde vo„ luntas hominis cooperatrix existat „. Augustinus etiam (de Spir. et Litt. c. 34.) disserens de suasionibus, quibus intrinsecus Deus agit in mentem: *Ubi*, inquit, *nemo habet in potestate quid eit veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire, propriae voluntatis est . . . . Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est.*

56. Interiori proinde gratiae in statu etiam naturae lapsae, et semper resisti potest, et saepe nimium resistitur. Humanam sane volutatem gratiae quandoque se repugnantem praebere, agnoscunt patres africani c. 2. his verbis: „ Nam „ sermone repugnat gratiae Dei, qui sensum gerit christia„ nae fidei contrarium: repugnat autem opere, qui in mo„ ribus suis christianae vitae non tenet institutum „. Augustinus etiam (de diversis quaestionib. ad Simplic. l. 1. q. 2. n. 10.): „ Noluit ergo Esau, et non cucurrit; sed etsi „ voluisset, et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei „ etiam velle, et currere vocando praestaret, nisi vocatione „ contempta, reprobus fieret „.

57. Quia tamen peccatores etiam impia voluntate doctrinam ejus persequentes, omnipotentissima facilitate convertit, et ex nolentibus volentes efficit, et sane aliqua gratia, quae tametsi respui potest, tamen a nullo duro corde respuitur. Augustinus Epist. ad Vitalem c. 6., et laud. loco ad Simplic. n. 14. iterum de Esau: „ Quis enim dicat modum, „ quo ei persuaderetur, ut crederet, etiam omnipotenti de„ fuisse?

58. Hinc divisio gratiae in sufficientem, prout appellari consuevit, et efficacem: in adjutorium sine quo non possumus, quo possumus, nec tamen volumus; et adjutorium, quo fit, ut velimus.

VI.

DE GRATIA SUFFICIENTE.

59. Ad gratiae sufficientis auxilium referri solet, quod tradidit Augustinus (de peccat. mer. et remis. l. 2. c. 17.) „ Cum voluntatem humanam gratia adjuvante Divina si„ne peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, „ possem facillime, et verissime respondere, quia homines „ nolunt „. Agnoscit igitur Augustinus gratiam adjuvantem, vi cujus possit homo esse sine peccato, nec tamen sit, quia non vult. Ea autem gratia, quae praestat homini, ut possit, non ut velit, ea est, quam aptissimo vocabulo sufficientem Scholastici dixere.

60. Idem sensus eruitur ex verbis, quae sequuntur apud S. Doctorem: „ Ut innotescat quod latebat, et suave fiat „ quod non delectabat, gratiae Dei est, quae hominum adju„ vat voluntates: qua ut non adjuventur, in ipsis itidem „ causa est, non in Deo „. Tum allato Hieremiae testimonio: *Scio Domine, quia non est in homine via ejus, nec viri est, ut ambulet, et dirigat gressus suos.* Et continuo: *Corripe me Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo*, subjicit Augustinus „ Tamquam diceret: Scio „ ad correptionem meam pertinere, quod minus abs te „ adjuvor, ut perfecte dirigantur gressus mei. Verumta„ men hoc ipsum noli sic mecum agere, tamquam in ju„ dicio, quo doces tuos non superbire. Unde alibi dicitur: „ Et *judicia tua adjuvabunt me.* „ Quo loco duplex veluti gradus ostenditur, seu genus gratiae adjuvantis, unum gratiae potentioris, qua homo sic adjuvatur, ut proficiat: alterum gratiae minus potentis, qua etiam adjuvatur, ut proficere possit, simulque monetur orare, quod illud impetret potentius auxilium ad proficiendum.

61. Gratiae sufficientis auxilium pro statu naturae integrae diserte agnoscit. S. Augustinus, adeo ut nisi homo adjutus ea gratia fuisset, perseverare non potuisset, et sine sua culpa cecidisset. Ita enim *de Correpl. et Gr.* c. 11. *n.* 31. „ Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam „ vellet esse malus, sed sane habuit, in qua si permanere „ vellet, nunquam malus esset, et sine qua etiam cum li-

„ bero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per
„ liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus
„ esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero
„ arbitrio „. Et n. 32. „ Tunc ergo dederat homini Deus
„ bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fece-
„ rat rectum: dederat adjutorium, sine quo in ea non pos-
„ set permanere, si vellet: ut autem vellet, in ejus libero
„ reliquit arbitrio. Posset ergo permanere, si vellet: quia
„ non deerat adjutorium, per quod posset, et sine quo non
„ posset perseveranter bonum tenere, quod vellet. Sed quia
„ noluit permanere, profecto ejus culpa est . . . . . Si
„ autem hoc adjutorium vel angelo, vel homini, cum pri-
„ mum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura fa-
„ cta est, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet,
„ non utique sua culpa cecidissent: adiutorium quippe de-
„ fuisset, sine quo manere non possent „.

62. Porro tale quoddam auxilium in statu quoque natu-
rae lapsae Augustinum agnovisse intelligitur ex verbis quae
continuo subjicit: « Nunc autem quibus deest tale adjuto-
« rium, jam poena peccati ». Cum vero datur, profitetur
S. Doctor misericorditer dari, et amplius etiam dari, quo
fit, ut omnino velimus. Unde patet, ex mente Augustini,
adjutorium amplius quoddam pro infirmitate, praesertim
naturae superadditum quidem fuisse, non sic tamen, ut au-
xilium desierit, sine quo non potest agi, quo potest agi,
nec tamen agitur, cui proinde humana culpa resistitur. Quod
et Norisius expresse testatur (Vind. Aug. col. 895.) dum ait:
« Palam fit, quosdam vocanti Deo resistere, quae etiam ex
« cap. 11. de corrept. et Gr. deducuntur, cum adjutorium
« ministratum angelis ante lapsum, dari etiam in statu na-
« turae lapsae quibusdam, aliis in poenam peccati non dari
« scribit. » Quod satis est, ut liquido constet ex Augustino,
perseverare adhuc in statu naturae lapsae genus illud auxi-
lii, quod angelo datum est, quo permanere poterat, si vel-
let, nec tamen voluit; quodque adeo gratiae mere sufficien-
tis expressam notionem, et indolem prae se ferebat. Quin
etiam addit cl. Norisius Col. 1011. « Coeterum omnibus
« hominibus adesse auxilium saltem remotum, mihi videtur
« colligere ex Aug. l. *de nat. et. gr.*. c. 67. etc. « Sed hac
de re latius infra.

SCHOL.

Duo porro hic notanda. 1. Nobis nec in animo, nec opus esse hoc loco inquirere, utrum Augustinus in statu naturae integrae tale adjutorium *sine quo* agnoverit, quod sola vi liberi arbitrii, nullo addito, efficax fieret: idque unum a nobis affirmari, Augustinum in illo statu gratiam ejusmodi agnovisse, quae veram agendi potestatem tribueret, nec tamen actionem adduceret: 2. Multo minus contendere nos, talem in statu naturae lapsae gratiam Augustinum admisisse, quae a sola vi liberi arbitrii, nullo superaddito auxilio, suam capiat efficaciam. Hoc unum volumus, Augustinum pro statu naturae lapsae non solum gratiam commendasse, qua *trahuntur miris modis homines, ut volentes ex nolentibus fiant* (Cont. duas Epist. Plag. l. 1. c. 19.), et qua *Deus facit ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati* (de Gr. et lib· arab. c. 16.) Sed et gratiam agnovisse, qua homines adjuti agere possunt, nec tamen agunt, cui proinde resistunt.

63. Sane si absque tali auxilio non poterat homo integer per liberum arbitrium manere in bono, nec adeo culpa sua cecidisset, si tale auxilium ei defuisset, quae verba sunt Augustini, multo minus posset homini lapso, cum primum cadit, deputari ad culpam, quod cadat, si tali adjutorio destitueretur: « Credimus, inquit patres concilii Arau-« sicani 11. can. 25., quod accepta per baptisimum gratia, « omnes baptizati, Christo auxiliante, et cooperante, quae « ad salutem pertinent, possint, et debeant (si fideliter la-« borare velint) adimplere »: Ergo necessarium Christi au-« xilium, ut adimplere possint, quod debent.

64. Auxilium porro istud *sine quo*, quale nunc etiam datur in praesenti statu, satis constat ab Augustino, habitum fuisse instar actualis gratiae, quam in primo statu homini, tametsi praedito integritate ac justitia originali, adhuc ita necessaria erat, ut si haec defuisset, homo culpa sua non cecidisset. Jam vero ex constanti Augustini sententia homo justus in praesenti statu nunquam a Deo deseritur, nisi prius ipse Deum deserat: deserit autem, cum culpa sua cadit. Quod si ergo ut culpa sua cadere dicatur, necesse est, ut ei non defuerit auxilium illud *sine quo*, quod auxilium se habet per modum gratiae actualis, profecto intelligitur, istiusmodi gra-

tiae actualis auxilium, ut homini integro in primo statu, sic et homini justo in praesenti statu, necessarium esse, ut cadens homo cadere culpa sua, sicque Deum deserere dicatur (1).

SCHOL I.

Equidem gratia habitualis, utpote quae instar formae inhaeret animae, affert secum ipsa ᴧim quamdam operativam sibi respondentem. Verum haec est adhuc potentia remotior, quae non excludit actualis auxilii necessitatem, ut valeat in actum erumpere. Ita profecto S. Thomas 1. 2. q. 109. a 9, ubi proposita questione: *Utrum ille, qui jam consecutus est gratiam, per seipsum possit operari bonum, et vitare peccatum absque auxilio gratiae*; statimque productis more suo momentis, quae videntur affirmanti sententiae favere, suam mox negantem sententiam opponit, quam luculenttssima Augustini

(1) Quam bonus auctor Arnaldus habendus sit in exponendis sanctissimi doctoris Augustini sententiis, ex hoc etiam loco intelligi potest, (Analyt. Sinop. Doctrinae lib. S. Aug. de Corrept. et Grat.) contendens homini lapso negatum, quod innocenti concessum fuit adjutorium *sine quo*, concludit ad extremum: = Ibi « maxime notandum est, ad solvendam difficultatem de casu Adami, « S. Aug. gratiam sufficientem in subsidium advocare: cur ergo « eadem solutione non utitur in solvenda difficultate de non per« severantibus nunc fidelibus? nisi quia recte judicavit, nullum jam « amplius esse gratiae illi sufficienti locum, quia sani hominis adju« torium est, non medicinale, quo jam homo multis profundisque « vulneribus confossus indiget, Christi Salvatoris auxilium =. Atqui quod praefracte Arnaldus negat, luculentis contra verbis Augustinus affirmat, adjutorium istud sine quo, *nunc etiam dari*; cumque subjungit *et amplius dari*, praeclare significat adjutorium illud, quo quod homini sano datum est, quo stare posset, si vellet, quo si caruisset, non culpa sua cecidisset, nun etiam vulnerato homini non denegari, quo possit permanere in bono, si velit: simul vero ad infirmitatis subsidium amplius etiam et efficacius dari, quo ei praestatur non tantum posse, sed et velle.

Ac revera quid obstat, quominus adjutorium, quod in homine sano vim dumtaxat habet subsidii, quo vires ejus juventur, ne deficiant, homini infirmo tribuatur, et ad virium subsidium, et simul ad infirmitatis levamentum? Gratia illa, qua dicitur sufficiens, dum pias cogitationes, affectionesve in animo excitat, an non instar salutaris remedii habenda est, quo disponuntur homines, ac praeparantur ad uberiora, et efficaciora suscipienda auxilia, quibus quod coepit Deus opus bonum, ipse perficiat?

auctoritate illustrat simul, et confirmat: » Sed contra est, « inquit, quod Augustinus dicit in lib. de natura, et gratia « 26., quod *sicut oculus corporis plenissime sanus, nisi candore « lucis adjutus, non potest cernere, sic et homo perfectissime « etiam justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuve- « tur, recte non potest vivere.* Sed justificatio fit per gratiam, « secundum illud Rom. 2. *Justificati gratis per gratiam ipsius:* « Ergo etiam homo jam habens gratiam, indiget alio au- « xilio gratiae ad hoc quod recte vivat ». Quod auxilium ad ipsam quoque potentiam perficiendam pertinere, apparet cum ex allata comparatione ex Augustino deprompta, cum ex intrinseca ratione, quam affert in corp. art., nempe quod *nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis Divinae.* Sane quemadmodum recte dicitur oculus tametsi sanus non posse cernere sine lumine, nec proinde homini, tametsi oculum sanum habenti, ad culpam imputari queat, si carens omni lumine non cernat, sic profecto de homine justificato, tametsi vim operativam illam, seu potentiam habeat, quae oculi potentiae respondet, absolute dici non poterit, posse illum in actum prodire, nisi ad eam potentiam lux affulgeat quaedam actualis, gratiae, qua, si velit, possit cernere, seu in actum prodire.

Hanc certe D. Thomae mentem fuisse confirmat eximii ejusdem interpretis Seraphini de Porrecta gravissima auctoritas, cujus ad eum articulum docta appendix adiecta legitur in summae D. Thomae parthenopaea editione praestantissimi ordinis praedicatorum magistri, ac postea eminentissimi Cardinalis de Boxadors nomine inscripta: « Ex art., inquit Seraphi- « nus, habes 1. Quomodo per rationem interimas haeresim, « quorumdam dicentium: quod homo in gratia existens potest « vitare peccatum, et operari bonum absque alio auxilio « Divino »: quod ille accommodatissimis auctoritatibus confirmat, ac praesertim Concilii Arausicani. c. 10. *Adjutorium Dei etiam renatis, ac Sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, et in bono opere possint perdurare.* Tum subjungit: « Ex hoc Concilii dicto, cum non- « nisi vitando peccata in bono accepto quis perduret, patet « theologis acutis, quod etiam renatus, ac Sanctus non po- « test absque adjutorio Dei novo, utpote noviter implorato, « vitare peccata, et consequenter multo magis non potest « absque illo bonum operari ».

SCHOL II.

Notum est, quam sedulo proscripta fuerit a Theologica Parisiensi *Facultate* Arnaldi propositio illa, qua in S. Petro exemplum statuebat hominis justi, cui gratia defuerat, quin porro dici posset, eum (negando Christum) non peccasse. Nec tamen defuere, qui ad ejus erroris defensionem sic accederent, ut cum faterentur, nullum esse peccatum, ubi nulla sit potentia non peccandi, simul contenderent homini, cui desit gratia, non propterea potentiam deesse, qua merito dicatur potuisse vitare peccatum. Atque id ex eo repetunt, quod natura insit homini vis eligendi, qua fit, ut homo sive sub gratia, sive sub concupiscentia constitutus, flecti possit ad bonum, atque malum; idque satis esse ad peccandi necessitatem removendam, quod quocumque casu homo peccat, certe non peccasset, nisi peccare voluisset; nil quippe tam intelligitur in hominis esse potestate, quam id quod fit, si vult fieri, non fit, si fieri non vult. Atque is quidem, ut notat Augustinus, capitalis fuit error Pelagii, qui ut Patres Palaestinos in Diospolitana synodo eluderet, visus est gratiae necessitatem agnoscere, cum diceret, *Hominem in peccatis conversum proprio labore, et Dei gratia posse esse sine peccato.* Quo audito, *hanc gratiam, quam in catholica Ecclesia notissimam noverant, episcopi crediderunt Pelagium confiteri.* Verum homini vaferrimo longe alia inerat mens, et sententia, qui nimirum gratiae Dei nomine, liberi arbitrii acceptum a Deo munus intelligi volebat. Fraudem probe detexit Augustinus perlecto praesertim libello, quem ad ipsum detulerant nonnulli, qui ferant discipuli Pelagii, quo in libro ille apertissime expresserat, *Hanc se dicere Dei gratiam, quod possibilitatem non peccandi natura nostra, cum conderetur, accepit, quoniam condita est cum libero arbitrio.* Quam mentem suam clarius adhuc suis discipulis exponere curaverat, ne quid a se dictum in synodo Palestinae cum sui dogmatis praejudicio putarent. Verba haec sunt Pelagii, quae refert Augustinus: *Dixi quidem, proprio labore, et Dei gratia posse hominem esse sine peccato, sed quam dicam gratiam, optime nostis, et legendo recolere potestis, quod ea sit, in qua creati sumus a Deo cum libero arbitrio.* Sic Augustinus et errorem deprehendit, et latebram in qua latebat, ape-

ruit. Error, quemadmodum paucis cum verbis S. Doctor complectitur (de Nat. et Gr. c. 59.), in eo situs erat, quod Pelagius *ad gratiam Dei pertinere diceret possibilitatem, qua fit, ut* (homo) *si noluerit peccare, non peccat.* Fraus in eo, quod possibilitatem istam, propterea quod a Deo accepta est, ad eam Dei gratiam referret, quam Palaestini patres in catholica Ecclesia notissimam noverant. Haec nimirum labes pelagiani fuit erroris, ut illud *proprium posse*, quod catholica fides gratiae refert acceptum, ei possibilitati, seu potentiae tribuatur, quam natura nostra, cum conderetur, una cum libero arbitrio accepit. An non in eam fraudem ultro se conjiciunt, qui Arnaldi propositionem sic defendunt, quod etsi gratia ei defuisse dicatur, adhuc merito dici possit, hoc nomine peccasse, quod semper homini quacumque in tentatione constituto, natura vis ea insit eligendi, qua fit, ut si nolit peccare, non peccat?

65. Itaque certo, ac firmiter tenendum, (Trid. Sess. 6. c. 11.), Deum impossibilia non jubere, sed cum jubet, monere nos, ut faciamus, quod possumus, et petamus quod non possumus, et adjuvare, ut possimus.

66. Gratia, quae dicitur sufficiens, semper quidem effectum habet aliquem excitandi, movendi, juvandi, ut homo possit agere, quem effectum habet ex voluntate Dei consequente, non autem habet totum effectum, ad quem ordinatur ex voluntate Dei antecedente.

VII.

DE GRATIA EFFICACI.

67. Illa porro gratia, quae consequente voluntate datur, ut duritia cordis auferatur, nec proinde ab ullo duro corde respuitur, gratia est efficax, sic dicta, quod effectum suum certo semper, ac plene sortiatur.

SCHOL.

Absit, vero ut putemus, efficacitatem gratiae vim ullam, aut necessitatem inferre voluntati. Sic enim Deus efficaci sua inspiratione cor hominis inclinat, ac movet ad certo assentiendum, ut nihilominus, quemadmodum tridentina synodus

docet Sess. 6. c. 5., libere homo assentiatur, dumque libere inspirationem recipit, abjicere illam possit, si velit: « Unde « in sacris litteris, cum dicitur, convertimini ad me, et ego « convertar ad vos, libertatis nostrae admonemur; cum re« spondemus: converte nos Domine ad Te, et convertemur, « Dei nos gratia praeveniri confitemur ». Quare fide catho« lica tenendum est, sub efficacitate gratiae libertatem consistere non solum a coactione, sed et a necessitate.

68. Victricem hanc gratiam simul cum cooperatione liberi arbitrii commendant patres africani c. 12. « Ut ergo « cum timore, et tremore suam quisque operetur salutem, « opus est volentis hominis, sed hoc ipsum Dominus ope« ratur in suis . . . . ita fit, ut se operari debere homo « cognoscat, dum praeceptum accipit, et Deo sciat se sem« per omne bonum debere, quod vult, ac facit, quem, te« ste Apostolo, cognoscit operari in homine velle, et per« ficere pro bona voluntate. Cum ergo Deus operari coeperit « velle, tunc homo ad Deum covertitur, et eodem in se « operante, unde ipsi placet, operatur ».

69. Hanc gratiam et orationes Ecclesiae, et gratiarum actiones amplissime testantur, ut saepe monet Augustinus. Urget idem argumentum et Coelestinus I. Epist. 21. ad episcopos Galliarum n. 11. ap. Const; nimirum, *ut legem credendi, lex statuat supplicandi.*

70. Quin et communis Fidelium sensus eidem suffragatur: nam si quandoque accedit, ut scelestus quisquam capitali supplicio mox afficiendus, vel in ipso exitu vitae monita salutis, reconciliationem cum Deo, parata morituris aeternae vitae comparandae subsidia praefracte respuat, ac aspernetur, pia fidelium multitudo in templa statim convolat, supplicibus votis Deum exoratura, ut perditum hominem retrahere ad se velit, eique salutaris poenitentiae gratiam largiri. Minime dubitant, quin Deus omnipotentissima virtute duritiam illam emollire, ac frangere, cor lapideum auferre, affectus omnes commutare, atque uno verbo Sanctum ex impio efficere puncto temporis valeat. Quo sane vim efficacissimam Divinae gratiae plane agnoscunt, ac profitentur. Simul et certum habent, posse illum pro liberi arbitrii facultate vocanti Deo resistere. Proinde, si contingat eum obdurato animo in sua nequitia persistere, non Deum deficientem, absit, sed obstinatam nefarii hominis voluntatem accu-

sant, quem juste damnandum, ut qui culpa ipse sua perire voluerit, praedicant. Hoc populare dogma est, cujus vim urget graviter Augustinus contra Julianum l. 2. oper. Imperf. n. 2., nimirum, *quia populus ejus sumus, qui propterea est appellatus Jesus, quia venit quaerere, et salvum facere quod perierat.*

71. Quod si quaeritur, unde gratia efficax vim illam habeat voluntatis certo flectendae sine ullo libertatis detrimento, non immerito cum Augustino repeti ea poterit ex vocatione alta illa, et secreta, qua sic Deus agit in sensum, sive in mentem, et voluntatem hominis, ut homo ei accommodet assensum. (Epist. 217. *ad Vitalem* c. 2.)

72. Atque hujusce quidem actionis vis efficacissima non aliunde rectius, aut certius repeti potest, quam ex Dei conditoris universali, ac supremo dominio in res quasque conditas. Certe, cum, ut pervulgatissimum est, actio Dei conservatrix aliud non sit, quam creatricis actionis continuatio, (S. Th. 1. p. q. 104. a. 1. ad 4.), consequens est, ut actio haec creantis, seu conservantis Dei, non attingat modo, verum etiam pervadat cujusque rei intimum *esse*, intimam substantiam, proprietates omnes et facultates, continuataque actione ista creante omnia contineat, sustentet, permoveat, modoque rei cuique apto, et conveniente suos in fines dirigat. Scilicet *in ipso vivimus, movemur, et sumus*, ut nulla sit actio rei creatae, cui non intus praesens adsit, intimiusque veluti subsit ipsa vis Dei, a quo ut substantia, sic operatio accipit, habetque ut sit. Unde et S. Th. 1. 2. q. 6. art. 1. « Deus, inquit, movet hominem ad agendum, non « solum sicut proponens sensui appetibile, vel sicut immu« tans corpus, sed etiam sicut movens ipsam voluntatem ». Et 1. p. q. 105. a. 1. « Ex eo quod ipse Deus est proprie « causa ipsius esse universalis in rebus omnibus, quod in« ter omnia est magis intimum rebus, sequitur, quod Deus « in omnibus intime operetur. Et propter hoc in sacra scriptura « operationes naturae Deo attribuuntur quasi operanti in na« tura, secundum illud Job: *Pelle, et carnibus vestisti me,* « *ossibus, et nervis compegisti me* ». Qua de re multa multis locis disputat S. Doctor, nec solide minus, quam acute, ac subtiliter more suo. Vide praesertim l. 3. cont. Gent. c. 88., quorum haec veluti summa est, Dei hoc maximo pro-

prium esse, voluntatem ut moveat, non ut alliciens tantum, sed et inclinans 1. p. q. 105. a. 4.

SCHOL I.

Cum Deus rem unamquamque moveat modo naturae suae apto, et consentaneo, ea porro sit natura hominis, ut delectatione trahatur, haud arduum erit intelligere, quemadmodum in vocatione illa alta, et secreta, qua sic Deus agit in sensum, ut homo ei accommodet assensum, ex illa ipsa intima motione, qua Deus voluntatem praemovet, prodeat etiam delectatio, quae suavitate animum perfundat, et pro adjuncta motione vires eas efficacissimas praebeat voluntati, e quibus efficacitatem gratiae repetit Augustinus l. 1. cont. duas Epist. Pelag. c. 19. Sic ut in una eademque Dei actione vis utraque conjuncta esse intelligatur, alliciendi nimirum simul, ac permovendi. Quod et confirmari posse videtur his, quae tradit eximius plane Theologus Franciscus Suaresius in 3. P. 2. Th. 42. disp. 30. sect. 1. ubi de doctrinae Christi excellentia disserens: « Quarta, inquit, excellentia, est quia « docendo non solum illustrat intellectum, sed etiam cor pe« netrat, ut Paulus, ait ad Hebr. 4.; propter quod merito « dicebant discipuli Joan. 6: *Quo ibimus? Verba vitae aeternae « habes.* Et ideo quando volebat, unico verbo ita excitabat « hominem, ut suae voluntati, et vocationi statim obediret, « quod Divinae virtuti, et efficaciae Verbi tribuendum est ». Quae sententia significationem praesefert virtutis, et efficaciae non allicientis tantum, sed et praemoventis Dei.

SCHOL II.

Hac posita supernae delectationis conjunctione cum divinae motionis efficientia, quam et Augustinum agnovisse multis argumentis ostendi potest, nil jam erit, cur de graduum contentione inter utramque delectationem admodum solliciti esse debeamus. Alia quippe ratio comparationis est inter contrarias delectationes, cum spectantur tantummodo ex sese, prout ab objectis rebus moventur, ac velut extrinsecus influunt in animum, nempe cum ex. gr. hinc allicitur animus objecta specie iniqui lucri, istinc ab

objecta honesti specie retrahitur. Alia comparationis ratio inter delectationem, quae oblata fallacis boni specie animum permulcet, et delectationem, quae inclinandi animi vim trahit, non tantummodo ex blandienti quadam specie honesti boni, sed potissimum ex viribus illis efficacissimis, quas Deus praebet voluntati. Alia, uno verbo, delectationis ratio, quae ex objecta specie boni movetur, nec majorem vim habet, quam quae ex ipsa specie vi sua ducitur, alia ratio delectationi, quae ab eo infunditur, et inspiratur, qui habet humanorum cordium quo placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem; qui, ut viros bellatores adduceret in Hebron ad constituendum David regem, *intus egit, intus corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit*, (de correpl. et Gr. c. 14.) Efficacitatem proinde, qua illi adducti sunt, repetit Augustinus non ex majori tantum delectationis gradu, sed ex adiuncta motione, qua *intus egit, intus corda movit*, cujus vim non solitariae delectationis blanditiis, sed omnipotentissimae Dei potestati acceptam refert. Qualiscunque proinde gradum contentio instituatur inter utramque delectationem, si coelesti delectationi adjuncta intelligitur vis illa, qua movet Deus, intus agens in voluntatem profecto nulla erit tam potens adversa delectatio, quam nullo gradus discrimine superatura non sit Coelestis delectatio, vi ejus motionis, quae vires illas afficacissimas praebet voluntati, quibus facit Deus, ut homo liberrime simul, et certissime velit.

73. Hinc et intelligitur, quo sensu opera bona divinitus tribui doceant patres africani ex illo Apostoli: *Ipsius enim factura sumus; creati in Christo Jesu in operibur bonis.* Et sane qui potens est ex lapidibus suscitare filios Abrahae, qui potens est confirmare in bono, et conservare sine peccato, potens est efficere, ut homo certissime velit, et liberrime velit. Nam, ut sapienter docet S. Th. 1. p. q. 19. art. 8. « Cum « voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod « fiant ea, quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, « quo Deus, ea fieri vult ». Quo intelligitur, efficacitatem gratiae, prout ex efficacissima Dei motione repetitur, non solum non excludere, sed et plane includere liberam cooperationem arbitrii, ut verum sit quod ait Augustinus *de diversis quaest. ad Simpl.* l. 1. q. 2. n. 1. « Ut velimus, et « suum esse voluit, et nostrum: suum vocando, nostrum

« sequendo ». Qua de re ne dubitatio aliqua supersit, extat synodi tridentinae expressa definitio Sess. 6. Can. 4. « Si « quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, « et excitatum, nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, « atque vocanti . . . . anathema sit ».

74. Quod si ad arcanum illud scrutandum vocamur, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, isti non ita; jam ad afine praedestinationis mysterium devolvimur, nec alia in promptu sunt, quam Augustini duo ex Apostolo deprompta responsa: *O altitudo divitiarum etc.:* et: *Numquid iniquitas apud Deum?* Quo proinde loco sic nos versari oportere intelligimus, aut intelligentia consequi, aut sermone arcana explicare, quae nemo cognovit, nisi spiritus ille, qui scrutatur profunda Dei, sed ut quaedam moneamus, quae usui valeant esse ad vitandos scopulos, in quos illidunt, qui dum scrutatores volunt esse majestatis, opprimuntur a gloria.

VIII.

DE PRAEDESTINATIONE, ET PRAESCIENTIA.

75. Quis te discernit? (1. Cor. 4.). Originali culpa nasci homines peccato, et damnationi obnoxios prorsus certum est. Ex quo illud sequitur, Deum non fore injustum, si homines in ea perditionis massa reliquisset.

76. Verum Deus dives in misericordia, proposito Christo propitiatore pro peccato totius mundi, quosdam gratuita misericordia speciatim elegit, quos ex ea damnationis massa, velut ex mortis faucibus ereptos ad vitam aeternam perduceret.

77. Haec est praedestinatio Sanctorum, praescientia nimirum, et praeparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Itaque praedestinatio gratiae liberantis, gratia liberans praedestinationis effectus.

78. Hinc licet unus praedestinationis effectus ex alio quandoque pendeat, praedestinatio tamen secundum se tota non est ex praevisis meritis, cum merita sint effectus gratiae, gratia praedestinationis effectus. Etenim non ex operibus justitiae quae *fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos non fecit.* Ad Tit. 3. v. 5.

79. Praescientia itaque Dei quoad praedestinatos fundatur

in praeparatione beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque sunt praedestinati ad gloriam.

80. Quibus autem occulto, sed justo judicio Deus ejusmodi beneficia non praeparavit, ii dicuntur, et fiunt reprobi, sive propter peccatum originale, ut parvuli non regenerati, sive propter peccata propria cujusque voluntate admissa.

81. Per illam non praeparationem beneficiorum praescit Deus peccata futura, extremamque reproborum in excessu e vita funestam obstinationem in malo.

82. Hinc discrimen hoc praedestinationem inter, et praescientiam constituit Augustinus (de Praed. SS. c. 10.): « quod praedestinatione Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus, unde dictum est: *fecit quae futura sunt*; praescire potens est etiam quae ipsa non faci sicut, quaecumque peccata ».

83. Licet autem occulto, sed justo judicio Deus ea peccata permittere decreverit, haec tamen permissio nullo pacto causa est peccatorum, quae tota est in libertate, et pravitate peccantium reponenda.

84. Deus proinde neminem positiva reprobatione suppliciis addicit, ac damnationi aeternae, nisi ex praeviso peccato.

85. Reprobatio itaque positiva ex praevisa culpa, quam justa damnatio consequitur, secus atque reprobatio ea mere negativa, qua Deus tantum constituit non ea praeparare beneficia, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.

86. « Praedestinatio, et electio, et reprobatio, inquit S. Th. l. 4. cont. Gent. c. 163., est quaedam pars divinae providentiae, secundum quod homines ex divina providentia ordinantur in ultimum finem. Unde per eadem manifestum esse potest, quod praedestinatio, et electio necessitatem non inducunt, quibus et supra ostensum est, quod divina providentia contingentiam a rebus non aufert ».

87. « Quod autem praedestinatio, et electio, pergit S. doctor, causam non habeant ex aliquibus humanis meritis, potest fieri manifestum non solum ex hoc, quod gratia Dei, quae est praedestinationis effectus, meritis non praevenitur, sed omnia merita praecedit humana, sed etiam

« manifestari ex hoc, quod divina voluntas, et providentia
« est prima causa eorum quae fiunt. Nil autem potest esse
« causa voluntatis, et providentiae divinae, licet effectum
« providentiae et similiter praedestinationis unus possit esse
« alterius causa ».

88. Quamvis autem discretionis hujus nulla sit causa orta ex conditione creaturae, non sequitur, nullam hujus rationem esse ex ordine divinae sapientiae, cui semper concors ordo est voluntatis divinae. Nam, ut docet S. Th. l. 1. cont. Gent. c. 86. 87. « Licet divinae voluntatis nulla cau-
« sa esse possit, aliqua tamen ejus ratio potest assignari:
« unde excluditur error quorumdam dicentium, omnia pro-
« cedere a Deum secundum simplicem voluntatem, ut de
« nullo oporteat rationem reddere, nisi quia Deus vult. Quod
« etiam divinae scripturae contrariatur, quae Deum perhi-
« bet secundum ordinem suae sapientiae omnia fecisse, se-
« cundum illud Psal.: *Omnia in sapientia fecisti:* et Ecclesia-
« stici 1. dicitur, quod *Deus effudit sapientiam suam super*
« *omnia opera sua* ».

Praeclare quoque Augustinus in eamdem sententiam (de Gen. ad Litt. l. 9. c. 18.): « Habet ergo Deus in Seipso
« absconditas quorumdam factorum causas, quas rebus con-
« ditis non inseruit, easque implet non illo opere providen-
« tiae, quo naturas substituit, ut sint, sed illo, quo eas
« administrat, ut voluerit, quas ut voluit, condidit. Ibi est
« et gratia, per quam salvi fiunt peccatores ».

89. Propterea quod attinet ad electorum discretionem, cum nos penitus lateat Divinae voluntatis ratio in thesauris abscondita providentissimae sapientiae, quae singula ordine congruo dirigit in finem, rursum exclamare cogimur: *O altitudo*, et *Nunquid iniquitas est apud Deum?* Ut proinde dum in hac tractatione versamur, necesse sit in primis illud semper nobis obversari monitum Apostoli (ad Rom. 12.): *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Qua moderatione adhibita, ex divinae praedestinationis consideratione, prout e sacris litteris secundum patrum interpretationem commendatur, ac recolenda proponitur, multa peti possunt ad uberiorem pietatis fructum incitamenta. Quo et illud spectat, quod *ad Rom.* 11. post expositam quorumdam ex populo Judaico gratuitam electionem, reliquis ob incredulitatem in sua caecitate relictis,

lum et gentium gratuitam item assumptionem in istorum locum, subjicit: « Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei: « in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin « et tu excideris ».

1. Vehementer excitamur in spem, dum spei nostrae fundamentum non in infirmitate nostra positum cogitamus, sed maxime in Omnipotentis Dei virtute, ac bonitate, qui sic dilexit nos, ut Filium suum Unigenitum daret, cumque misit, ut salvaretur mundus per ipsum. *Et qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnía nobis donavit?* (ad Rom. 8.) Sane hinc jubet nos Deus sperare: istinc pollicetur futurum nunquam, ut qui sperat in eo, confundatur: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* (c. v. 31.): quam sententiam explanans doctissimus Estius: « Dicitur ergo, inquit, hoc in persona electorum, seu praedestinatorum, de quibus jam locutus fuerat. Qorum in « persona etiam sequentia dicuntur. Quatenus ergo quisque « fidelium confidere potest, ac debet, se esse e numero « electorum; ea ratione sententiam hanc cum iis quae sequuntur, potest ac debet sibimet applicare ». Quis proinde non cum Bernardo fiducia plenus exclamet: *Melioris in manibus tuis sortes meae?*

2. Discimus humiliare nos sub potenti manu Dei, dum incomprehensibilia judicia ejus recolimus: discimus gloriari non in nobis, sed in Deo, saepe nobiscum reputantes fiduciam talem nos habere per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientiam nostram ex Deo esse; (2. Cor. 3.); quae vera est humilitas christianae virtutis fundamentum.

3. Discimus cum timore, ac tremore salutem nostram operari, dum culparum nostrarum memores, et propriae infirmitatis conscii, verendum nobis esse intelligimus, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, pro certo habentes neminem, nisi sua culpa, et perversitate sibi damnationem acquirere.

4. Excitamur ad orationem, vigilantiam, ad studium bonorum operum, quibus certam nobis vocationem, et electionem faciamus. Scimus his velut subsidiis, et effe-

ctibus praedestinationis Deum electos suos ad vitam perducere. Qua in via ambulantes, tametsi de magno illo perseverantiae munere, de quo scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit:* nemini liceat sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceri, nec illud (saltem de condigno) mereri quisquam possit, in ipso tamen Dei auxilio firmissimam spem collocare, ac reponere omnes deben, ut nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle, et perficere. Trid. Sess. 6. c. 13.

IX.

DE VOLUNTATE DEI ERGA OMNIUM SALUTEM, TUM DE VOCATIONE AD FIDEM ET GRATIAM.

91. Fide tenendum, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, et Sanguinem fudisse: Deum velle omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.

92. Aliunde certum est, quaecumque Deus efficaciter et absolute vult, ea prorsus fieri, quippe *voluntati ejus quis resistit?* Simul et certum est, non omnes homines salvos fieri.

93. Duplex itaque in Deo distinguenda voluntas; una, qua Deus absolute, et simpliciter decernit effectionem rei cujuspiam, eaque dicitur absoluta, et consequens, utpote quam certo ac semper effectus consequitur: quippe fieri non potest (in sensu composito), ut non sit aliquando futurum, quod aliquando futurum Omnipotens decreverit. Altera, est, qua objectum quodpiam in se spectatum placere quidem Deo intelligitur, sed cujus existentiam spectatis adjunctis, pro suae Providentiae ordine absolute non decernit, et haec dicitur antecedens, et generalis, quam, utpote quae nullum habet adjunctum absolutum decretum, haud repugnat non impleri. Et sane quae de divina voluntate dicuntur, ea ex analogia quadam rationalis naturae, sublatis defectibus, in divina transferuntur, *propterea quod nomina, quae Deo tribuuntur, e rebus creatis mutuari cogimur.* (Catech. Rom. p. 1. a. 8. n. 3.) Hunc autem duplicem volendi modum intellectuali, rationa-

live naturae congruere novimus. Atque haec quidem ut pressius disputata, sic et plenius illustrata sunt a D. Thoma pluribus locis, quae doctissimus *Verae Christi Ecclesiae* propugnator, ac vindex cardinalis Gotti toto tractatu *de voluntate* Dei sapienter exponit, ex eisdemque merito concludit, voluntatem eam Dei antecedentem, non vanam, et otiosam, ut perperam novatores objecere, verum beneficae, sinceraeque voluntatis rationem habere.

SCHOL.

Delicatioris esset fastidii ab usitatis istis vocibus voluntatis *antecedentis*, et *consequentis*, quasi noviter inductis abhorrere, cum et his subjecta vis, ac notio penes vetustos quosque patres, et expressum etiam vocabulum reperiatur apud Johannem Damascenum (de fide Orthod. l. 2. c. 29.) « Hoc itidem nosse oportet, Deum primaria, et antecedente « voluntate velle omnes salvos esse, et regni sui compotes « fieri. Non enim nos ut puniret, condidit, sed quia bonus « est, ad hoc ut bonitatis suae participes essemus. Peccan- « tes porro puniri vult, quia justus est. Itaque prima illa « voluntas antecedens dicitur, et beneplacitum, cujus ipse « causa sit: secunda autem consequens voluntas, et permis- « sio, ex nostra causa ortum habens, eaque duplex: altera « dispensatione quadam fit, et ad salutem erudit; altera a « reprobatione proficiscitur, ad absolutam, ut diximus, poe- « nam pertinens ». Quod manifestum est cadere in reprobationem positivam, quae est ex praevisis culpis, nec porro excludere gratuitam dispensationem in praeparatione beneficiorum quoad Electos.

94. In Deo verum et amorem esse, et gaudium demonstrat S. Th. (l. 1. cont. gent. c. 90. 91.) *Quamvis haec in eo non secundum passionem, sicut in nobis sint.* Tum subjicit: « hoc « esse proprie de ratione amoris, quod amans bonum amati « velit. Deus autem vult bonum suum, et aliorum: et se- « cundum hoc Deus et se, et alia amat. »

95. Sed et istud notandum, quod ibidem docet S. Doctor: « Deus vult bonum uniuscujusque, secundum quod est ejus: « vult enim unumquodque esse, secundum quod in se bo- « num est, licet etiam unum ordinet in bonum alterius. »

96. Deum diligere omnia quae sunt, et nihil odisse eo-

rum quae fecit, sacrae litterae testantur, sap. 11. Unde merito ex superius dictis concludit S. Th. c. 96. « quod odium « alicujus rei Deo convenire non potest « (quippe pravitas peccati non in rei, quam Deus faciat, sed potius in rei, seu boni privatione consistit.) « Siquidem voluntas Dei ad ma« lum inclinari non potest. « Quin etiam vult Deus, ut in rebus quas producit, sit suae bonitatis similitudo, in qua situm est bonum uniuscujusque rei.

97. Odisse autem dicitur Deus per accommodationem, dum vult aliquod majus bonum, quod esse non potest sine privatione minoris boni. Et sic in quantum vult bonum justitiae, vel ordinis universi (quod esse non potest sine punitione, vel correptione aliquorum), dicitur illa odisse, quorum punitionem vult, vel correptionem, secundum illud: *Esau odio habui*, et illud Psal. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*. Ita S. Th.

98. Consentanea sunt, quae tradit Augustinus (de Spir. et litt. c. 33.) « Vult Deus omnes homines salvos fieri, et « in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adi« mat liberum arbitrium, quo bene, vel male ùtentes ju« stissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem con« tra voluntatem Dei faciunt, cum ejus evangelio non cre« dunt. »

99. Divina sunt, plenaque ut pietatis, ita et bonae spei, christianaeque consolationis verba haec apostolorum principis, e cujus ore disposuit Deus audire gentes Verbum Evangelii, et credere: *Patienter agit* (Deus) *propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti* (2. Pet. c. 3.). Sane si, ut modo ajebat Augustinus, contra voluntatem Dei faciunt infideles, cum ejus evangelio non credunt; si contra Dei voluntatem faciunt et peccatores quotquot sunt, cum evangelio non obediunt, certe contra voluntatem Dei omne peccatum est. Aliunde si nemo nisi per peccatum perit, consequens est, ut qui pereundi causam non vult, nec perire quemquam velit.

100. « Sed tamen, pergit Augustinus, contra Dei volun« tatem faciunt, qui evangelio non credunt, non ideo tamen « eam vincunt, verum seipsos fraudant magno, et summo « bono, malisque poenalibus implicant, experturi in suppli« ciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contemp« serunt. Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur au-

« tem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut « ullo modo possent evadere, quod de talibus ille constituit. » Experiuntur potestatem in suppliciis, qui contempserunt misericordiam in donis. Qui potestatis judicio puniuntur propter contemptum donorum, certe donis praeventi fuerant misericordiae vocantis ad salutem. Nec porro salutis voluntas disjuncta intelligi potest a vocatione ad salutem.

101. Itaque providentiae ordo, quo Deus creaturas omnes liberas ad sese, tanquam ultimum finem, per leges suas dirigit, praemia proponens, et supplicia, auxilia largiens, nec patiens tentari quemquam supra id quod potest, satis ostendit, Deum directe velle, ut rationales creaturae finem eum attingant, ad quem illas vocat, ac dirigit. Qui Providentiae ordo, utpote rationalibus creaturis accommodatus, non eis adimit liberum arbitrium, quo bene, vel male utentes justissime judicentur. Ex quo proinde providentiae ordine prodit ea voluntas consequens, qua suppliciis addicuntur per potestatem, qui antecedentem voluntatem contempsere in misericordiae donis per pravitatem.

SCHOL.

Quod et pergit Augustinus illustrare aptissima similitudine: « Qui enim dicit, v. g., volo, ut hi omnes servi mei « operentur in vinea, et post laborem requiescentes epulen- « tur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino sem- « per molat; videtur quidem quicumque contempserit, con- « tra voluntatem Domini sui facere, sed tunc eam vincet, « si et pistrinum contemnens effugerit: quod nullo modo fieri « potest sub Dei potestate ». Aptissimum exemplum: etenim in his, quae ratione administrantur, aliqua elucet imago, et similitudo, quamvis admodum imperfecta, divinae providentiae; et inde per analogiam quamdam vocabula, et conceptus in divina transferuntur.

Itaque in eo patrefamilias, quem inducit Augustinus, primum apparet generalis intentio dirigendi servos suos in finem sibi, et ipsis convenientem. Deinde ordinatio, et praeparatio subsidiorum ad eorum conditionem accommodata, dum et instrumenta suppeditat, et propositis praemiis, ac poenis, ad placitum sibi opus allicit, a desidia deterret. Demum firmum ratumque propositum, seu electio, qua constituit laborantes

merito praemio afficere, dum et simul decernit intentatas poenas torpentibus infligere. Prima illa intentio, tum et subsequens electio pertinent quidem ambae ad voluntatem, sed diversa ratione. Nam intentio illa generalis propensam tantummodo voluntatem denotat, veram illam quidem, et sinceram, sed quae *positionem ipsam effectus*, nempe ipsiusmet rei effectionem, seu eventum pro aliquo tempore futurum, absolute non decernit, ac praestituit. Electio vero adjunctum habet propositum, et decretum de re ad effectum suo tempore producenda. Intentio illa, seu propensa voluntas vera esse potest ac sincera, quin sit efficax. Electio vero, ac decretum, siquidem est cum potestate, semper est efficax. Prima itaque ad voluntatem antecedentem, altera ad consequentem referri potest.

102. Hinc illa, quam diximus, adumbrata divinae providentiae imago. Nimirum vult primum Deus bonum rationalis creaturae; sic tamen, ut ei non adimat liberum arbitrium: tum providentiam suam, et auxilia sic attemperat ad conditionem liberae creaturae, ut quibusdam hominibus gratuita misericordia specialia beneficia, quibus ad ultimum finem certissime perveniant, eisque justitiae coronam decernat: alios vero occulto, sed justo judicio permittat labi in peccata, quorum causa est in eorum perversitate, et contemptu donorum, ipsosque pro suis malis meritis damnet ad supplicia.

103. Quamobrem cum Augustinus sic interpretatur textum Apostoli, *Deus vul omnes homines salvos fieri*, ut dicat intelligendum esse, vel quia nemo salvatur, nisi quem Deus vult salvum fieri: vel quia ex omni genere hominum Deus vult aliquos fieri salvos; vel quia jubet non orare, ut omnes salventur; valent ista non ad excludendam generalem, et antecedentem voluntatem quoad salutem omnium, sed ad asserendam specialem voluntatem electionis, et propositi erga electos, qua semper impletur. Scilicet agebat Augustinus contra Pelagianos, qui sentiebant, eadem prorsus voluntate Deum praedestinatorum salutem velle, et reproborum: discretionis porro totam rationem ex horum assensu, vel dissensu, vi solius liberi arbitrii pendere, contra quos merito docet Augustinus, Deum speciali voluntate salutem velle praedestinatorum, qua praeparat ipsis beneficia, quibus certissime liberentur. Quae proinde voluntas non omnes respicit, seu non sin-

gulos generum, sed genera singulorum. Generalem autem, et antecedentem voluntatem erga omnes Augustinum non excludere, cum ex allatis supra locis liquet, tum vel ex hoc ipso; quod plane confirmat, jubere Deum nos pro salute omnium orare. Etenim quidquid vult, ac jubet Deus peti a nobis, ad eam certe orationis dominicae clausulam pertinet: *Fiat voluntas tua.* Si ergo non sinit solum, sed et jubet Deus nos orare pro salute omnium, et si hoc orando petimus fieri voluntatem Dei, consequens est, aliquam in Deo voluntatem erga omnes esse, quam erga omnes, jubente Deo, petimus adimplere. Quae Dei voluntas, si erga solos electos consequens est, et absoluta, antecedentem sane intelligi par est erga reprobos. Quippe si erga istos nulla esset Dei voluntas, profecto dum oramus pro salute omnium, non oraremus fieri Dei voluntatem, cum nulla esset Dei voluntas de salute omnium. Aurea plane Augustini sententia Serm. 105. de verbis Evangelii Lucae 11. *Quis vestrum* etc. num. 1. « Dominus « autem noster Jesus Christus inter nos petitor, cum Patre « dator, non utique nos tantum hortaretur ut peteremus, nisi « dare vellet. Erubescat humana pigritia: plus vult ille da- « re, quam nos accipere: plus vult ille misereri, quam nos « a miseria liberari: et utique si non liberati fuerimus, nos « miseri remanebimus. Nam ille quod nos hortatur, propter « nos hortatur. » Confirmat hoc ipsum fidissimus Augustini doctrinae interpres, ac vindex S. Prosper Aquitanus: (Respons. 2. ad Object. Vincent.) « Qui fieri potest, ut Deus, « qui etiam illos salvat, de quibus dici non potest, quod « salvari velint, nolit aliquos salvare, etiamsi salvari velint; « nisi aliquae causae existant, de quibus, quamvis sint no- « bis incognoscibiles, ille tamen bene juste judicat, de quo « dici non potest, aliter eum quidquam facere debuisse, quam « fecerit? Remota ergo hac discretione, quam divina scien- « tia intra secretum justitiae suae continet, sincerissime cre- « dendum atque profitendum est, Deum velle, ut omnes ho- « mines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia « est, sollicitissime praecipit, quod in omnibus Ecclesiis piis- « sime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus suppli- « cetur: ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est me- « ritum; quod multi salvantur, salvantis est donum. » Quibus liquet praeter voluntatem, qua nititur discretio salvandorum a non salvandis, quae voluntas, utpote specialis, et ab-

soluta non omnes complectitur, Prosperum ex generali supplicatione, quam pro omnibus fieri praecipit Apostolus, generalem in Deo voluntatem erga salutem omnium comprobasse, hoc ipso quod sincerissime credendum sit, Deum salutem eorum omnium velle, pro quibus omnibus vult sibi supplicari. Quod profecto ex Augustini sententia dictum ab illo esse dubitari non potest, qui hoc ipso libro doctrinam Augustini contra Vincentii objecta vindicandam, et illustrandam susceperat.

Praeterea valde notanda ratio videtur, qua S. Augustinus l. 6. cont. Julian. cap. 4. pervicaciam refellit hominis negantis parvulos ullo peccato nasci obstrictos. Urget adversus illum auctoritatem Apostoli ajentis (ad Rom. 5.) « Commendat autem suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum « adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. » Quam auctoritatem sic eludere nitebatur Julianus, ut diceret, eam de peccatoribus intelligendam esse, non vero de parvulis. *Hoc tu dictum exceptis parvulis vis putari.* At praeclare demonstrat Augustinus, parvulos etiam comprehendi hac altera ejusdem Apostoli prolata sententia (2. Cor. c. 5.): *Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus.* Hinc invicte argumentatur Augustinus et parvulos mortuos esse: « Ex hoc enim, « inquit, probavit (Apostolus) omne mortuos esse, quia pro « omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, infercio re« cusanti: accipe, salubre est, nolo moriaris. Unus pro om« nibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia con« sequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro « omnibus mortuus est. » Sic ergo probat Augustinus ex Apostolo, parvulos mortuos esse, quia omnes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est; cumque, teste Apostolo, Christus universe dicatur mortuus pro omnibus, necessario fit consequens, ut et pro parvulis mortuus sit. Quod si vox illa pro *omnibus* non omnes prorsus homines comprehenderet, si aliqua posset exceptione coerceri, hoc ipso tota repente concidisset vis argumenti, quod ex Apostolo depromit Augustinus. Quippe mira facilitate sese Julianus expedire potuisset, contra opponens, si quam exceptionem pateretur vox *omnes* in Apostoli sententia, aequum profecto esse, ut in parvulos potissimum caderet. Cum itaque contendat S. Doctor, ac probet, omnes prorsus homines, nec ipsis exceptis parvulis, peccatores es-

se, eo quod Christus pro omnibus mortuus sit, evidentissimum est, quemadmodum nullum ille omnino hominem ex peccatorum numero eximebat, sic nullum plane ex eorum numero excipere potuisse, pro quibus Christus mortuus est. Nam cum paullo ante apertissime professus esset, Christum non nisi pro peccatoribus mortuum esse, nunquam profecto concludere potuisset, omnes homines, nullo excepto, peccatores esse, nisi certum illi ratumque fuisset, Christum pro omnibus, nullo excepto, mortuum esse.

Jam vero beneficam Dei voluntatem erga homines in eo maxime se prodere, quod Christus pro omnibus mortuus sit, praeclare simul demonstrat Augustinus ex illa etiam Apostoli sententia (ad Rom. 5.): *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Cui sententiae consentanea et illa est c. 8. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis OMNIBUS tradidit illum.* Si ergo benefica Dei voluntas elucet erga eos, pro quibus filium suum tradidit: et si pro *omnibus* tradidit illum; benefica ergo ista Dei voluntas, seu charitas commendatur erga omnes, et quidem ordinate ad salutem, si quidem pro salute omnium Christus traditus est, ac mortuus.

Certe hanc Paulli sententiam fuisse, Christum mortuum esse etiam pro salute eorum, qui pereunt, perspicue ducitur ex loco illo 1. ad Cor. c. 8., ubi monens, ne infirmis offendendi occasio praebeatur, subjungit: « Et peribit infirmus « in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est » idest propter quem *salvandum*, ut exponit S. Th. in eum locum: et similiter Estius in eumdem locum his verbis: « Peribit autem in tua scientia, idest per tuam scientiam, qua « dum tu male uteris, praestas illi peccandi occasionem: eum« que perdis, quem Christus in tantum dilexit, ut pro ejus « salute mortem oppetere non dubitavit »

SCHOL I.

Atqui et in Augustissimo etiam Eucharistiae sacrificio, quo sacrificium Crucis continuari Christus voluit, quotidie memoria renovatur excellentissimae charitatis ipsius, propensaeque erga salutem omnium voluntatis. Enimvero Christus, utpote sacerdos in aeternum constitutus, sic illud per sacerdo-

tes, quos instituit sacerdotii sui non successores, sed ministros ac participes, offerri voluit, ut semper ipse principalis esset offerens; ac proinde quod in actione sacrificii geritur a sacerdote personam Christi sustinente, hoc ipsum peragat Christus sedens ad dexteram Patris; semperque vivens ad interpellandum pro nobis. Quippe habet illa oblatio absolutissimae deprecationis, postulationisque vim praesentissimam, qua placatus Deus, exoratusque, ingentia crimina dimittit, atque in totum genus humanum cruore Filii sui aspersum, ac redemptum immensa beneficia diffundit. Quid porro voluerit Christus in ea oblatione, sacerdotum suorum ministerio ad altare postulari, luculenter docet Augustinus epist. 217. *ad vitalem* c. 1. n. 2., quo loco ex ipsismet ecclesiae precibus, quae ad altare funduntur, stultitiam hominis arguit, initium fidei repetere ex dono Dei recusansis: « Axsere, inquit, contra orationes Ecclesiae disputationes tuas, et quando audis « sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare « pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, et pro « fidelibus, ut in quo esse coeperunt, ejus munere perseverent, subsanna pias voces etc. » Praeclare item S. Coelestinus I. (epist. 21. ad episcopos Galliarum c. 11. apud coustant). « Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab Apostolis tradita, in toto mundo, atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut « legem credendi lex statuat supplicandi; cum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione funguntur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente postulant, et « precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus, ut judaeis, ablato cordis « velamine, lux veritatis appareat, ut haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant, ut schismatici Spiritum redivivae caritatis accipiant, ut lapsis poenitentiae remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis coelestis misericordiae aula reseretur. » Quae vota lithurgica sacerdotis prece comprehenduntur, dum calicem offerens precatur, ut in conspectu divinae majestatis pro totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat (1). Quod

(1) Ne quis obtrectandi occasionem capiat ex quaestionibus, quae instituuntur de his, pro quibus offerendum sit Missae Sacrificium, satis

si sacerdos in ritu peragendo sacrificii tanquam Christi minister, placabilem hostiam offerens orat pro totius mundi salute, quis dubitet, quin Christus principalis offerens hoc ipsum oret apud Patrem, cumque oratio sit certa voluntatis interpres, profecto si quod orat minister ad altare pro salute omnium, Christus principalis sacerdos Patri exhibet interpellans pro nobis, certe in hac ipsa oratione certa significatio existit voluntatis Christi erga salutem omnium. Uno verbo, si Christus mortuus est, Crucisque adeo sacrificium obtulit pro salute omnium, etiam eorum qui pereunt, ut vel ex ipsa, deducitur sententia S. Th. in 1. ad Corinthos, quam paullo ante recitavimus, consequens est ut sacrificium altari, quod re unum idemque est cum sacrificio Crucis, pro salute omnium et offerri a suis ministris voluerit, et ipse principalis sacerdos continenter offerat.

Neque his adversatur auctoritas illa, quae objici solet ex 3. p. S. Thomae q. 22. art. 4. ad 2. « Quod Dominus non « oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omni- « bus, qui erant credituri in eum, sed pro his solum, qui « erant praedestinati, ut per ipsum vitam consequerentur ae- « ternam. » Nam ut ex ipsa littera contextus praeceptoris angelici sententiam probe cum aliis ejusdem scholae doctoribus exponit cl. card. Gotti (de divina voluntate q. 2, dub. 2. §. 5.) « Mens S. Doctoris fuit negare solum Christum orasse « pro crucifixoribus oratione implenda, et inferente salutem « eorum efficaciter. Quod patet: tum quia in eo articulo de « hoc agebat: et tum quia hoc petebat argumentum, cui re- « spondebat, quod aperte demonstrant ejus verba sequentia: « ait enim S. Th. » *Sed pro his solum, qui erant praedesti- « nati*; deinde subdit, *ut per ipsum vitam consequerentur ae- « ternam*. Consecutio autem vitae aeternae effectus est volun- « tatis specialis, et efficacis, non generalis. » Revera perspicue hanc mentem suam declarat S. Doctor hoc ipso quod eo loco ait, neque etiam Christum orasse pro omnibus, qui erant credituri in eum. Nec enim ille sane dubitabat, quin

fuerit pauca verba subjicere deprompta ex Morali Theologia P. Antoine *de Eucharistia* cap. 3. « Ex communi sententia offerri potest « pro conversione infidelium, et haereticorum, et excommunicato- « rum, modo non nominentur in orationibus ». Qua etiam de re plenior, et ad rem nostram congruentior extat Bellarmini disputatio *de Missa* l. 2. c. 6.

pro istis orasset, saltem ut fidem consequerentur, qua credituri erant in ipsum: quae certe fides fructus est orationis, et meriti Christi in omnibus, qui credunt. Ergo cum negat Christum orasse pro omnibus, qui credituri erant, necesse est hoc ipsum non de omni orationis ratione intellexisse, sed de illa speciali oratione, quam pro illis fudit, qui per ipsum non dona tantum gratiae, sed et vitam aeternam reapse consecuturi essent. Nil igitur ex eo loco eruitur adversus generalem illam, et antecedentem voluntatem de salute omnium, quam tot locis, tamque affirmate S. Doctor asserit, ac praesertim q. 23. de voluntate Dei inter quaest. Disput. c. 2., ubi voluntatis antecedentis, et consequentis discrimen mira perspicuitate explicat, ac utramque c. 3. seq. ad voluntatem beneplaciti referendam esse docet.

Neque officit, quod S. Doctor 1. p. q. 19. art. 6. voluntatem illam antecedentem *velleitatis* potius quam voluntatis nomine appellandam censere videatur. Nam eo loco id velleitatis nomen non omni voluntatis rationi opponit, sed ei tantum, quae absoluta sit, seu efficax. Quippe ait: *Unde magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas.* Ceterum hanc velleitatem, quae plerumque in hominibus imperfecta est, otiosa, et impotentiam arguit, nil tale in Deum inferre, praeclare inter alios ostendit Ludovicus Habert. de Gr. Christi c. 7. §. 5., ut proinde neque ex allato dicto S. Thomae quidquam induci valeat, quominus antecedens Dei voluntas verae, sincerae, ac beneplaciti, non nudi tantum signi voluntatis rationem habere censenda sit. Quod et Sorbonicus ille doctor invicto plane argumento conficit his verbis: « In omni « sententia antecedens Dei voluntas salvandi omnes Angelos, « fuit *beneplaciti.* Non fuerunt enim adjuti auxilio, *quo* et « efficaci, sed auxilio, *sine quo* in gratia, in qua conditi « sunt, perseverare non potuissent; quemadmodum docet S. « Augustinus saepius laudato cap. 13. de corrept. et gr. at- « qui antecedens illa voluntas nihil involvit imperfectionis: « ergo nec antecedens voluntas salvandi omnes filios Adae: » Quod si voluntas salvandi Angelos, voluntas fuit antecedens, erga eos saltem, qui lapsi sunt, et nihilominus voluntas fuit simul beneplaciti; nil igitur obstat, quin ratio beneplaciti cum ratione antecedentis voluntatis aptissime cohaereat.

SCHOL II.

Mirum profecto, Jansenium usque adeo a mente Augustini aberrare potuisse, ut Semipelagianum errorem deprehendere sibi visus sit in hoc fidei dogmate: *Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse*, quod haustum ex Apostolo non modo velut fidem Ecclesiae tuetur, ac praedicat Augustinus, sed et vehementer urget adversus Pelagianos, quo peccati originalis propagatione demonstret omnes prorsus homines nasci peccati labe inquinatos, ac natura filios irae. Quin hoc etiam pejor est Jansenii error, quam Juliani, quod hic ne nimium videretur a communi Ecclesiae sensu deflectere, fatebatur Christum pro peccatoribus omnibus mortuum esse; ubi Jansenius peccatores, ingenti etiam numero, a mortis Christi beneficio arcere non veretur. Sed minus mirum id illis accidet, qui norunt, quam foede Augustinus Hipponensis deformatus extet in Augustino Yprensi.

SCHOL III.

Cave, ne putes, memoratam Augustini sententiam, qua omnes mortuos esse ex eo maxime convincit, quod Christus pro omnibus mortuus est, quidquam officere probatissimae, atque ad pietatem, ut et ad communem fidelium sensum accommodatissimae sententiae, quae a Virgine Dei genitrice originalis culpae labem longe removet. Adhuc enim Augustini dicto sua plane constat veritas, hoc ipso quod SS. Virgo communis originis vitio, et ipsa per sese obnoxia fuerit, et nonnisi mortis Christi beneficio ab ea mortis lege liberari potuerit.

104. Benefica ista Dei voluntate erga salutem omnium parata omnibus, quantum ex Deo est, auxilia gratiae, constans est Catholicorum sententia. Qua de re audiendus in primis S. Th. l. 3. cont. gent. c. 159. « Ad hujus dubitationis « solutionem considerandum est, quod licet aliquis, per mo- « tum liberi arbitrii, divinam gratiam nec promereri, nec « acquirere possit: potest tamen seipsum impedire, ne eam « recipiat; dicitur enim de quibusdam Job. 21. Dixerunt Deo: « recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus; et « Job. 24: ipsi fuerunt rebelles lumini; et cum hoc sit in

« potestate liberi arbitrii, impedire divinae gratiae receptio-
« nem, vel non impedire, non immerito in culpam imputa-
« tur ei, qui impedimentum praestat gratiae receptioni. Deus
« enim quantum in se est, paratus est omnibus gratiam da-
« re: vult enim omnes homines salvos fieri, et ad cogni-
« tionem veritatis venire, ut dicitur 1. ad Tim. 2., sed illi
« soli gratia privantur, qui in seipsis gratiae impedimentum
« praestant: sicut sole mundum illuminante, in culpam im-
« putatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum
« sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis prae-
« veniatur. » Gratia proinde offertur omnibus, ut verum sit
illud Ecclesiastici: *Ne dicas, per Deum abest.*

105. Certe justis omnibus non modo parata esse, sed et continuo adesse gratiae sive habitualis, sive actualis auxilia, quibus possibilia ipsis fiant Dei mandata, caput est doctrinae catholicae, quod ex sacrarum litterarum, patrumque auctoritatibus profectum, primae Jansenii propositionis ab Innocentio X facta proscriptio nova sanctione communivit.

106. De fidelibus generatim insignis Augustinianae scholae theologus Jo. Laur. Berti sic statuit (de theolog. discipl. l. 18. c. 8.): « Cuilibet fideli, nisi libere ponat obicem, adest
« gratia orationis, qua impetrare potest auxilium immediata
« sufficiens ad implenda mandata. » Etenim, inquit, ut scribit Augustinus de gr. et lib. arb. c. 16. « Ipsa est fides,
« quae orando impetrat, quod lex imperat. Et Epist. ad
« Asellicum: *Utilitas legis est, ut homines de sua infirmitate*
« *convincat, et gratiae medicinam, quae in Christo est, im-*
« *plorare compellat.* Igitur nisi fidelis praesumptionis obicem
« ponat, gratiam habet orandi, eaque nisi in poenam liberae
« elationis non caret. »

107. De infidelibus disserens doctissimus Norisius (Vind. August. Col. 1009.): « Quamvis, inquit, careant auxilio
« proxime sufficienti, habent tamen auxilia quaedam remo-
« ta, unde non patiuntur antecedentem necessitatem peccan-
« di ». Igitur, auctore Norisio, si omni etiam remoto auxilio forent destituti, paterentur antecedentem necessitatem peccandi. Nec adeo sua culpa caderent, quemadmodum ex Augustino nec primus homo culpa sua cecidisset, si auxilium sine *quo* ei defuisset.

SCHOL.

Accurate Augustinus (ut supra vidimus) distinguit possibilitatem, quae natura inest, recipiendae gratiae, a potentia quae datur per gratiam: ut proinde qui contendunt, hoc ipso, quod homo pollet libertate, satis id esse, ut possibilis ei dicatur salutaris legis observatio, ii videntur ultro sese conjicere in Pelagiana castra, dum praepostero vitandi Pelagianismi studio in extremos Jansenii errores procurrunt.

108. Obdurare Deus dicitur, inquiunt patres africani c. « 11., non quia ad iniquitatem compellit, sed cum ab ini- « quitate non eripit, quod quia justus est, juste facit. » De obduratis viget aliqua inter theologos controversia. Sunt paullo severioris ingenii doctores, quibus placet ex illis miseris non deesse, qui saltem pro aliquo tempore careant omni gratia, sive proxima, sive remota. Quae destitutio, cum in poenam justo Dei judicio infligatur, non ideo illos culpa liberat, quod nempe consequens ea quaecumque necessitas, quam propria culpa contrahunt, ad culpam ex voluntaria causa merito eis imputetur. Quo pacto antecedentem peccandi necessitatem satis removeri existimant, ut nil sit, quod eis velut commune cum erroribus Calvini, aut Jansenii affingi queat. Contra alteri sententiae, quae auxilia saltem remota nullo tempore, cum praeceptum instat, obduratis quibusvis, et obcaecatis penitus denegat; frequentiores assentiuntur, nec tamen laxioris, aut inferioris notae theologi, qui eam non ut mitiorem tantum, sed ut sacrarum litterarum, patrumve auctoritatibus, siquidem suis momentis rite ponderentur, congruentiorem defendunt, quos inter Ludovicus Habert *de gr. Christi* c. 7. §. 7. et 8., cui sententiae non parum quoque ponderis accedere videtur ex decreto 15. concilii Senonensis an. 1528. contra Lotheranorum haereses: « Neque tamen, inquiunt patres, « tanta gratiae necessitas libero praejudicat arbitrio, cum illa « semper sit in promptu, nec momentum quidem praetereat, « in quo Deus non stet ad ostium, et pulset: cui si quis « aperuerit januam, intrabit ad illum, et caenabit cum il- « lo. » Quod si quis objiciat celebre Augustini dictum, naturam communem omnibus esse, non gratiam, cui et alia similia nonnulla proferuntur, si diligentius attendere is velit, quo illa spectent, non invitus agnoscat, hoc in primis pro-

positum fuisse Augustino, ut errorem convinceret Pelagianorum, qui beneficia Dei quoad hominum salutem patere omnibus ex aequo volebant, tamque longe abesse, ut gratiae dono praeveniri hominum voluntates faterentur, quin potius impie contenderent, voluntatis merito fieri, ut alius alio potioribus gratiae donis cumularetur; contra quos cum docte non minus, quam pie S. Doctor gratuita Dei beneficia tueretur, quibus alii ab aliis discernuntur, rectissime quoque defendebat, non omnibus dari, nec omnibus esse communia specialis ejus gratiae munera, qua fideles ab infidelibus, justi a peccatoribus, electi a reprobis secernuntur; ut proinde sententiae illae modo ad justificantem gratiam, modo referendae sint ad illa praevenientis gratiae auxilia, quibus alii sic vocantur, ut illis persuadeatur, non ad illa, quibus aliis ita suadetur, ut non persuadeatur. Quae proinde sic sunt intelligenda, ut simul et illud consistat, quod sive Prosper, sive Leo tradit l. 2. *de Vocat. Gent.* c. 15. « . Adhibita est « semper universis hominibus quaedam supernae mensura do« ctrinae, quae etsi parcioris, occultiorisque gratiae fuit, ta« men sufficit, sicut Deus judicavit, quibusdam ad remedium, « omnibus ad testimonium. » Et l. 1. c. 21. « Credimus nul« lis hominibus opem gratiae in totum fuisse subtractam. ». S. Prosper vero *Respons.* 15. ad object. Vincentianas: « Ne« mini Deus correptionis adimit viam, nec quemquam boni « possibilitate dispoliat ».

SCHOL I.

Qui sententiam illam Augustini: *Communis est omnibus natura, non gratia*, traducunt ad ea praevenientis gratiae auxilia, quibus aut infideles ad fidem, aut peccatores ad poenitentiam vocantur, haud satis accurate locum inspexisse videntur, e quo illa deprompta sententia est. Is est Sermo 26. (Edit. Maur.) De verbis psalmi: « *Venite adoremus, et pro« sternamur ei; fleamus ante Dominum, qui nos fecit*, quibus « et haec nectuntur: *Nos autem populus ejus, et oves pa« scuae ejus.* » Ibi explicat Augustinus, quemadmodum intelligatur Deus homines fecisse, ut homines sunt, et eosdem facere, ut populus ejus sint: primum illud ostendit ad gratiam creationis pertinere, (quae hoc sensu gratia putatur, quia et ipsa gratis concessa est) istud alterum ad beneficium

electionis. Sic etenim n. 4. « Ipse fecit nos. Nam et pagani « nascuntur, et omnes impii, omnes adversarii Ecclesiae « ejus, ut nascerentur, ipse fecit eos. Qui de Paganis na- « scuntur, ab ipso facti sunt, ab ipso creati sunt, et non « sunt populus ejus, nec oves pascuae ejus. Communis est « omnibus natura, non gratia. » Docet itaque Augustinus, non conditione naturae, quae omnibus communis est per creationem, id homines habere, ut populus Dei sint, et oves pascuae ejus, sed singulari prorsus, ac plane gratuito beneficio, quo secundum electionis propositum alii ab aliis secernuntur. Quibus verbis non alius inest sensus: quam fidelibus communiter ab ipsa infantia insitus est, ut summum plane Dei beneficium in eo agnoscant, quod singulari suae in eos charitatis munere providerit, ut non inter tenebras infidelitatis nascerentur, sed in media luce praedicationis catholicae, ut ab ortu ipso, Ecclesiae sinu excepti, ac renati, populo Dei cooptati, inter oves pascuae ejus, salutaris omnis doctrinae, et institutionis pabulo alerentur. Quod sane perspicuum est sic valere ad commendationem singularis gratiae in renatis, ut minime detorqueri valeat ad excludenda praevenientis gratiae auxilia, quibus infideles quique, aut peccatores ad fidem, aut poenitentiam vocentur.

Nec aliam mentem esse Augustini, liquet etiam ex luculenta disputatione, quam eodem sermone pergit instituere adversus *novellam haeresim*, quae cum ad praecavendam fidelium offensionem, gratiae vocabulum retineret, ejus tamen gratiae vim omnem in liberi arbitrii facultate positam intelligi volebat; adeo ut *iste* (Pelagius) cum diceret, liberum arbitrium sufficere, ut homo justus sit, satis hoc ipso commendari a se gratiam Dei, existimari vellet, propterea quod cum Deus hominem libero arbitrio donaverit, *quidquid*, inquiebat, *potest homo de libero arbitrio, ejus gratiae debetur, qui hominem condidit cum libero arbitrio.* Itaque Pelagius cum ab ipso suae praedicationis initio gratiam a libero arbitrio non secerneret, sic omnibus ex aequo gratiam naturaliter communem faciebat, quemadmodum omnibus ex aequo naturaliter communis est facultas liberi arbitrii. Contra quam haeresim merito confirmabat Augustinus, communem quidem omnibus naturam esse, qua homines cum libero arbitrio creantur, non ex aequo commune omnibus gratiae illius beneficium, quo alii ab aliis secernuntur, ut populus Dei fiant, atque

inter oves pascuae ejus cooptati, secundum electionis propositum, fidem, justitiam, vitam aeternam consequantur. Quae ut rectissime dicta sunt ad gratuitae supernaturalis electionis discretionem asserendam, nil tamen afferunt, quominus existimetur Augustinus voluisse infidelibus quibusque, impiisve hominibus aliqua etiam patere vocationis beneficia, quae nisi sua pravitate respuerent, universalis illius redemptionis uberiorem fructum perciperent, quam ille attulit, quem universe pro omnibus mortuum esse Augustinus ipse fideliter, constanterque praedicavit.

Aliud, nec obscurum ejusdem mentis Augustini argumentum ducitur ex Tract. 53. in Joan. n. 5., ubi expendens Evangelii verba: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excoecavit oculos eorum etc.*, quae verba (inquit Augustinus) *profundiorem* istam *quaestionem* afferunt, nempe: « Dicitur enim nobis, si non potuerunt credere, quod « peccatum est hominis non facientis quod non potest facere? Si autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergo « credere, et non fecerunt. Si ergo potuerunt, quomodo dicit Evangelium, propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: *Excoecavit oculos eorum etc.* ut, quod est « gravius, ad Deum referatur causa, quia non crediderunt? » Mox post nonnulla interjecta, n. 8. monet S. Doctor, quid ei cavendum sit, qui velit in proposita quaestione versari: « Ne audeat quisquam, inquit, liberum arbitrium sic defendere, ut nobis orationem qua dicimus: *Ne nos inferas in* « *tentationem*, conetur auferre: rursus ne quisquam neget voluntatis arbitrium, et audeat excusare peccatum. Sed audiamus Dominum praecipientem, et opitulantem, et jubentem, quid facere debeamus, et adjuvantem, ut implere « possimus. » Sic Augustinus excusandi peccati locum praecludit, quatenus dum praecipit Dominus, simul adjuvat, ut implere possimus. Nullus proinde excusationi peccati locus relinquitur: siquidem cum peccat homo, ideo peccat, quia implere omittit, quod implere potest: ideo autem implere potest, non quod sola vi liberi arbitrii polleat, sed quod qui praecipit Dominus adest *adjuvans*, *ut implere possit.* Pergit Augustinus: « Nam et quosdam nimia suae voluntatis fiducia « extulit in superbiam, et quosdam nimia suae voluntatis diffidentia dejecit in negligentiam. Illi dicunt: ut quid rogamus Deum, ne vincamus tentatione, quod in nostra est

« potestate? Isti dicunt: ut quid conamur bene agere, quod « in Dei est potestate? » Illorum praefidentem superbiam retundit Augustinus, qui ex viribus liberi arbitrii in sua jactant esse potestate, ne vincantur tentatione: istorum ignavam rationem coarguit, qui nullo pacto se posse diffidunt, quod sit in Dei potestate, quasi non ex ipsa Dei potestate auxilia suppeterent, quibus id implere valeant, quod per sese implere non possunt. Neque hic sistit Augustinus, verum et rationem subjungit, qua id quod non est in sua potestate, possit sibi homo ex Dei potestate polliceri. « Audiamus Dominum dicentem: ro- « gavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua: ne sic existimemus « fidem nostram esse in libero arbitrio, ut Divino non egeat « adjutorio. Audiamus et Evangelistam dicentem: dedit eis po- « testatem filios Dei fieri: ne omnino existimemus in nostra po- « testate quod credimus, non esse verumtamen in utroque illius « beneficia cognoscamus. Nam et agendae sunt gratiae, quia « data est potestas: et orandum ne succumbat infirmitas ». Haec proinde summa doctrinae Augustini, liberum arbitrium per sese non valere, ut possit homo implere quod Deus praecipit: non ideo tamen culpa vacare, qui non implet, eo quod jubens Dominus, quid facere debeamus, idem adest adjuvans, ut implere possimus. Divinum scilicet adjutorium oratione implorandum, qua jubemur Deum orare, ne nos inferat in tentationem, nec propterea suffragari cuiquam infirmitatem liberi arbitrii ad excusationem peccati, quia omnibus orandum, ne succumbat infirmitas. Paratum proinde omnibus orationis praesidium, quo potestas illa detur, qua non pollet liberum arbitrium. Peccat igitur, qui non implet, nempe quod poterat orare, ut possit per divinum adjutorium, quod non poterat per liberum arbitrium. Sed nec orare quisquam potest, nisi praevenientis gratiae beneficio potestas ei detur orandi. Si ergo jubens Dominus quod facere debeamus, idem adjuvat, ut facere possimus, nemini, cum urget praeceptum faciendi, deesse putandum est praeveniens id auxilium, quo cum potestate orandi detur ei potestas non peccandi.

Petitam demum ex verbis Evangelii, *non poterant*, difficultatem, sic diluit Augustinus, ut ex his nil plane concludi valeat adversus aut libertatem hominis, aut credendi potestatem, aut gratiam, sine qua nulla est credendi potestas. Ita quippe Augustinus n. 9. Sic autem dictum est, *non poterant*, ubi intelligendum est quod nolebant . . . . ita quod illi non

poterant credere, culpa est voluntatis humanae: quod pergit explicare num. 10. « Ecce dico et ego, quod qui tam su« perbe sapiunt, ut suae voluntatis viribus tantum existiment « esse tribuendum, ut negent sibi esse necessarium divinum « adjutorium ad bene vivendum, non possunt credere in Chri« stum. Non enim prosunt syllabae nominis Christi, et Sa« cramenta Christi, ubi resistitur fidei Christi . . . . . Quia « ergo ignorans Dei justitiam, qua justificatur impius, suam « vult constituere, qua convincatur superbus, in hunc non po« test credere. Hinc et illi *non poterant credere*: non quia mu« tari in melius homines non possunt: sed quamdiu talia sa« piunt, non possunt credere. » En dilucide confirmatum quod scholastici more suo exponere solent concisa brevitate per vocabula *sensus compositi, et sensus divisi.* Nam quemadmodum de homine, quamdiu claudit oculos, recte dicitur, non posse illum videre, quia haec duo componi non possunt, ut et oculos clausos habeat, et simul videat; sic de illis recte dictum est in eo sensu composito *non poterant credere*, nimirum quod haec duo componi non possunt, ut quis et contraria sapiat doctrinae Christi, et simul credat. Verum quemadmodum etiam de illo, qui oculos tenet clausos, rectissime dicitur, posse nihilominus illum videre, quatenus in sensu diviso potest id removere, quod moram affert, ne videat; ita quoque quod illi non poterant credere *in sensu composito*, dum nempe contraria saperent doctrinae Christi, nil affert, quominus rectissime dicantur idipsum potuisse in sensu diviso, quatenus deposita sui erroris pravitate, et gratiae assentiendo, quam respuebant, fidem eam concipere, et amplecti potuissent, quae cum voluntaria mentis suae coecitate componi non poterat.

SCHOL II.

Sic itaque santissimos Ecclesiae patres videmus in commendatione Gratiae versatos esse, huncque sibi in primis praedicationis fructum proposuisse, ut ex divini hujus prorsusque gratuiti muneris consideratione discant quidem homines de se diffidere, non ita tamen, ut gratuiti muneris ratio suspensos, ac socordes in ejus expectatione animos teneat, quasi *per Deum abesset*, piumque in cooperando conatum restinguat, verum ut ex justo salutarique timore, quem sua cul-

que infirmitas afferre debet, ad benignitatis divinae considerationem sese convertentes, cum fiducia thronum gratiae adeant, misericordiam consecuturi tempore opportuno; qua spe freti, ac recreati, ad certam sibi per bona opera vocationem, et electionem faciendam omni studio sese comparent, nilque tam caveant, quam ne gratiae desint aliquando, sibique adeo justam sua culpa damnationem acquirant. Namque, ut Apostolica Leonis Magni praedicatione docemur, (Serm. 67. edit. Baller.): « Per hanc salutis nostrae ineffabilem re-« parationem, nec superbiae nobis, nec desidiae locus relin-« quitur: quia et nihil habemus, nisi quod accipimus, et ju-« giter admonemur, ut dona gratiae Dei non negligenter ha-« beamus. Juste enim nobis instat praecepto, qui praecurrit « auxilio, et benigne incitat ad obedientiam, qui ducit ad « gloriam. » Sic itaque praevenientis gratiae necessitatis instituenda praedicatio, ut cooperandi studium incedant, non ut operandi curam, ac diligentiam minuat.

APPENDICE III.

DELL' ATTRIZIONE

Ossia sulla necessità di qualche principio di amor di Dio per conseguire la giustificazione

NEL SACRAMENTO

DELLA PENITENZA.

DELL' ATTRIZIONE

Ossia sulla necessità di qualche principio di amor di Dio per conseguire la giustificazione nel Sacramento della Penitenza.

Ho letto uno scritto di un autore rispettabilissimo, in cui si prende ad impugnare il sentimento de' teologi, li quali richiedono un qualche principio di amor di carità, o sia di benevolenza, per conseguire la giustificazione nel Sacramento della penitenza. Si sono destati vivamente nel mio cuore in leggendolo gli sentimenti di stima, e venerazione, che io professava alla degna persona dello scrittore, mentre vivea; e parmi, che traspiri così bene nella sua maniera di scrivere lo spirito di carità, onde egli era penetrato, che a' suoi leggitori persuade, ed inspira l'amor di Dio, mentre s'affatica in volergli convincere, che un tale amore non è punto necessario per ottenere la remissione de' peccati col mezzo della sacramentale confessione. Essendo però sempre meglio, che i lumi dell'intelletto vadano d'accordo con i movimenti del cuore, io stimo di secondare in certa guisa il pio affetto dello scrittore, col rispondere a'suoi ragionamenti, e solo vorrei poterlo fare in modo, che corrispondesse al religioso zelo del veneratissimo, ed autorevole personaggio, che mi ha fatto l'onore di chiederne il mio sentimento.

Ed in prima, siccome lo scrittore per procedere con ogni maggior chiarezza, ed ordine, s'introduce con alcuni preliminari, come egli li chiama, io il seguiterò, esponendo i di lui sentimenti riguardanti lo stato della quistione, la natura del timore, e le differenti sorte di esso, la distinzione da farsi tra la sostanza del timore servile, e la servilità del medesimo; la differenza chè passa tra l'amor di speranza, e quello di carità; la possibilità, ed esistenza d'un amore iniziale, o se sia questa soggetta a gravissimi inconvenienti.

Riguardo allo stato della quistione, egli mostra di credere « che sia una bella, e buona quistione di nome, e che

« in sostanza tuttociò, che si vuole da que' teologi, che stanno « forti per la necessità dell'amor di Dio non si nieghi loro « dagli altri, e ciò, che in sostanza dicono questi esser suf- « ficiente, non sia niente affatto meno di quello, che da' primi « si pretende. »

ESPOSIZIONE DELLO STATO DELLA QUISTIONE FATTA DA BENEDETTO XIV.

Ma io stimo, che tutt'altro concetto si farà di questa controversia da chiunque vorrà considerare lo stato della qui- stione, quale fu poi esposto da Benedetto XIV nel suo Trat- tato de Synodo Dioecesana l. 7. c. 13.

Ed in prima, riferita la dottrina del concilio di Trento, il quale distingue una contrizione perfetta, che riconcilia l'uo- mo con Dio prima di ricevere attualmente il Sacramento della Penitenza, benchè non senza il voto del medesimo, ed una contrizione imperfetta, che altramente dicesi attrizione, che nasce dalla considerazione della deformità del peccato, o dal timore dell'inferno, e delle pene, e che dispone a con- seguire la giustificazione nel Sacramento della penitenza; pur- chè sia congiunta colla speranza del perdono, ed escluda la volontà di peccare, egli osserva, che sebbene il nome d'at- trizione non sia molto antico, siccome quello, che sembra non essere stato introdotto nelle scuole, se non nel secolo XIII, pure i Padri, ed i teologi ne hanno sempre ritenuto il significato col distinguere una contrizione perfetta, ed una contrizione imperfetta.

Distingue i varj capi, onde rendesi la contrizione imper- fetta. 1. Ha da considerarsi quale imperfetta del tutto la con- trizione, che non è soprannaturale, quale vien prodotta da oggetti naturali, o senza l'ajuto della grazia. Una tale con- trizione non è sufficiente per conseguire la giustificazione nep- pure col Sacramento della Penitenza; siccome consta per la prop. 57. condannata da Innocenzo XI. 2. Imperfetta è pa- rimente la contrizione, che allontana la volontà soltanto da una sorta di peccato, e non da tutti li peccati; potendo av- venire, che un uomo per un affetto speciale ad una virtù, detesti li peccati a quella virtù opposti, e non gli altri. 3. Im- perfettissima si è inoltre, e neppure merita il nome di con- trizione quella, che non procede da una volontà deliberata,

ma consiste in una sterile velleità, ed inefficace dispiacenza del peccato, senza proponimento di abbandonarlo. Ed è ben chiaro, che neppure queste due ultime sorte di contrizione bastano per la remissione de' peccati, essendochè non escludono affatto la volontà di peccare, come richiedesi onninamente per la definizione del concilio di Trento.

Ma oltre queste differenti specie di contrizione, che io chiamerei diffettose, anzi che imperfette, si ha inoltre da riconoscere una sorte di contrizione, la quale sia soprannaturale, ed escluda ogni volontà di peccare, ed abbia con tutto ciò a denominarsi ancora imperfetta; ed appunto di questa si muove la presente controversia. Ora in diverse maniere può intendersi una tale imperfezione, le quali vengono in questa guisa dichiarate da Benedetto XIV.

1. La contrizione può esser imperfetta in questo senso, che sebbene sia eccitata per lo stesso motivo di carità, che la contrizione perfetta, pure non giunge al medesimo grado d'intensità, ma più debole si rimane, e più languente.

2. Può dirsi imperfetta la contrizione, qualora la detestazione del peccato nasce bensì da amor di Dio, ma da quell'amore, che dicesi di concupiscenza, e non dall'amor d'amicizia, o di carità.

3. E per lo più, dice il papa, prendesi il nome di contrizione imperfetta, per significare il dolore de' peccati conceputi unicamente per la loro deformità, e pel solo timore delle pene, e dell'inferno, senz'alcun amor di Dio.

Il papa nell'accoppiare il motivo della deformità del peccato con quello delle pene infernali, come appartenenti ad una medesima sorta di contrizione imperfetta, ha seguitato il metodo usato da un gran numero di teologi nello spiegare la natura dell'attrizione servile. Vogliono, che l'attrizione servile nasca ugualmente, sia dalla considerazione della deformità del peccato, sia dalla considerazione delle pene dell'inferno. Ma non so, se abbiano avvertito, che S. Tommaso distingue espressamente que' due motivi, attribuendo al timore la contrizione, che nasce dalla considerazione de' supplizj, ed alla carità la contrizione, che nasce dalla considerazione della turpezza del peccato. Il testo è chiaro 3. p. q. 75. art. 5. ad 1. « Peccatum primo incipit homini displicere maxime peccatori propter supplicia, quae respicit timor servilis, quam propter Dei offensam, vel peccati turpitudinem, quod per-

« tinet ad charitatem ». Molti per avventura proveranno qualche difficoltà in capire, come il dolore eccitato per la considerazione della deformità del peccato, debba riferirsi ad un amor di carità. Per chiarire questa difficoltà, fa d'uopo avvertire, che la deformità del peccato può considerarsi o nell'ordine naturale, o per la sua opposizione all'ordine della ragione, ed alla bellezza della naturale onestà, oppure nel l'ordine soprannaturale, e per la sua opposizione alla legge eterna di Dio, cioè alla sua somma sapienza, e santità rivelata per la fede. Se il dolore viene eccitato per la deformità del peccato considerata nella prima maniera, sarà la contrizione senza dubbio imperfetta, anzi difettosa, ed insufficiente, siccome quella, che non s'alza sopra l'ordine naturale. Ma se il dolore viene eccitato per la deformità del peccato considerata nella seconda maniera, non senza ragione afferma S. Tommaso, che un tal dolore appartiene alla carità; poichè la dispiacenza del peccato, in quanto si oppone alla somma sapienza, e santità di Dio, comprende per necessità un qualche amore della sapienza, e santità di Dio. Di tal tempra era il dolore del salmista, quando aveva in odio il peccato, perchè amava la verità, e la legge di Dio, perchè si compiaceva ne' suoi comandamenti, perchè le sue testimonianze erangli giocondc. Adunque il dolore conceputo per motivo della deformità del peccato, o è naturale, o soprannaturale. Se è naturale, non è sufficiente. Se è soprannaturale, deve avere una relazione a Dio, nè può essere disgiunto da qualche amor del medesimo. Ora il concilio di Trento al menzionare quella sorta di contrizione imperfetta, che nasce dalla considerazione della turpezza del peccato, ha parlato senza dubbio d'una contrizione soprannaturale; onde si ha da concludere, che non ha voluto da quella escludere ogni movimento d'amore verso Dio. Oltrechè dal considerare soltanto il contesto del concilio, si può facilmente argomentare, che le condizioni prescritte dal medesimo per la contrizione imperfetta proveniente dalla considerazione delle pene, non possono aver luogo senza un qualche principio d'amore, come verrà dichiarato a suo luogo.

Finalmente per ritornare all'esposizione di papa Benedetto, questa medesima contrizione imperfetta, che nasce dal timor delle pene, può essere congiunta coll'amor di Dio, detto iniziale, in tal guisa, che la volontà, la quale odia il pec-

cato per cagione dei supplizj, si rivolga insiememente a Dio, come ad oggetto amabile, e cominci ad amarlo, benchè non l'ami ancor con amor perfetto di carità. Osserva però essere difficile di spiegare, cosa sia quest' amor iniziale, se non si fa consistere in un vero atto d'amore, ma debile ancora, e tenue, di tal modo, che questa quarta specie di contrizione imperfetta non differisca dalla prima, se non in questo, che quella, cioè la prima, sia unicamente prodotta da un qualche movimento di carità, laddove questa vien prodotta da doppio motivo di carità verso Dio, e di timor delle pene infernali.

Premessi li varj significati del nome di Contrizione imperfetta, o attrizione, prosegue il papa la storia di questa controversia, col narrare, che sebbene innanzi al concilio di Trento li teologi comunemente insegnassero, essere sufficiente la contrizione imperfetta, che già denominavasi attrizione, per ottener la grazia di Dio nel Sacramento della penitenza; contuttociò non intesero giammai per questo nome d'attrizione un dolor de' peccati, che non fosse eccitato per motivo di carità, o che fosse interamente disgiunto da un qualche amore, comecchè debile, ed iniziale, di benevolenza verso Dio.

Gran forza certamente ha una sì autorevole testimonianza d'un sì dotto pontefice, e sembra, che devrebbe bastare a finir questa controversia fra teologi, imperocchè se prima del concilio di Trento i dottori non riconoscevano altra sorta d'attrizione, quale disposizione sufficiente a ricevere la grazia nel Sacramento della penitenza, se non quella che fosse congiunta con qualche amor di Dio, pare, che un sentimento sì universale, e sì antico debba riferirsi alla tradizione, e che l'altra opinione introdòtta tanti secoli dopo, rechi con la sua novità un indizio non oscuro della sua insussistenza.

Ma come mai potè introdursi una tale novità, prosegue il dotto pontefice a spiegarlo. Francesco Vittoria, e Domenico Soto, ambidue insigni teologi del chiarissimo ordine de' predicatori, principiarono ad insegnare, che l'attrizione puramente servile, cioè conceputa pel solo timore dell'inferno, potea divenire una disposizione sufficiente a ricever la grazia col Sacramento, qualora il penitente stimava in buona fede d'aver una vera contrizione de' suoi peccati, nata dal-

l'amor di Dio, dopo aver procurato con ogni sforzo d'eccitarsi alla produzione d'un tal atto.

Per maggiore dichiarazione riferirò le proposizioni del Vittoria, non prodotte dal papa. Questo teologo Relect. de poenit. Eccl. Sect. 2. q. 2. parlando del penitente che riceve il Sacramento, comincia per istabilire la seguente assoluta proposizione. « Si talis dolet quidem, sed intelligit, se non dolere, quia peccata sunt offensiva Dei, sed ob quamcumque aliam rationem, puta propter poenas inferni, profecto etiam talis dolor non sufficit: quia ille non dolet offendisse Deum: nihil autem refert quod doleat, si non dolet offendisse Deum: idem est enim, ac si nullo modo doleret: » Passa indi a formare quest'altra proposizione: « Si putat, se doluisse propter Deum, et proponit in futurum, semper consequitur gratiam, nisi aliunde ponat obicem etc.

Sono ben degne d'osservazione queste due proposizioni. Nella prima spicca maravigliosamente l'antica dottrina, che si era mantenuta in un possesso nelle scuole fino a' tempi dello scrittore, che per disporsi prossimamente, a ricevere la grazia nel Sacramento è d'uopo che l'uomo si penta del peccato, in quanto è offesa di Dio, *quia peccata sunt offensiva Dei*, nè basta il dolore conceputo per qualunque altro motivo, *puta propter poenas inferni*, nell'altra poi si vede pullulare in certa guisa il primo germe dell'innovazione in ciò, che aggiunge lo scrittore, che quantunque il penitente non abbia questo dolore de' suoi peccati, *quia sunt offensiva Dei*, ma pure stimi d'averlo, allora la buona fede supplisce al mancamento, e lo rende disposto a consegur la grazia. Così all'attrizione realmente congiunta con amor di benevolenza sostituì l'attrizione riputata tale in buona fede, e le attribuì la medesima forza.

Melchior Cano, e Domenico Soto passarono più oltre, ed insegnarono, che se l'attrizione servile, che si crede congiunta con amor di carità, basta pel sacramento della penitenza, dee essere assolutamente, e per se stessa disposizione sufficiente a riceverlo con frutto.

Quest'opinione nata appena, fu ricevuta con grande applauso nelle scuole, ed ebbe insigni dottori, che la difesero, tra' quali due splendidissimi lumi della scolastica teologia

Francesco Suarez, e Gabrile Vasquez, a'quali si possono aggiungere Filippo Gamacheo, e Paolo Comitolo.

Pure tra questi dottori, dice il papa, quelli che hanno fama di maggior sapienza, e dottrina mostrarono gran timore, e cautela nel sottoscrivere alla nuova opinione, che lo stesso Melchior Cano non aveva proposta se non se dubitando. Ma quelli, che vennero appresso fatti più animosi per il gran numero de' seguaci, che si andavano loro aggiungendo, lasciata da parte la timida circospezione di quei primi dottori, non solamente la nuova opione sostennero senza riserva, e limitazione, ma giunsero per fine a biasimare la contraria sentenza, che richiede l'amore iniziale, e pretesero, che questa fosse virtualmente proscritta dal Concilio di Trento.

L'insussistenza di tale pretesa rimane appieno dimostrata dal cardinale Pallavicini della Compagnia di Gesù nella sua celebre storia del Concilio, in cui fa chiaramente vedere, siccome i Padri vollero bensì stabilire, che il timor della pena è buono, e condannare sopra ciò gli errori dei novatori, ma non già definire in alcun modo la quistione di cui si tratta. In fatti terminato il Concilio non mancarono dottori tra quelli, che vi avevano assistito, i quali cominciarono a difendere le antiche sentenze in tal proposito, tra' quali cita il papa Federico Nausea vescovo di Vienna in Austria nel suo catechismo, e Francesco Sonnio vescovo d'Anversa.

Così finora si sono insegnate le due sentenze da varj dottori, e senza taccia di censura, come consta dal Breve d'Alessandro VII., in cui proibisce di censurare l'una, o l'altra opinione fin che si decida la controversia. Ma è ben da ponderarsi un insigne avvertimento, che dà in seguito lo stesso pontefice, cioè che sebbene i vescovi debbono astenersi dal decidere la questione ne' loro sinodi, non è loro vietato d'ammonire i confessori, e renderli solleciti ad esortare i penitenti a produrre atti di vera, e perfetta contrizione, poichè i confessori sono a ciò fare consigliati dagli stessi autori principali, che hanno ammessa la sufficienza dell'attrizione servile, quali sono il Suarez, il Gamacheo, il Comitolo. E ciò che è più, lo stesso vien prescritto dal Rituale Romano pubblicato sotto Paolo V., ove s'ingiunge a' confessori d'adoperare le più efficaci esortazioni per eccitare il

dolore, e la contrizione nel cuore de'penitenti. Al che si è conformato il Rituale d'Argentina pubblicato dal cardinale di Rohan, ove a' confessori vien raccomandato d'avvertire i penitenti di non credersi sicuri, se nel ricevere il Sacramento della penitenza oltre gli atti di fede, e di speranza non cominciano ad amare Dio come fonte d'ogni giustizia, conforme all'espressione del Concilio di Trento. Queste in vero non sono ancora decisioni pienamente autorevoli, pure a chiunque non voglia con vane sottigliezze ingannarsi, mostrano abbastanza la traccia per così dire dello spirito, e dell'insegnamento della Chiesa.

Cum nihil Abbatiam perlustrantibus ante oculos Nobis oblatum sit, aut ad aures pervenerit, quod remedio magnopere indigere existimemus; valde gaudendi, ac de vobis, Venerabiles Fratres, in Domino gloriandi justam, et magnam caussam habemus. Gregis vobis commissi curam, religionis studium, industriam, vigilantiam, prudentiam incredibili quadam laetitiae voluptato perspeximus, certis argumentis assecuti sumus, testimonia etiam accepimus. Quid enim Nobis optatius, quid dulcius contingere potest, quam si inclyta in Abbatia, ubi omnes fixae sunt cogitationes nostrae, res bene geri, pietatem nimirum, et religionem coli, rectam christianae disciplinae ad normam vitam exigi, oves (quod Apostolorum principi tam saepe, vehementerque Pastor bonus, Jesus Christus, Servator noster faciendum mandavit) pasci intelligamus? At enim vero cum vel praeclare constituta, non modo ne aliquando delabantur, cavere, verum etiam uti quotidie magis magisque vigeant, et efflorescant, assiduo labore contendere oporteat; perpetuo vigilandum, eoque incumbendum, ut, si minus prolapsa sint restituenda, certe solida retineantur, corroborentur, confirmentur, vos ipsi ab rerum usu minime imperiti pernostis. Incuria enim vel florentissima decidunt. Ad quam rem crebros, et frequentes cujusque Provinciae Ecclesiasticorum Virorum coetus maxime conferre, si nos demonstrandum suscipere velimus, longiorem sermonem habere, ac de vestra doctrina, et eruditione dubitare fortasse videamur, quasi in rebus ad Ecclesiam pertinentibus fere hospites sitis. Quam uberes enim, quam laeti, et varii nullo non tempore, omnibusque in provinciis inde fructus ad componendos mores existiterint, quis vestrum ignorat? Cur Summorum Pontificum, Patrum, Conciliorum propositi, tantopere commendati, sanciti, praescripti decretis gravissimis fuerunt? Cur vetus consuetudo retenta, nisi Ecclesiae totius, cujus jure a quibusdam patribus nervi appellati sunt, ingentem propter utilitatem? Qui corpus stare possit, ac vigere, si membra

contabescant? Hic agistur de moribus, cum publicis, tum privatis informandis, de ecclesiastica disciplina promovenda, de Dei gloria procuranda, et amplificanda: agitur de templorum majestate, et decore, de Sacramentorum praestantia, virtute, necessitate, de divinis officiis, de ritibus, et caeremoniis servandis. Agitur denique de religione, de populi universi salute. Ovium incommoda, et necessitates proponuntur: universae provinciae res agitantur: consilia conferuntur; quaeque accommodatiora, et salubriora videntur conspirantibus, et consentientibus multorum animis, firmiori, tutiorique judicio statuuntur, sapienter, prudenterque statuta confirmantur; aut in lucem obsoleta revocantur; atque haec omnia aguntur ab iis, quibus harum ipsarum rerum justo Judici rationem sibi reddendam esse persuasissimum est. Nos autem hic (et est profecto, quod Dei primum immortalis, unde bona manant omnia, benignitati gratias, vestrae deinde virtuti, fratres carissimi, habeamus, iterumque gratulemur) Nos, inquam, non ad Ecclesiae disciplinam instaurandam, non ad fraena licentiae injicienda, aut lapsa, et abjecta erigenda, sed infirma, siqua sint, stabilienda, legum sanctissimarum, decretorumve memoriam renovandam, hosti communi aditum intercludendum, coacti sumus. Et quantam porro e conspectu vestro voluptatem, hilaritatemque sumamus, neque nos oratione enunciare possumus, nec quisquam cogitatione effingere, nisi qui, nostra in vos quam propensa benevolentia sit, exploratum habeat, ac bene perspectum. Quid Nobis suavius, quam, quos majorem in modum diligimus, Pastores ovium vigilantissimos, sacerdotes integerrimos, uno intuitu communis salutis caussa congregatos videre? Quos dum intuemur, tot socios, comites laborum, et sollicitudinis nostrae adjutores, tot Abbatiae, tot Ecclesiae lumina, ornamenta, praesidia intueri videmur. At ne longius digrediamur; plures vel ab Abbatibus, vel Abbatum sub auspiciis Synodos longiori, vel breviori intervallo interposito habitas fuisse, praeclarissimaeque Abbatiae rebus consultum, non est, quod commemoremus. Hoc dicimus, aliarum ab aliis decreta comprobata, quaedam pro temporum, rerumque varietate mutata, nonnulla addita; quod anno MDCCLXI, itemque anno MDCCLXVII, Nos quoque fecimus. Unde fit, ut cum variis, iisdemque diversis temporibus in lucem editis voluminibus res fusae contineantur, quique unum habet, alterum sibi comparandum, aut, si teneat,

consulendum non curet; multa cognitione dignissima, diligenterque observanda, ignorentur, atque negligantur. Itaque Nos, omnium commodis inserviendi cupidi, dispersa, magisque probanda, tamquam flores, legere, unum in locum cogere, unumque corpus efficere, et unum sub adspectum ponere constituimus, quae ad divinum cultum, ad Ecclesiae decus, ad aeternam salutem conducibiliora videbuntur, eodem tempore addentes, aut immutantes. Ad haec *Synodalem* Conventum indicendo animum intendimus: haec spectavimus. Haec, qua praediti estis, sapientia conatus nostros adjuvantibus vobis, nostramque imbecillitatem sustentantibus, qualem optamus, exitum habitura confidimus. Quanquam enim, si hoc unum agatur, ut anteacta, et superioribus temporibus sancita sarta tecta praestentur, operae pretium facturi videamur. Recens vel conditae, vel renovatae leges animos acrius percellunt, et movent. Adde, quod ea rerum humanarum est conditio, ut nunquam non munimentis egeant; eaque hominis natura, ut ad laborem, et laudem, ad magna, et immortalia saepe sit excitandus. Quod igitur bene vertat, maximi momenti opus adgrediamur; humili, ac supplici animo Deum O. M. ante precati, ut Spiritus Domini. Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis adsit, et habitet in nobis: nostrumque in subsidium vocato Coelestis Militiae Principe, et Duce invicto S. Michaele, Ecclesiae Nostrae, totiusque Abbatiae Patrono, caeterisque Superis; qui, quod nostram propter indignitatem non valemus, praepotentem, clementissimum Deum, luminum patrem, meritis suis, precibusque nobis concilient ita, ut nihil, nisi rectum, saluberrimum, sanctum, cogitemus, et consciscamus. Amen.

CAPUT I.

De Fide Catholica.

1. Quam Una, Sancta, Catholica, Apostolica Ecclesia profitetur, et integram, et illibatam servat; quam Christus Apostolos docuit; Apostoli per universum terrarum orbem propagarunt; concilia Oecumenica, proxime vero Tridentinum adversus haereses vindicarunt, fidem omnes ex animo fortiter, et constanter teneamus. Hoc primum, et firmissimum aeternae salutis, maximeque necessarium fundamentum.

II. Quoniam vero ad salutem non modo corde credi necesse est, verum etiam quod credas, ore testandum; omnes canonici, animarum curatores, concionatores, Ludimagistri, antequam provinciam suam capiant, tum etiam clerici sacerdotio donati fidem conceptis verbis profitentur.

III. Ne falsa dogmata in hominum mentes irrepant: nequid a Catholica Ecclesia, a Christiana Religione alienum disseminetur: ne deliramentis, somniis, praestigiis, vanis observationibus, superstitionibus denique fides habeatur: ne sacra ullo modo despiciantur, Ecclesiastici viri omnes, sed paroeciis potissimum praefecti diligenter cavento doceantque Christianum populum, uni Deo vero, quem Latriam, B. M. Virgini, quem Hyperduliam, ceteris Beatis, quem Duliam vocant, cultum deberi.

CAPUT II.

De Doctrina Christiana.

I. Quod ad Doctrinam Christianam pertinet, quam qui ignorant, iis inanis, et infructuosa fides est, Paroeciis praefecti singulis diebus Dominicis diligenter, clare, aperte populum doceant; atque in primis pueros, et rudes homines festis omnibus diebus, et singulis etiam quadragesimis feriis, aetate maxime idoneos ad sacram communionem parandi causa instituant: libellum a Nobis praescriptum prae manibus habentes, et nihil immutantes, nec ad alia transeuntes, antequam prima probe sciri, et intelligi constet: classes distribuant: Religionis praecepta pueris lactis instar, et potus in-

stillent, grandioribus aetate tanquam panem frangant: moneant patresfamilias, ut liberos, omnesque ex familia sua jubeant convenire; si secus fecerint, negligentiae ultorem, et vindicem severissimum Deum futurum.

II. Si quem duriorem, annisque graviorem cum pueris interesse pudeat; is ut commodius erudiatur, intra domesticos parietes advocetur.

III. Hoc autem parochorum tantum munus esse ne putent, qui sunt a Sacellis campestribus, vulgo Capellani, caeterique sacerdotes, et clerici; qui, nisi se quoque perfunctos fuisse, et perfungi testimonium adferant, poenas, quae nobis videbuntur, dabunt: quemadmodum etiam graviter puniendus erit, si quis fidelium summa nostrae Religionis capita ediscere negligat: ei nempe Sacramentis interdicendum, nec infantes e sacro fonte suscipere, nec Matrimonio conjungi permittendum, dum in ignoratione versatur.

IV. Sicubi sacerdotes, et clerici desiderentur ad hoc officium obeundum, pueros nimirum in fidei rudimentis instituendos, homines probatissimi, ac patientissimi a parochis deliguntur.

V. Ut tandem omnes eodem conspirantes aliquid in communem fructum adferant, probatissimorum hominum quam Doctrinae Christianae appellant, legitime instituta societas maneat, et vigeat: quasque indulgentias sodalibus Pius V. P. M. impertitus est, fideles doceantur.

CAPUT III.

De Sacramentis in universum.

Quam caste, integre, pie, ac diligenter ab animarum rectore, sive ab alio Sacerdote facultatem habente, veste talari, superpelliceo, et stola induto, Sacramenta sint administranda: qua animi munditie, ac demissione, quam modesto corporis cultu: quibus temporibus suscipienda: quae eorum materia, ac forma: quam saepe, et aperte dignitas, praestantia, utilitas, et necessitas, caeremoniarumque significatio sit explicanda: qui ritus servandi etc. Cum haec omnia Rituali Romano contineantur, ne eadem excribendo decantemus, illud tantum admonendum videtur, hunc librum frequenter legendum esse, apud se, et in administratione prae manibus

semper habendum, in eoque praescripta cuncta accuratissime servanda. Agitur enim cum de Sacramentis in universum, tum speciatim de Baptismo, de Poenitentia, de Eucharistia, de Extrema Unctione, (Oleum Sanctum ad Aram majorem custodiendum esse ad cornu Evangelii satis compertum putamus) de aegrotantium cura, et Matrimonio.

De Baptismo, et Extrema Unctione nihil omnino est, quod ibi desideres. De caeteris singulis, iis omissis, quae inde petenda diximus, pauca persequemur.

CAPUT IV.

De Confirmatione.

Quod ad Confirmationem, discant populi, per hanc charácteri aliorum Dei characterem militum addi fidelibus Christum Jesum voluisse; quo divino praesidio fulti, fortiter pravis cupiditatibus obsisterent, ac pro Religione pugnarent. Discant hujus quoque Sacramenti vim, necessitatem, effecta, et caeremonias, moneanturque parentes, suam esse curam debere, ut liberi septennes prima data occasione sancte, ac religiose hoc Sacramentum suscipiant. Sacramentum conferens episcopus, suscipientes, ac sponsores in codicem referantur; quamque hujus officii vi cognationem contrahunt, doceantur.

CAPUT V.

De Poenitentia.

Qui a Baptismo in peccata labuntur, pro iis Christus Jesus Poenitentiae Sacramentum instituit, quod Sancti patres secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam nuncuparunt; qua arrepta enatantes homines salvos in tutissimo salutis portu se collocent.

I. Hic primum sacerdotes omnes cohortamur, et obsecramus, ne potestatem in solemni manuum impositione consecuti, jurisdictionem exercere negligant; sed purissimis e fontibus haustae doctrinae, virtutumque, necessaria sibi praesidia comparantes, huic ministerio idoneos se reddant; petitamque

confessiones excipiendi facultatem adepti, et medici, et judicis prudenter, utiliterque personam sustineant. Quibus enim facultas jam data confirmanda erit, ii parochi, vel praepositi, si cui religioso ordini addicti fuerint, testimonio diligenter, ac laudabiliter officio se functos esse comprobabunt.

II. Siquis sacerdos alius a parocho aegrotantis confessionem exceperit, ante, vel post, extemplo parochum, cujus est caetera Sacramenta ministrare, verbo, aut scripto certiorem faciat; quod si neglexerit, tres menses a sacris interdictum erit.

III. Si poena pecuniaria imponenda videatur; ne sumat sibi largiendam, nec eleemosynas quidem ad templum suum, aut collegium deferendas curet, omnia permittens poenitentis arbitrio, ne quid sua causa facere videatur.

IV. Conscios, aut participes in re venerea meminerint omnes hjusce Sacramenti ministri absolvendi sibi facultatem sublatam esse, ac praeterea gravissimas poenas dandas, nisi in mortis articulo, deficiente quovis alio sacerdote etiam non approbato, aut quum sine gravi infamia, et scandalo, alios arcessi non possit.

V. Nullus denique sacerdos vel *saecularis*, vel *regularis*, nisi cui hanc potestatem fecerimus, audeat quemquam absolutum dimittere ab iis criminibus, quorum absolutionem nobis reservandam existimavimus, quaeque sequenti tabella continentur.

De coeteris, quae multa sunt, vide, et perlege ritualem, et egregia S. Caroli Borromaei documenta conscientiae moderatoribus scripta.

Culparum absolutio reservata in jurisdictione abbatiali.

I. Blasphemia haereticalis etiam semel prolata, et quaecumque alia gravis post tertiam vicem. Abusus rerum sacrarum ad superstitiones.

II. Maleficiis matrimonialem copulam impedientes, et hoc mandantes, vel consulentes.

III. Homicidium voluntarium, quod quis sive per se, sive per alium perpetraverit. Abortus quoque foetus sive animati, sive inanimati, etiam irrito effectu, tentatus.

IV. Detentio infantis anno expleto minoris in lecto absque cautela.

V. Pessima, horrenda scelera bestialitatis, aut sodomiae, tam activae, quam passivae.

VI. Copula inter sponsos, et sponsas ante contractum matrimonium per verba de praesenti.

VII. Consentientes prostitui filias, sorores, aut uxores.

VIII. Incestus inter consanguineos in primo, et secundo gradu; inter affines in primo gradu.

IX. Indigenae, qui ludis, et compotationibus in popinis, et cauponis vacaverint die festo, dum in parochiali Ecclesia solemnis Missa parochialis, aut Vesperarum officia celebrantur, dum verbum Dei populo annunciatur, vel cathecheses habentur, vel christiana Doctrina explanatur, et caupones, qui ipsos eodem tempore indigenas exceperint.

X. Bonorum ad Loca Pia spectantium conversio in proprios usus ab administratoribus facta, si, anno expleto, integre non satisfecerint, vel si requisiti administrationis suae rationem non reddiderint.

XI. Qui sine justa caussa Legatorum Piorum solutionem diutius anno potraxerint, et notarii hujusmodi legata post sex menses ab obitu defuncti non manifestantes.

CAPUT VI.

De Eucharistia.

De augustissimo Eucharistiae Sacramento, quo Christus Dominus omnes immensae bonitatis suae thesauros effundens ipse se bonorum omnium auctorem inaudito mirificentissimo amoris exemplo nobis donavit, et in cibum et potum tradidit, haec tenentor.

I. Nusquam alibi, quam in paroeciis, aut *regularium* templis utriusque sexus, et ad Altare majus liceat Eucharistiam asservare, eaque populo benedicere, neque mane ante diem, neque vespere post dimidiam noctis horam, neque bis, aut pluries in diem, nisi ad aegrotos deferatur, aut pro moribundis ante SS. Sacramentum fundantur preces, tunc enim populus cum benedictione dimittitur.

II. Nec usquam alibi, quam in paroeciis Paschalis die

Eucharistia dispensetur. Qui secus fecerit, sentiet se contra leges fecisse.

III. Praeceptum de Paschali Communione in sua quisque paroecia Dominica Passionis parochus populo promulget, ac poenas Ecclesiae imperium detrectantibus propositas denuntiet. Ipse Pastor tum temporis per se ovibus suis sacrum Christi Corpus dispenset, si per numerum liceat; neque ullo modo patiatur, quemquam pasca celebrare extra paroeciam, nisi nostra facultas accesserit. Singulis ad Eucharistiam accedentibus per ministrum probatae fidei schedulas distribuat; ipse interim Eucharistiam ministrans lustret, num adsint, qui negligentiores habentur. Tum exacto paschali tempore traditas schedulas ostiatim repetat ab iis etiam, qui non data opera tempore paschatis a paroecia abfuerint, laturis testimonium sumptae Eucharistiae a parocho, penes quem id tempus transegerint: Quos vero constat per schedulas, aut aliam quamvis rationem praecepto non obtemperasse primum privatim moneat semel, iterum, tertio, pluries, acriter instet, objurget patiens, vehemens, eorum salutis studiosissimus: deinde si operam perdiderit, ter publice, neminem vero nominans, moneat; quod si toto exacto tempore non obediverint, ad Nos eorum nomen deferatur.

IV. Adolescentibus, qui aetate, institutione, rerum huc pertinentium scientia, praesertim quadragesimis feriis probati fuerint idonei, ut ad hoc Sacramentum accedant, parochus quoque ipse in paroeciam coactis Jesu Christi Corpus dispenset, ante, et post communionem adhibitis precibus, iisque Deo commendatis, et monitis, quo animi sensu sit accedendum, quo discedendum, atque eos quidem ita paret ad Sacramentum pie, religioseque suscipiendum.

V. Ubi SS. Sacramentum exponatur, apparatus sit hujusmodi, qui religionem, pietatem, reverentiam excitet. Sint cerei saltem XII. singuli pondo semisses: sex vero, ubi proponitur incendiorum, aut tempestatum causa, quod tunc fit tabernaculi tantum ostiolo aperto. Duodecim, vel minimum sex cum duobus, aut pluribus luminibus, ne extinguantur, in laternas inclusis, quando ad aegrotos deferendum est. Quo tempore ut populus frequentior SS. Eucharistiam prosequatur, parochis opera danda est, ut SS. Sacramenti societas in dies magis vigeat, populusque docendus, quam multa in eam societatem

beneficia summi pontifices contulerint, et indulgentias praesertim a Paullo V concessas. Quod dominica infra octavam Corporis Christi omittendum non erit.

CAPUT VII.

De Sacrificio Missae.

Ut in Sacrosancto Missae Sacrificio, quod unum, et idem est habendum, atque illud, quod in cruce oblatum fuit, omnia, quantum in homine situm est, pro rei majestate peragantur, quae sequuntur edicenda existimavimus:

I. Ac primo quidem in templis, sacellis, *Oratoriis*, Altaribus, ubi sacra fiunt, nihil desit eorum, quae faciunt ad elegantiam, dignitatem, atque amplitudinem. Eodemque numero habeantur sacraria, Ecclesiae partes, ubi nihil sordidum, nihil sanctitate indignum feratur. Inde repellendi qui galeriti vel ingredi, vel stare audeant, quique conveniunt confabulaturi, pessimo exemplo, quo tempore sacra fiunt, aut publicae preces funduntur. In his crucifixi imago, scabella, ubi in genua procumbas, precum tabulae, armaria, quibus sacrae vestes, caeteraque instrumenta condantur, suo quaeque loco posita sint. Adde et lavacrum, et appensam mappam, ubi abluantur, et abstergantur ferentes vasa Domini.

II. Quae vero sacerdotes sacra facturos propius attingunt, iis major insit mundities, et nitor, ac vestes quidem, caeteraque ornamenta, quae varia esse debent pro temporum varietate, ne sint maculosa, neque sordidata, neque lacera, neque attrita. Siquae vestes nulli amplius sint usui, his e medio sublatis, combustisque, cineres in Sacrarium projiciantur. Urcei etiam in ferculis locandi, identidem loti sint. Aurum calycis, et patenae, si usus attriverit, iterum inaurentur: tabula marmorea, vel lapidea, quam altare portatile vocant, integra sit, tela cerata involuta, ita mensae apta, ut quantum pateat manu sentiatur, itaque ampla, ut ea calyx, ei hostia commode contineantur. Omnia postremo, quae ad exteriorem cultum, atque ornatum pertinent, diligentissime comparata sint. Instrumenta vero ex Ecclesiae lege rite consecranda, cujusmodi sunt calyces, patenae, tabulae marmoreae, vel lapideae, videant Ecclesiis praefecti, ne adhibeantur, nisi a Nobis, vel alio viro episcopali charactere insignito consacrata fuerint.

III. Ipsi autem sacerdotes sacra operaturi, rei peragendae amplitudinem, ac dignitatem mente contrectent, atque animo reputent, ad quod divinum opus sint adgressuri, etiam atque etiam cogitantes, se Christi Domini personam gerere, atque esse inter Deum interpretes, et hominum genus. Quare adsint paratissimi, persolutis saltem matutinis precibus, et laudibus: et sacrarium ingressi non quaerant, quid audiatur de rebus profanis, sed precibus adhibendis tantum temporis tribuant, quantum necessarium est ad animum rebus Divinis inflammandum. Tum ibidem, non autem prae altaribus, induti, leni incessu, vultu composito altare adeant, tantumque in re sacra peragenda tempus impendant, quantum requirit verborum omnium distinta lectio, rituum observatio, ac decorum. Si quis festinatius id peragat, ut sacro faciundo tertiam saltem horae partem non concedat, aut quovis alio vitio quid peccet in hac re, ab ecclesiae praefecto moneatur: si tamen in errore perseveraverit, homo nobis indicetur, qui huic malo salubrem, ac praesentem medicinam adhibeamus. Re divina facta, positis vertibus, D. O. M. pro tam singulari beneficio gratiae aguntor: menti obversantor sanctissima Religionis capita: mens, animus Christum spectato, Christo supplex esto, in Christo conquiescito.

IV. Quisquis sacerdos clericalem coronam non habeat, capillos scilicet in vertice circumrasos: quisquis crines alat ad humeros propensos, aut olentes unguenta, et pulvere cyprio largius conspersos, et calamistratos: quisquis adscititios capillos, et fictam caesariem capiti aptam habeat sine legitima facultate, aut ad altare accessurus annulum gestet, ab altari prohibeatur. Ac ne vitando hoc vitio in contrarium curratur; facessant etiam qui horrentibus, incomptisque capillis stomachum movent. Sit modus, et simplex mundities. Vestis induatur domi ad talos demissa; nec quisquam audeat breviorem vestem indutus altari se sistere: neque Aedituus, aut Ecclesiae praefectus quemquam talari veste non indutum patiatur ad altare accedere. Si secus fecerint, vel semel, uterque tum sacerdos, tum Aedituus, aut Ecclesiae praefectus tribus aureis mulctabuntur conferendis in alendos pauperes cujusque paroeciae. Excipe tamen hospites iter facientes, quibus licebit epitogium, vel tunicam ad talos demissam per triduum utendam dare.

V. Exteris, ignotis, et vagis nulla etiam in Ecclesiis *Regularium* potestas esto sacrum faciendi, nisi a suo quisque antistite legitimum testimonium, quod Nos jam ratum habuerimus, exhibuerit: eodemque loco habeantur iter faciente, nec probe noti, qui idcirco litteras Vicario Foraneo, aut saltem parocho proferant, antequam in ulla Ecclesia audeant sacris operari. Qui contra fecerit, fierive passus fuerit, pro rei gravitate poenas dabit.

VI. Recens initiati sacerdotes item non audeant sacrum facere, nisi scripto impetratam a Nobis facultatem ostendant; quae iis tantum dabitur, qui rituum, ac caeremoniarum scientes se Nobis probaverint. Primum autem sacrum facientibus ne liceat quemquam patrinum, quod ajunt, adoptare, nec epulum dare, nec in templo populum salutantem admittere. Tollantur persici apparatus, et levissima quaedam officia, quibus nonnullus odor quaestus inesse videtur.

VII. De eleemosynis, quod Sanctissimus Pater Benedictus XIV censuit, decrevit, conscivit, id omnino teneatur, ut illae habeantur, quae ex cujusque loci consuetudine obtinent quasi locum taxationis. Ex quibus pecuniis nemini liceat quaestum facere. Quod teterrimum scelus Summus Pontifex detestatur; et laicos hoc peccantes *excommunicationis* sua tantum auctoritate remittendae, sacerdotem vero *suspensionis* ipso temporis puncto incurrendae fulmine tangit: idemque eos, qui accepta pecunia, ubi largior est eleemosyna, apud alias gentes, ubi parcior est, curant missas celebrandas. Utrique enim mercaturam faciunt religioni injuriosissimam. Quumque sacra ab indigenis potius, quam exteris sacerdotibus celebrari oporteat; videant, quam aeque, et prudenter faciant qui ingentem missarum numerum cuipiam hominum generi celebrandum committunt, quibus mos est earum, vel millium onus suscipere: quae si intra certum tempus celebrari debent, fieri non potest, quin eleemosynae (quotae autem!) ad alias vel dissitas gentes commigrent. Qua in re ut omnis vel minimae suspicionis aditus intercludatur, codex acceptae elemosynae, factorumque sacrorum sit penes quemque sacerdotem, alter penes Ecclesiae praefectum, in quem sacra facienda in quaque Ecclesia, sacerdotis sacris operati testimonium ejusdem manu, et eleemosynae in dies a fidelibus de manu datae tempus, et persona ejus, per quem factum sit satis, omnia, et singula distincte referantur. Qui

codices etiam penes singulos asserventur, et sint in promptu, si quando Nobis sint exhibendi. Postremo sacerdotes non plus sacrorum faciendorum suscipiant, quam quod brevi tempore transigi possit, nisi prius fideles pecuniam eo conferentes monuerint.

VIII. Jam vero de Missarum applicatione audiendus omnino idem Beatissimus Pontifex, qui jubet pastores animarum singulis diebus Dominicis, et festis ab Ecclesia indictis sacrum facere pro populo, nihil inde pecuniae, nihil eleemosynae accipientes. Nemo ex iis, neque Vicarii sive perpetui, sive ad tempus, neque Oeconomi Ecclesiarum, quum vacant, ac lege solvuntur quoquo se verterint. Idem dicendum de missa *conventuali* in Collegio pro benemerentibus in universum singulis diebus applicanda. Cui rei non fit satis neque faciendo sacro pro certo aliquo benemerito, neque precibus quibusdam adhibendis generatim pro benemerentibus, neque anniversario sacro statis diebus pro iis peragendo, neque missa ex vi oneris impositi celebranda. Siquis vero duplici officio fungi debeat, aut vi beneficii, aut quod canonici dignitatem accedat animarum cura; is missam conventus, seu Collegii nomine suo die pro benemerentibus applicet, sed per alium sacerdotem, qui suam vicem gerat, diebus festis sacrum etiam fiat pro iis, pro quibus ipse debet in primis celebrare.

IX. Huius oneris rem divinam faciendi diebus festis pro populo in Paroecia, et quotidie pro benemerentibus in canonicorum collegio, exstet in singulis Sacraris monumentum, prolata nempe tabula, qua omnia onera missarum, anniversariorum sacrorum, rerumque caeterarum, quae peragendae sunt, persolvendaeque a canonicis, parochis, presbyteris, contineantur. Quae res item in codicem referantur, ac singulis respondeat testimonium cujusque rei peractae, et persolutae manu ejusdem sacerdotis cujus est peragere atque persolvere. Onera autem faciendi sacra in perpetuum tempus, et siqua sunt alia, nulla omnino canonici, parochi, aliiquo Ecclesiis praefecti suscipiant, nisi nos probaverimus.

X. Parocho sacrum faciente diebus Dominicis, et festis, sacerdotes caeteri, neque in eadem paroecia, neque ulla alia in Aede oppidi, aut pagi sacrum facere audeant, imo neque ubi datum fuerit signum missae parochialis; sed tandiu differatur, dum parochus sermonem habuerit ad populum.

XI. Festis diebus in sacro faciendo ordinem etiam requirimus a sacerdotibus adhibendum, et perpetuo servandum, ne populus ansam arripiat a paroecia desciscendi. Haec autem erit ordinis ratio in omnibus Ecclesiis, ut non plures festis diebus sacerdotes eodem tempore sacris operentur; primis autem locus iis semper esto, qui confessiones excepturi sint, nisi Parocho aliter visum fuerit; caeteris vero diebus dator opera, ut ab aliquo sacerdote sacrum fiat summo mane, quo opificum commoditati, et religioni serviatur.

XII. Haec de sacerdotibus. Caeteros fideles parochus moneat, ut quisque quum primum ratione valet, diebus festis sacro intersit: hortetur etiam, ut singulis diebus adsint, eosque excitet explicandis tanti sacrificii mysteriis, ritibus, et fructibus, qui uberrimi inde percipiuntur, deinde ut intersint, et attendant, qua religione oportet esse christianos homines, et quidem intra templum non in foribus, non extra limina, nisi loci angustia coacti. Tum viri sint capite aperto, mulieres velato, et a viris secretae, quantum fieri poterit, omnesque ita compositi toto corporis cultu, ut religionem praeseferant, genibus flexis, nisi quum legitur Evangelium. Nemo tam prope ad altare accedat, neque in ejus gradibus haereat, ut sacerdoti sit vel levissimo impedimento: inde omnes ac praesertim mulieres jubeantur recedere: denique ne ante discedatur, quam sacerdos, ubi populo benedixerit, Evangelium absolverit.

CAPUT VIII.

De Ordine.

I. Qui in clericorum coetum adscribi velit, illi, nisi totius ejus vitae honestatem, et integritatem parochi, ludimagistri positam in studiis diligentiam, docilitatem, et egregiam indolem testentur, persuasum sit, se voti compotem nunquam futurum: ac si indutas clericales vestes semel immutaverit, iterum sumere non licere, nisi a nobis iterum facultate impetrata.

II. Qui vero in clericorum numerum adscribi dignus visus fuerit, in eorum tabulam relatus in Ecclesia nostra abbatiali affigendam, iis quae ad Divinum cultum, et sacra

pertinent, in templo, cui addictus fuerit, operam dabit. Ad poenitentiae, et eucharistiae sacramenta singulis mensibus saltem semel accedet: diebus festis parochum concionantem audiet: eucharistiam, aut extremam unctionem ad aegrotos deferenti praesto erit. Hujus fere tyrocinii triennio exacto, si suis muneribus diligenter perfunctum fuisse constiterit, ac patrimonio, vel sacerdotio, vulgo *beneficio* (quod alienare, extinguere, commutare, resignare, remittere nunquam, nisi per nos licebit) praeditus fuerit, prima tonsura initiatum iri sperare licebit.

III. Ad ordines ascendendi Clericis haec erit via, et ratio. Post philosophiae minoribus, post theologiae curriculum in Seminario nostro confectum, triennio sequente, quod ibidem disputationibus de morum doctrina impendent, stato tempore sacris majoribus ordinibus initiabuntur; loquimur de iis, qui operam navasse, ac profecisse, nec ea, quae ad ordinem, quo initiandi erunt, pertinent, se ignorare probaverint. Caeteros vitae genus mutare jubebimus. Singulis enim quibusque annis, et ante ordinis collationem studiorum suorum periculum facient. Neque procul ab Abbatia ad studia se conferre, nisi per nos, licebit. Decem praeterea dies Divinarum rerum contemplationi tribuentur: et accedent parochi litterae tribus diebus festis intra missarum solemnia initiandi nomem denuntiatum fuisse, nemine intercedente, et caussam probabilem adferente, qua initiatio jure impediatur. Ad subdiaconatum promovendus, quae sacerdotis dignitas postulat, se perpetuo facturum in curia nostra fidem obligato. Litteras tandem dimissorias initiandi impetrabunt, et ordinis suscepti intra quindecim dies testimonium exhibebunt.

IV. Jam vero ad ordines minores revertamur. Quamquam Dei nomine nequissimos Spiritus adjurandi ab exorcistarum ordine potestas existat; nemo neque clericus, neque sacerdos etiam *regularis* ea utatur, nisi per nos iis liceat singulis in casibus, quorum volumus certiores fieri, ne tanto jure, in quo singularis prudentia, doctrina, gravitas, aetas matura, morum integritas requiritur, ad quaestum, aut ad fovendam otiosorum hominum superstitionem quis abutatur. Quamobrem parochis etiam mandamus, ne quemquam illa uti patiantur e sacerdotibus exteris, etsi a suo antistite ei facultas data sit.

CAPUT IX.

De Matrimonio.

I. De matrimonio, quo Christi cum Ecclesia castissima conjunctio, ac perpetua consensio significatur, de vi, et natura sponsalium sermonem habens parochus, praeter caetera, populum doceat, rem agi gravissimam, nec nisi cogitato suscipiendam: inter sponsalia, et nuptias intervallo futuris conjugibus orandum, christianas virtutes exercendas esse, quibus Deum sibi concilient in eo vitae genere, quod sunt ingressuri: qui futurum matrimonium diuturnorum amorum caussam praetexunt, eos in periculo versari: sponsalia, et matrimonium quamprimum ineunda: a sponsione ad matrimonium longum temporis spatium non interjiciendum: sponsalia, nisi duo testes intersint, et eodem parentum, aut eorum locum obtinentium consensus accedat, Nos minime probaturos, nisi quaepiam gravis ratio aliter suadeat: neminem sine parochi testimonio, et sine gravi caussa unius, aut duarum, nec sine gravissima trium denuntiationum legibus solutum iri. Quod testimonium parochus gratis dabit.

II. Parochus autem non ante denuntiatione aggrediatur, quam inquisiverit de summorum christianae doctrinae capitum, sive praecipuorum mysteriorum scientia, qua contrahentes instructi esse debent. Det operam, ut homines aetate graves, moribus integri, genere proximi sponsam velato capite, et verecundiam praeseferentem ad sacrum templum deducant, et eundo, et redeundo, quem christiana religio postulat, adhibeatur modus. Quid enim christianis hominibus indignius, quam vicos, fora, aedes strepitu, et insanis clamoribus personare.

III. Parochus ipse per se, nisi gravissima caussa impediatur, aut secus nobis visum fuerit, sponsos rite matrimonio (non autem diebus festis) jungat, horis matutinis in Ecclesia parochiali cum res Divina fit, ut ii non modo ex Sacramento, sed etiam ex sacrificio fructus uberes capientes, animis conjuncti, et charitate devincti, aetatem degant.

IV. Conjuges ante, vel post initum matrimonium hortetur, ut animis perpetuo consentiant, alter alterius onera

ferentes, socialis vitae inccommoda patientia leviora facientes, nullam inter se sibi injuriam facientes: quos susceperint liberos, statim ad sacrum baptismatis fontem deferendos curent: jam reddentes vocem, christianae religioni elementa doceant. Dent operam, ut integri vitae, ac sceleris puri adolescant: ne mares, ac foeminas, ubi adoleverint, uno lecto cubare patiantur. Haec demum, et alia moneat, quae sibi caritas, et prudentia suaserit.

V. Si quando vero, ut est hominum ingenium ad mala proclive, certamina, irarum dissidia, contentiones inter eos ortas exardescant; statim omnem operam conferat in eorum animos componendos. Si vero, quod gravissimum est, nulla legitima caussa nobis probata, alterum ab altero discedere contingat, nihil intentatum relinquat, usus etiam amicorum opera, qui apud eos valeant, ut redeant in gratiam, et in pristinae vitae consuetudinem. Omnibus primum tentatis, siqui perstiterint, atque obduruerint, ad Nos deferantur.

VI. Siqui demum, neglectis denuntiationibus, dolo circumveniant, aut vi cogant parochum eorum matrimonio interesse: aut repente se illi sistentes, mutuum consensum testentur; et ipsi, et testes consilium dantes, aut quoquo modo faventes, eodem temporis puncto affecti sint poena *excommunicationis*.

Haec pauca de matrimonio, caetera ex Conc. Trid. Cath. Rom. et Rituali petenda.

CAPUT X.

De sacrosanctis Templis.

I. Cum omnibus sacri templi, domus nempe Dei, domus precationum cultui, ornatui, atque elegantiae serviendum est; tum parochis in primis, et cuique Ecclesiae praefecto huc plurimum studii, operaeque conferendum, ut ibi tanta sit mundites, tantaque dignitas, quantam mysteria, et sacra illic peragenda ab homine religiosissimo postulare videantur. Quare templa frequenter verrenda sunt, pulvis inde excutiendus, sordes abstergendae, ac si intimi parietes nigrescant, iterum dealbandi. Sit nitor, munditics, ac necessaria suppellex singulis altaribus, quibus nemo adhaereat, nemo incumbat, ac praesertim mulieres longius inde absint: eaque, sa-

cro peracto, stragulo tegantur, ex omnibus aris tollantur umbellae, uni altari majori imponendae, ubi SS. Sacramentum asservatur. Pavimentum continens, perpetuum, et planum constet. Demum ipsae aedes sacrae, si vetustate labefactatae vitium fecerint, reficiantur: si ruinas facturae videantur, neque subveniendi sit facultas, funditus evertantur, et paroeciae in caementa jus esto.

II. Quamquam uni Deo sacra sunt templa; in singulis tamen ad altare majus exstet imago Divi, quem populi sibi patronum esse voluerunt, cujusque nomine templum nuncupaverunt.

III. Templa omnia immunia sunto, et soluta ab omni genere servitutis, ut non modo iter nullum pateat laicis e sua domo in templum per januas, sed neque prospectus per fenestras capiatur. Neque superne in fornicibus cubicula ad res profanas sint fabricata, et apta: fenestris inferioribus vitreis, aut saltem tela cerata munitis clathri objiciantur. Nova subsellia, aut scamna, si a Nobis non sit facultas ubi videbitur resignanda, ne ponantur, neque unquam proxima altaribus: ac si qua sacris rebus peragendis impedimento sint, loco moveantur: in templi vero aditu vas cum aqua lustrali nunquam desit.

IV. Januis necessarii pessuli, ac firmae serae aptae sint nocturnis horis etiam a *regularibus* claudendis, et sub auroram aperiendis; quibus nemo audeat quidpiam adfigere, nisi per Nos liceat, aut per vicarium *Foraneum.*

V. Praeterea ne domus Dei fiat spelunca latronum, absint a tanta religione loci, et ab ejus atriis profana colloquia, risus, susurrus, turbae. Facessant laicarum societatum conventicula: nihil agatur ibi in scaenis etiamsi ad religionem pertinens. Mendici stipem rogantes inde prohibeantur. Omnes denique habitu corporis ad modestiam composito intersint, perinde ac si praepotentis Dei majestatem oculis cernant.

VI. De locorum, ac personarum immunitate litteras Benedicti XIV P. M. ad calcem *synodi eminentissimi Ab. Milli* parochis videre licebit, ut intelligant, quid sibi agendum sit, quum laici judices rogarint de comprehendendis sontibus, qui in templum confugerint. Quibus cum potestatem facerint, continuo, ut iis litteris cavetur, juratam obligationem a *saeculari* curia scriptam sibi exhibitam ad Nos mittant. Quae

ubi desideretur, siquis comprehensus ibi fuerit, violatae immunitatis culpa in illis haerebit.

CAPUT XI.

De Indulgentiis, Sanctorum Reliquiis, et Imaginibus.

I. Quae sit parentis Ecclesiae mens de indulgentia, beneficio scilicet ab ea collato peccatoribus, quo iis par satisfactionis pro peccatis remittitur, parochi tradant populis, ac doceant, nisi eos vere poeniteat peccatorum, nisi justitiae Divinae satisfaciendi studio ardeant, et quantum in se situm est, faciant satis, nisi quidquid per Summos Pontifices praeceptum est iis, quibus bene fit, rite peragatur, hisce Ecclesiae beneficiis se uti non posse.

II. Novas indulgentias prodere in vulgus, ac fidelibus edicere, nemo sive *regularis*, sive *saecularis* sacerdos audeat, nisi facta a Nobis potestate. Parochi vero nullo modo patiantur a quibusdam erronibus turpis lucri caussa indulgentias numismatis, simulacris, aliisque signis adnexas venditari, et populum in fraudem induci. Id genus nebulones, si res postulet, etiam judicum *saecularium* auctoritate, et praesidio e paroeciarum finibus deturbentur.

III. Sanctorum reliquiis suum haberi honorem gravissimis ex caussis jubet Ecclesia. Namque ex iis corpora constitere, quae fuere templa Spiritus Sancti, quaeque olim excitanda, revocandaque ad vitam, in caelum recipienda sunt, et in regnum Dei, quod in aeternum constabit. Sunt testimonia fidei, monumenta virtutum, quibus Deo amici de hostibus triumpharunt. Quae porro nostra in Sede asservantur, eas S. Caroli Borr. (qui et quantus vir, Deum immortalem!) huc venit salutatum. Quamobrem officii nostri ratio etiam postulat, ut quaedam ad externum earum cultum pertinentia tradantur.

IV. Itaque populus a parochis doceatur, quo cultus genere prosequi reliquias debeat; quae thecis ex materia pretiosa, vel saltem ex ligno aurato apte compositis, quibus nitida crystallus adversa apta sit, conditae in loculo, seu armario, ut par est, ornato adserventur, adpositis cuique suis notis, et ipsi loculo litteris; *Reliquiae Sanctorum.*

V. Ubi inde promuntur fidelium pietati proponendae, id cum dignitate, cum luminaribus, ac legitimis caeremoniis fiat. Siquis porro reliquias e thecis expromptas, Nobis insciis, sibi vindicare, aut cuipiam dono dare ausus fuerit, non ibit impune. Novas autem reliquias, nisi litterae certae fidei nobis probatae sint, proponere nemini, ne *regularibus* quidem, fas esto. Authenticarum denique census sua cuique vasculo, seu thecae apposita nota, ac reliquiarum numero in singulis templis exstet. Haec de reliquiis.

VI. Sequitur, ut sacrarum imaginum, signorum, tabularum ratio habeatur, in quas intuentes fideles ad pietatem excitantur, et quorum vident effigiem, eorum cogitatione vitam suam, moresque componunt. Est enim, ait Gregorius Magnus, *pictura praecipue gentibus pro lectione, et quod legentibus scriptura, hoc idiotis praestat pictura cernentibus.* Quare imagines, et signa adeuntes homines, non lignum, aut lapidem, aut colorum temperationem, sed prototypa, quae iis referuntur, salutant, et colunt.

VII. Hinc aperte constat, quales esse debeant imagines, ut intuentium animus ad pietatem, et Divorum imitationem inflammetur. Quamobrem siquae sint temporis vetustate squallidae, et sordidatae, aut specie illiberali, aut minus honesta, aut profana, tollantur e medio, et comburantur. Si locus impediat, quominus quibusdam suus honor tribuatur, aut deleantur, aut honestiorem in locum tranferantur.

VIII. Ut autem suus sit cuique locus, nullae Beatorum effigies, cujuscumque solemnitatis nomine in altari majore proponantur, quum aut novendialibus precibus, aut ipso die SS. Sacramentum est exponendum: sed potius collocentur in quopiam altari minore, ne populus a cultu uni Deo debito per simulacra, et picturas avocetur.

IX. At vero ut omnis superstitionis aditus intercludatur, nemini liceat nova signa, statuas, tabulas sine auctoritate nostra, et legitimis ritibus in templo collocare, neque *regularibus* insolitas imagines, Nobis non dantibus veniam, proponere, ut Conc. Trid. decreto cautum est. In hisce autem rebus ne sit quaestus propositus, neque siquid a fidelibus dono datum est, id nobis inconsultis distrahatur.

X. Porro nulla hominum effigies, quacumque sanctitatis opinione, et fama decesserint, in templo ponatur, neque miracula nova in vulgus edantur, neque liceat po-

pulo eo salutatum convenire, antequam a nobis de tota re deliberatum sit.

CAPUT XII.

De ratione verba faciendi ad populum.

I. Verbi Dei praecones, sive parochi, sive alii, religionem, morumque doctrinam persequantur: e sacris litteris, Sanctorum patrum sententiis, atque decretis rem hauriant: verbis popularibus utantur: est enim in dicendo vitium vel maximum a vulgari genere orationis, atque a consuetudine communis sensus abhorrere. Ne a puris fontibus ad paludes divertant, res profanas, ineptias, nugas, exempla commentitia, seu potius aniles fabulas, portenta quaedam, et miracula ex incertioribus monumentis afferentes in medium: neque molli, ac delicato dicendi genere juvenentur. Ne sacrarum litterarum sententias, aut verba detorqueant, ne subtilius interpretentur, aut in iis explicandis nubes, et inania captent. Qui de rebus divinis ad populum dicentes patrio, et vernaculo sermone utuntur, rem valde accomodatam quibusdam praesertim locis eos facere constat, idque experientia confirmat. Sed maxime cavendum putent, ne, quod indignum est, abjectiora verba, et plebejum omnino loquendi modum usurpantes, se ipsi deridendos propinent.

II. Vitia, ad quae magna hominum pars se projicit, et malas artes exagitent, detestentur, neminem tamen ita describentes, ut a populo notari possit. Ne verbum quidem excidat, quod quis sibi dictum putet per injuriam, aut contumeliam, aut haberi possit loco maledicti: res ab audientium frequentia alienas, aut inutiles omnino praetermittant. De laudibus Divorum dicentes, eas potissimum virtutes persequantur, quas populus pro modulo suo imitari possit.

III. Cum nonnullos reperias, qui temere spem ponant in quibusdam externis pietatis notis, et indiciis, fideles moneantur, illa nihil habere praeter vim animum excitandi ad veram, solidamque erga Deum caritatem, ad quam nisi referantur, nullius momenti habenda.

IV. Praeter crucem, vel Jesu Christi cruci adfixi imaginem, nulla praeterea signa, statuae, tabellae ob audientium

oculos ponantur. Neque ad populum nocturno tempore conciones habeantur, nisi, caussa cognita, per Nos licuerit.

V. Quum autem in more positum sit, ut alii a parochis Oratores quadragesimis praesertim feriis religionis, atque animarum caussam suscipiant, ii omnes, sive *saeculares*, sive *regulares*, antequam dicere adgrediantur in Abbatia nostra, litteras, quibus constet, se Nobis probatos esse, parochis exhibento.

VI. Canonici in Collegium suum coacti sacris concionibus in feriis quadragesimis, quo habitu uti consueverunt in choro interesse pergant. Parochi denique superpelliceo induti adsint, et clerici omnes dedant aures Divinae legis praeconibus, ut ceteri fideles eorum exemplo excitati frequentissimi conveniant.

CAPUT XIII.

De Canonicis.

I. Nunc primum ratio nobis esse debet cum illo clarissimo patrum ordine, per quem a religione, pietate, sapientia, studio, caritate, vigilantia, et morum castimonia instructum Ecclesiae splendor maxime elucet: cum canonicis viris, inquam, quorum est venire in partem procurationis christianae reipublicae, seque praebere adjutores in omnibus, quae Divinam gloriam, et animarum salutem attingunt. Quod cum perfici sine exquisita doctrina cum pietate conjuncta non possit; ideo Pii VI P. M. auctoritate (rem collaudante rege nostro Augustissimo Victorio Amedeo) cautum est, ut ex competitoribus cuilibet Abbatiae sacerdoti, qui facto periculo se dignissimum probaverit, canonici munus deferatur.

II. Quae quum ita sint, quantum studii, et curae in iis adhibendum, quae postulat dignitatis gradus, in quo Dei consilium eos voluit esse collocatos? In iis autem censenda primo est psalmodia, quae probatissima erit, et salutaris, ubi diligentissime illa teneantur, quae S. Carolus de hac tam excellenti, et apta Deum conciliandi ratione litteris consignavit. Inde enim populus ad caelestia, divinaque excitatus ita commovebitur, ut olim D. Augustinus, cui compositae, gravesque psallentium voces lacrymas excusserunt: *Quantum flevi in hymnis, et canticis tuis suavesonantis ecclesiae tuae voci-*

bus commotus acriter. Confes. lib. 9. c. 6. Tantum autem fructum non liceret sperare, si quem majoris, minorisve emolumenti ratio, non quotidie, non singulis satis horis, vocaret in templum.

III. Itaque omnes, et singuli statis horis (quae constent ex tabella in sacrario adfixa Nobis probanda) sedulo atque impigre conveniant officium suum persoluturi. In chorum deinde coacti ad psallendum distincte, ac diligenter, non cursim, neque oscitanter Dei concinant laudes. Nemini liceat ibi privatim horarias preces recitare, neque aliorum librorum lectioni id temporis concedere, neque, quod gravius est, confabulari, aut dormitare, aut denique illinc nulla necessaria caussa in sacrarium discedere. Hujusmodi enim ito, reditio animum proderet res divinas fastidientem, et uni quaestui inde existenti inhiantem.

IV. Huc accedit procuratio diligens eorum, quae ad populi salutem necessaria, aut conducibilia esse videantur. Necesse est igitur praesto sint ministrando quovis tempore Sacramento Poenitentiae: parati sint ad facienda verba de religione, ejusque tradenda elementa, frangentes panem petentibus parvulis, aliaque obeunda, quae de sacerdotibus universis decreturi sumus. Haec proposita esse debent viris canonicis.

V. Non ita pridem suavissimas canonicorum constitutiones iterum typis cudendas curavimus eo consilio, ut iis etiam, atque etiam lectitandis quam diligentissime teneantur, quae decreta fuerunt. In quibus nonnulla ratione temporum immutata in majori luce collocanda esse videbantur, eaque propterea persecuti sumus litteris nostris in Acta *Capitularia* relatis IV. Cal. Jun. an. MDCCLXI. Siqua vero caussa oborta esse videatur, cur quidpiam aut rursus mutandum, aut confirmandum sit, intra sex menses, re ad Nos delata, dijudicabimus, quodque potius erit, statuemus. Interim collegii consuetudines, quae constitutionibus adversentur, abrogamus.

VI. Quod pertinet ad earumdem Const. cap. 7. §. *Haec autem*, canonicos etiam, atque etiam hortamur, ut lectioni sacrarum litterarum, et in primis novi Testamenti plurimum temporis, studiique concedant. Ex hoc fonte religionis doctrina petenda est: inde hauriendum, quod effundas, ubi agendum sit de rebus, quae faciunt ad christianae vitae ra-

tionem, omnemque solidam honestatem, ad quam sacerdos, et populus vocatus est. Quare per Deum immortalem sanctissimum omnium volumen nunquam, si fieri potest, e manibus deponatur, et pretiosissima Christi vox, ratioque doctrinae mentem, animumque purissima luce perfundat. Denique quod cap. IX. attingit, scholas, sive disputationes de morum disciplina, omnibus vehementer commendamus. Dici vix potest, quanta frugum ubertas ex sanioris doctrinae studiis existat, quam multae utilitates profluant in fidelium caetus. Qua in re ne latum quidem unguem discedatur ab iis, quae praecepta jam sunt. Omnibus ex clero huc (loquimur de menstruis disputationibus) tres circiter horae conferendae sunt, quum per mensem instituuntur; canonicis autem satis erit horae momentum, quum stato tempore habentur.

VII. Hactenus de constitutionibus canonicorum, quorum cura, et vigilantia non tantum oppidi Javeni finibus debet contineri, sed longe, lateque pertinere in universam abbatiam, ut omnibus, qui plus valent auctoritate, et doctrina, caeterisque egregiis artibus eodem conspirantibus, facilius, commodiusque divinus cultus amplificetur, et serviatur commodis, salutique animarum.

VIII. De comitiis statis diebus more majorum ineundis ut aliquid etiam dicamus; hic non perfunctorie, sed sedulo agatur de iis, quae collegii disciplinam, operamque Ecclesiae navandam pertinent, ut siquid ab institutis alienum, minusque probandum irrepserit, e medio tollatur. Qua in re meminerint caritatis, et prudentiae, ne cujus animus exacerbetur; sed illud intelligatur, rerum divinarum studium, malorum depulsionem, bonorumque amplificationem, praeterea nihil esse propositum. Quibus vero comitiis aguntur collegii bona, et commoda, caeteraeque rationes eo pertinentes, publicum decorum, atque utilitas prae caeteris valeat. Suam quisque dicat sententiam, animis omnium compositis, et consentientibus; qui si in diversa abeant, statim secreta suffragia ferantur, ut sine conviciis, et clamoribus omnis controversia dirimatur. Acta *Capituli* in librum referantur, et in tabulario, *Archivio Capitulari*, ut dicitur, diligentissime adserventur; eademque porro adhibeatur cura, ne cujusvis generis monumenta scriptave ad Ecclesiam, vel Can. Collegium pertinentia pereant, quae propterea in indicem reducantur,

ejusque indicis exemplar intra annum Abbatiali Curiae a Collegio tradatur.

CAPUT XIV.

De Vicariis Foraneis.

Cum nostra etiam in Abbatia sint prudentia, et doctrina praestantes viri e clero delecti, qui potestatem a nobis permissam gerentes intra praescriptos fines, onusque administrationis levantes, vicariam operam Nobis praebent; quibus propterea vicariis *foraneis* dictum est nomen, ad hos quoque sermonem convertamus.

I. Quisque vicarius *foraneus* videat, num parochi in conferendis Sacramentis, orationibus ad populum habendis, statisque diebus, et horis instituendis in religione fidelibus, quemadmodum nostris decretis cautum est, sedulam operam impendant: num paroeciae suae perpetuo adsint; num ejus beneficia, jura, bona diligenter tueantur: num clerici vitam omnem nostris praeceptis conforment, et impigri sint in faciendis imperatis. Nec modo dabit operam, ut per interpretes saepe edoceatur; sed etiam aliquando praesens cognoscet, quomodo se res habeant in sui juris Ecclesiis, num omnia rite fiant, num illa obtineant, quae de parochis, caeterisque sacerdotibus fuerint constituta, omniumque Ecclesiarum, personarum ex clero, bonorum, proventuum, fructuum cujusque Ecclesiae penes se censum habento.

II. Deinde cum recta clericorum vitae institutio ex rerum ecclesiasticarum scientia, doctrinaque in primis existat; det operam, ut qui mos in abbatia jam obtinuit convocandi singulis mensibus sacerdotes ad disputandum de morum doctrina, ac de conscientiae moderatione, is retineatur. Conveniant parochi, omnes sacerdotio praediti, confessiones audientes, sacerdotes a sacellis, caeterique, et clerici majoribus ordinibus initiati, quum feriis majoribus a studiis vacant. Atque in rebus inter ea subsellia proponendis, ac dijudicandis ad calcem Synodi tradita ratio adhibeatur.

III. Si dissidia, et lites oriantur, res amice componant. Quod ubi fieri nequeat, judex esto, in civilibus scilicet caussis ad forum ecclesiasticum pertinentibus ad summam qua-

tuor aureorum. Ubi vero de crimine agatur, nullam ipse habeat quaestionem, nisi id a nobis sibi mandatum fuerit. Si tamen res urgeat, tum sit locus quaestioni ad Nos quam primum deferendae.

IV. Siquis inter suos parochos morbo laboret, ejusque animae rationibus consulendum sit; eum statim adeat, pastorem agat, Sacramentis muniat, sacerdotem nobis probatum, qui parochi officio fungatur, designet, ubi nemo sit sacerdos vicarius parocho, cui ad extremum usque spiritum adsit. Ubi e vita excesserit, convocatis caeteris, qui circa sunt animarum pastoribus, ipse parochum agat, et nobis ejus obitu nuntiato, omnem supellectilem, litterarum monumenta, bona, res quoquo modo ad Ecclesiam, vel successorem pertinentes coram duobus gravissimis testibus jubeat accurate describi, indicemque loco tuto condat, Oeconomo statim committendum; idque sumptibus ejus, qui in demortui locum subierit. Vicario *foraneo*, et oeconomo tunc temporis servanda sub finem synodi proponemus. Nec liceat heredibus e vita functi domo quidquam auferre, sibique vindicare, antequam, omnibus inspectis, dijudicatum sit, quae ad paroeciam pertinere videantur. Quam in rem, si opus sit, legitimae potestatis vox, imperiumque arcessatur. Deinde sacerdotem jam ante probatum paroeciae praeficiat, dum a nobis oeconomus, si videbitur, designetur. Et in hoc negotio absentis vicarii *Foranei* vice parochus vicinior defungatur. Ubi vero neque vicarius *Foraneus*, neque parochus quisquam longi itineris, aut sontica caussa hisce rebus interesse possint, probatus sacerdos indigena, aetate gravior, ordine primus iis operam dabit.

V. Denique vicarii *Foranei* de Ecclesiarum statu, quibus praefecti sunt, Nos identidem certiores faciunto. Parochi autem, reliqui sacerdotes, et clerici omnes ex eorum provincia, eos, ut par est, colant, observent, eorumque dicto sint parentes. Qui contra fecerit, eum pro meritis accipiemus.

VI. Vicariis autem *Foraneis* liceat a culpis nobis reservatis, exceptis IX et X, caute tamen, et prudenter, absolvere, eamdemque potestatem parochis, et quibus videbitur sacerdotibus confessiones excipientibus communicare a dominica palmarum ad dominicam in albis *inclusive*, ut dicitur:

tum etiam quovis anni tempore, sed singulis vicibus, quum res postulaverit.

VII. Iisdem potestas esto in suo territorio indicendi publicas preces, videlicet pro infirmis, ad petendam pluviam, vel serenitatem, pro qualibet demum necessitate.

VIII. Et quando parochi caussa benedictionis vestium sacerdotalium frustra adirent quoscumque *regularibus* praefectos, quibus nulla est facultas benedicendi pro alienis Ecclesiis, nequid hac in re fiat contra ecclesiasticam disciplinam, potestatem nostram cum vicariis Foraneis ad quinquennium communicamus, quorum sit sacras vestes pro Ecclesiis in sua regione existentibus rite benedicere. Iisdemque plenariam indulgentiam in periculo mortis constitutis impertiendi copiam facimus.

IX. Clerico etiam, cui apud *laicos* judices in re civili testimonium dicendum sit, jurandi facultatem dare liceat vicariis, ubi diligenter quaesierint, num conveniant conditiones, vel caussae, quibus clerico jurare fas sit.

X. Siqua accidant impedimenta matrimonii, facultas iisdem esto conjuges liberandi in iis, quae pertinent ad jus petendi debitum, vota etiam commutandi, quae nobis licet commutare, sed intra fines suos tantum.

XI. Quidquid demum per nos abbatiae vicariis licet, id liceat et Javeni parocho, qui collegio praeest canonicorum.

CAPUT XV.

De parochis: De festis diebus: de jejunio.

I. Illud perpetuo praeseferat parochus, quam personam sustineat: quam gravis sibi suscepta provincia; cujus fidei animae pretium, videlicet Sanguinis Jesu Christi commissae sint. Eam rei christianae gerendae rationem persequatur, ut e vita excedenti liceat vere uti verbis Paulli Ap., suosque hisce extremis vocibus alloqui. *Vos scitis, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis . . . . quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, et docerem vos publice, et per domos.* Vitam suam ita instituat, ut habeant fideles ex omni

parte perfectum exemplar, quod intueantur, atque imitentur. Ita se gerat, ut omnium animos sibi conciliet, non elatus, non imperiosus, sed facilis, humanus, paratusque pro suis ovibus non facultates modo, sed etiam vitam profundere, pastorem bonum imitans, qui animam pro ovibus posuit. Ejus domus omnibus pateat; nulla sit acceptio personarum, nullum partium studium, nulla turpis lucri suspicio: omnes, quos potest, voce, consilio, manu juvet; operam, laborem, diligentiam omnem eo conferat, ut caste, sobrie, pie, sancte vivatur. Vae pastori, cujus incuria, et negligentia oves perierint. Sibi Ecclesiae administrationem commissam esse memor, ipse per se rem procuret, nisi legitimo impedimento cogatur vicario sacerdoti demandare, quem probatum a Nobis esse volums, aut messis copia plures operas postulet.

II. Hic autem primum omnium parocho designato provinciam suam, animarum scilicet curam suscepturo frequentes comitatus, pompam, lauta convivia prohibenda multis nominibus, ac maturo consilio existimavimus, tum monendum, ut meminerit, se sacrorum canonum decretis juberi, in sua paroecia perpetuo versari, neque solidum diem abesse, non ante probato sacerdoti commisso grege. Si procul plus triduum gravi de caussa exigendum sit, vicarius *Foraneus* potestatem facito; si vero plus octo dies, a Nobis deferenda erit. Siquis contra fecerit, non impune abibit.

III. Cum quotidianis precationibus sacrarum litterarum, Sanctorum Patrum, canonicarum sanctionum lectionem conjungat: cathechismum romanum evolvat, lectitet, ut in mente inhaerescat: optimorum librorum delectum. habeat; iisque immoretur.

IV. Cum autem christianae religionis praecepta tradere, et fideles ad virtutem excitare, proprium parochorum sit munus; singulis diebus Dominicis, et festis solemnioribus, frequentius etiam quadragesimis feriis, ubi sacri Oratores desiderantur, qua hora populus commodius adesse possit, concionem habebunt e lectis eo die Evangelii rem petentes. Statis deinde etiam horis post elementorum institutiones ordinatim de aliquo ethices christianae capite fusiori sermone disputabunt e sacris litteris, Sancti Patribus, e Catechismo Romano supellectili depromta. Neque ab hac populorum instituendi ratione ulla anni tempestate vacabunt. Festos dies, siqui sunt, praeter dominicum, et jejunia, aliaque scitu di-

gna, sacrum facientes die dominico antecedent: siqua mandata a Nobis habuerint, decreta nempe, indulgentias, litteras pastorales apertis, et popularibus verbis promulgent, et explicent.

V. Divina officia ita dispensent, ut magna festorum dierum pars pietati tribuatur; eoque tempore saltationes, ludos, circulatores, altercationes, confabulationes pro templo, compotationes in cauponis, et alia id genus, accito etiam judicum praesidio, si opus sit, tollenda pro viribus curent. Nec operis aliquid manu, aut arte fieri diebus festis, nisi gravem ob necessitatem permittant. Quo populus frequentior, ac saepius ad Sacramenta accedat, adsint summo mane (etiam profestis diebus, ubi res postulaverit) confessiones excepturi, easque identidem intermittant, sacrum Christi corpus distribuendi caussa.

VI. Cum formulae, precationes, ritus non probati parochorum opera tollendi, tum quidquid Ecclesiae auctoritate sanctum est, paragendum: festo videlicet purificationis die candelis, ineunte quadragesima cineri, dominica palmarum oleae ramis, pervigiliis Paschatis, et Pentecostes aquae solemnes caeremoniae adhibendae, eaque in templo distribuenda: hebdomada majore sanctissima humanae reparationis mysteria rite recolenda: fidelium aedes aqua lustrali adspergendae: quotannis fidelium census habendus: singulis diebus summo mane, meridie, et vespere signum dandum salutationis angelicae; singulis feriis sextis hora tertia pomeridiana Christi Domini supplicii, mortisque acerbissimae recolendae, prima noctis hora piacularium pro defunctis precum, docendique fideles orandi rationem, quasque summi Pontifices indulgentias impertiti sunt.

VII. Hic non omittenda vetus in abbatia nostra recepta consuetudo, ut vigiliis maximarum solemnitatum omnes in singulis paroeciis ad primas vesperas convenirent, quae solemni ritu canerentur, unde ad sequentem diem rite colendum, pieque celebrandum comparabantur; quare auctore, atque hortatore S. P. Benedicto XIV, aut eorum vicarii, aut quispiam alius iis deligendus sacerdos singulis sabbatis populum in templo convocato sub vesperam clara voce praeibunt meditatione persequentes opportunum aliquod religionis caput. Quae meditandi ratio cum fideles orandi modum edocebit, tum planiorem iis aditum faciet in diem posterum ad poenitentiae Sacramentum.

VIII. Moneant de persolvendis legatis piis, de restituendis ad Ecclesiae jura pertinentibus rebus: de scelere, quo se obstringunt qui quoquo modo regiis vectigalibus fraudi sunt, et detrimento: de poenis in foeneratores per sacros canones constitutis. De usuris, et illicitis contractibus. V. Benedicti XIV litteras ad calcem Syn. Em. Ab. Milli.

IX. Quoniam vero ad componendos fidelium mores plurimum confert cujusmodi sit clericorum vita; in hanc rem parochi diligenter inquirant, ac siquid forte censura dignum deprehendatur, comes, benigni, faciles, caritatis pleni, non difficiles, non imperiosi, omne studium adhibeant, ut sapiant, ac pro dignitate vitam constituant. Videant etiam, num sacerdotio praediti, sacerdotes a sacellis, templorumque curatores fidei suae commissa persolvant.

X. Quidquid pecuniae cum quadragesimis feriis, tum quovis alio tempore, sive in templo, sive per aedes coactum fuerit; in eo impendendo largientium voluntatis, ac pauperum inopiae ratio habeatur.

XI. Quumque parochis credita sint patrimonia pauperum, eorum calamitatibus, et angustiis ipsi prae caeteris commoveantur; et quidquid superfuerit (multa autem supersunt caritati) conferant in eorum vitam alendam, et sustentandam. Idcirco inopum, orborum, pupillorum, aegrotantium, qui ope indigeant, penes se censum habento, videntoque, qua ratione cuique subveniri possit. Et sicujus pudicitiae, famae, fortunis parentur insidiae, statim occurratur, Nobis etiam ubi res poscat consulendis. Congregationis, quae e caritate appellatur, quam religiosissimus, ac beneficientissimus Rex Nobis, et parochis commendatam esse voluit, commodis studiosissime serviant, caussamque tueantur. Siquid negligentiae, fraudis, aut artis malae irrepserit, neque monitorum suavitate quidquam proficiatur, rem ad Nos deferant, qui dabimus operam, ut per supremum Taurinensis Congregationis consilium remedium adhibeatur. Nec sinant quempiam, cujuscumque ordinis, aut societatis nomine, stipem rogare, nisi a Nobis facta potestate.

XII. Singuli parochi jubeant archivium, si nondum sit, seu tabularium sera, et clavi munitum aedificari in sacrario, aut suis aedibus collocandum, et diligentissime custodiendum. Hic omnia scripta ad paroeciam pertinentia, veteres, recentesque ejus codices, tabulae publicae, quibus proventus,

onera, privilegia, aliaque paroeciae jura contineantur, reliquiarum litterae authenticae, indulgentiarum diplomata, antistitum decreta, uno verbo quidquid litteris proditum est de rebus paroeciae, id omne condatur, summaque diligentia adservetur: et parocho supremum diem obeunte, clavis ab haeredibus vicario *Foraneo*, aut viciniori parocho, aut oeconomo concredatur, a quo successoris fidei integra omnia committantur.

XIII. Huc adde sigillum, cujus nota sit paroeciae patroni expressa effigies, quoque litterae, ac testimonia consignentur.

XIV. Intra sex menses harum rerum promulgationem consequentes parochi omnes, caeterique sacerdotio donati, sacerdotii sui annuum censum, decimas, canonicas pensitationes, fundos, et capita, item perpetua pia legata, res moventes, siquae sint, actiones, jura, onera, praediorum naturam, eaque suis regionibus definita, publicas de iis tabulas, vulgo *instrumenta* ordine describunto, et sine fraude ad nos deferunto. Harum rerum esto duplex exemplum, alterum in proprii templi tabulario, alterum in curia nostra asservandum.

XV. Monet hic locus, ut eadem bona a parochis et caeteris diligenter curari, et administrari jubeamus. Ecclesiae enim, et pauperum res aguntur, in quibus patrumfamilias animus ab iis est suscipiendus, quo ea pro viribus tueantur: dent operam, ut aedes integre constent: si vitium fecerint, si tempestatis vi, aut casu aliquo labefactatae ciderint, restituantur, reficiantur: arbores incaeduas, nisi potestas a Nobis facta sit, neque caedant, neque eruant: in demortuarum locum novellas sufficiant: denique fundos meliores faciant. Siquis harum rerum securus fuerit, is damnum praestabit. Sed universos hic montis volumus, ut in tuendo Ecclesiae jure agatur ex aequo, et bono, et modus in omni vita optimus adhibeatur; ne augendae rei cupiditati servire, et suorum commodis parum duraturis impensius studere videantur.

XVI. Singulis praeterea annis mense Januario quisque de suae paroeciae statu Nos certiores facito.

XVII. De jejunio, quod ante edicendum commemoravimus, saepe, praesertim vero Dominica quinquagesima, parochi disserunto, ejus utilitatem, ac rationem tradentes ex

pura, sinceraque Ecclesia doctrina, quae a christiana poenitentia abhorrent, explosis opinionibus. Doceant tria in hac re praecepta contineri, ut scilicet primo a carne edenda abstineatur: deinde semel tantum cibus adhibeatur, ut reficiantur vires: tertio hora stata sit, et certa comesturae: praeterea a jejunii lege nullo modo eos esse solutos, quibus propter nauseam in cibis ab Ecclesia definitis, vel aliam caussam, carne vescendi facultas data est, uti Benedicti XIV P. M. gravissima auctoritate definitum est: neque hisce licere carne vesci in vespertina coenula, vulgo *colezione*, re, et verbo veteribus christianis ignoto; sed eo utendum cibo, quo viri boni, religiosi, et frugi uti consueverunt: his denique etiam hora certa sumendum cibum carnem ipsam, piscibus abstinendum, et nefas esse promiscue utrisque dapibus vesci; pisces iis relinquendos, quibus ovis, et lacte vescendi facultas est.

XVIII. Qui caussa sontica a carne abstinere non possunt, quique vim legis imperantis jejunium etiam cum facultate effugiunt; ii etiam, atque etiam monendi, ut frequentioribus precibus, largioribus eleemosynis, solitudine, aliisque pie faciendis, peccata expiantes, quantum in se est, Divinae justitiae satisfaciant: inprimisque doleant, se in eum locum adductos, ut cum universa Ecclesia hac ratione Deum sibi conciliare non possint. Carne autem vescendi facultas a Nobis, vel vicariis *Foraneis* dabitur iis, qui infirmae valetudinis testimonium a medicis adtulerint.

XIX. Monitos etiam fideles volumus, siqui quadragesimis festis diebus sine gravi caussa inierint cauponas, post ejus temporis ita violatam sanctitatem, iis non amplius licere parochorum auctoritate adhibere cibos, ova, et lac, sed eam facultatem a Nobis petendam esse.

CAPUT XVI.

De vita, et officiis Ecclesiasticorum.

I. Quae ad Ecclesiasticorum vitae honestatem, et ordinis sanctitatem pertinent, ex sacrorum canonum, pontificum, et majorum decretis deprompta huc conferentes; a quibus cavere debeant, quae deinde diligenter persequi, paucis dicemus. Primum igitur ad ea, quae faciunt ad decoris, et di-

gnitatis conservationem, attenti animi teneantur, nequid audacter, temere, molliter, et delicate fiat, aut dicatur: ne ex verbis, ex ore, oculis, incessu, motu, statuque corporis in ullius animi vitii, ac praesertim incontinentiae suspicionem veniatur. Nequid sit imcompositum, inconditum, nequid argutum, fractum, molle, importunum. Nulla sit cum mulieribus consuetudo, nulla deductio, etiamsi cum iis communio sanguinis intercedat: neque officii ratio, aut aliae hujusmodi gerrae, tamquam honestae caussae praetexantur. Si rei familiaris ratio cogat alicujus opera uti, per Nos licebit natam annos quadraginta, et probatae vitae ancillam mercede conducere, quo nullus suspicionis locus relinquatur.

II. Nemo audeat alea ludere, aut ludis publicis interesse, aut cum collusoribus societatem inire: nemo, nisi gravior quaedam caussa urgeat, ad gurgustia, cauponas, popinas prandendi, coenandi, cibum sumendi, potandi gratia divertere. Qui imperium detrectaverit, ei sacris eodem temporis puncto interdictum erit: si clericus majoribus ordinibus initiatus, illi spes reliquorum ordinum sublata: caeteri e clericorum censu movebuntur. Si autem necessitate coactus, itineris videlicet caussa, quod tum solum tibi facere licet, eo diverteris; te videant sodales minime edacem, sed sobrium, qualem te semper esse Paullus jubet. Atque ob eam rem ne lauta convivia cum *laicis* ineas, ne intersis comessationibus, memor illius Hieronymi vocis dignae tanto Doctore: *Facile contemni clericum, qui saepe vocatus ad prandium ire non recusat.*

III. Quid loquamur choreas, spectacula, personas, theatra, aliaque id genus, ubi res ludicrae, amatoriae aguntur: ubi insani plures caeteros docent insanire? Illa omnino, quae inde existunt, curiositatem, levitatem, ineptias, jocularia, solutiorem risum, jubemus detestari, eorumque impudentiam detestamur, qui choreis interesse, aut in iis fidibus, vel tibiis canere, aut quasi choragos agentes, per summum dedecus iis audeant praeesse, aut aedibus suis illas duci patiantur. Nefas etiam habendum viris ecclesiasticis in plateas, aut officinas, aut siqua alia sunt loca publica, convenire horas fallendi caussa cum hominum grege: cum ineptis ineptire, cum loquacibus garrire, cum otiosis otiari. Arma praeterea, et venatio *laicis* permittantur.

IV. Turpe quoque lucro inhiare, animum ad quaestum adjungere, sive id per te facius, sive per alios ineunda societate, aut quoquo modo cum iis contrahendo. Turpe aliena procurare negotia. Prohiebatur haec omnis aerugo, uti sacris legibus sanctum est, poenis in eos, qui hoc peccarint, constitutis. Ubi tamen Ecclesiae, aut pupillorum, aut necessariorum inopum res agatur, causa cognita eorum curae suscipiendae potestatem faciemus.

V. In vestitu neque elegantia, neque sordes ferantur, sed modus adhibeatur. Is sit infra genua saltem protensus ex panno laneo nigri coloris, ne nigricantis quidem, nisi forte itineris caussa. Corona insigne ordinis, et fascia linea collum cingens, vulgo *collare*, perpetuo deferatur. In rebus vero sacris obeundis vestis sit ad talos demissa, neque unquam superpelliceo utaris indutus veste breviori, ne funere quidem procedente propter viarum difficultatem; sed tum extremam vestis oram lateri utrinque adnexam templum ingressus demittas. Qui secus fecerit, binis aureis multabitur pauperibus distribuendis.

VI. Huc accedat frequens opera in ecclesiis, quas quisque jussus est adire, officii, et ordinis caussa. Intersint omnes clerici statis supplicationibus, et festis diebus in sacris peragendis. Alii parocho operam praestant, alii a populo secreti in chorum conveniant; utque omnia, et singula rite obeant, et cum dignitate, sacros ritus, et caeremonias apprime calleant. Sacerdotes non festis modo diebus, sed et profestis frequenter sacrum faciunto: majoribus ordinibus initiati ad poenitentiae, et eucharistiae Sacramenta frequentius accedant. Quorum est matutinas, aliasque horarias preces dicere, attente, ac pie stato tempore suo fugantur officio, non labiis tantum, sed mente, animoque honorem Deo tribuentes.

VII. Sacerdotes autem quidquid a culpa vacare dicendi sint, siqui putent suum officium in faciendo sacro, et recitandis horariis precibus tantummodo contineri? Quanquam hoc spectavit Ecclesia, ut certis quibusdam delectis animarum cura committetur; hoc tamen etiam requirit, ut caeteri tanquam parochorum adjutores, et in eorum subsidium vocati, iis adsint in ecclesiastico ministerio: iis operam praestare debent in ministrando Sacramento poenitentiae, in faciendis verbis ad populum de religione, caeterisque officiis, quae caritas suadere videatur. Munus enim serviendi Ecclesiae non

ex censu, et stipendiis existit, sed ex ipsius Ecclesiae mente per sacros canones declarata, cujus imperio ad ordines admissi sese ultro subjiciunt, seseque spondent obtemperaturos. Quumque haec rite fieri non possint sine sacrae doctrinae studiis; ad haec propterea renuntiatis sacerdotibus omnes curae, et vigilae conferendae sunt SS. Patrum scriptis, Ecclesiae decretis, inprimis sacrarum litterarum monumentis diurna, nocturnaque manu versandis, seque tradendo in eorum disciplinam, quibus a Nobis negotium datum est, ut statis diebus de christianae aethices capitibus disputent, quaeque pertinent ad coscientiae moderationem diligenter excussa dijudicent. Cui rei egregie datur opera Javeni a canonicorum collegio statis diebus; tum in caeteris paroeciis semel saltem singulis hebdomadis privatim, publice vero singulis mensibus. A quibus disputationibus siquis abfuerit sontica caussa, de re proposita nihilo tamen minus feret sententiam suam, quae litteris consignata ad Nos mittetur. In his quoque quid per singulos mensens agatur, quis capiatur fructus, quis abfuerit, a parochis certiores fieri volumus. Sacerdotes autem tirones orationes habebunt de morum honestate primum in sacellis apud rudiores, si ita videbitur parochis, aut eorum vicem gerentibus viris, quibuscum ante, quam illae habeantur, communicatas volumus; deinde ubi fructus non poeniteat, apud majorem, lectioremque frequentiam.

VIII. Quisquis deinceps sacerdotio afficiatur, praeditusque sit, quocum animarum procuratio sit conjuncta; si in hac nostra Abbatia ritus, caeremoniae, officia eum non exercuerint; in nostrum clericorum Seminarium, aut apud parochum a Nobis designandum tantisper secedet, ut omnem hujus Ecclesiae disciplinam perdiscat, dum se probet idoneum ad omnia obeunda, quae gradus, et dignitatis ratio requirat.

IX. Monendum tandem superest, ut quoque saltem triennio semel vir ecclesiasticus in aliquas aedes sacras concedat, uni pietati vacaturus per dies decem, animaeque rationibus consulturus. Quisque etiam, atque etiam cogit, quid sibi, quid ordini, quid universae christianae reipublicae debeat. Ita fiet, ut omnes stultitiam detestantes, et ab otio, desidiaque longe abhorrentes, digni sint, quos Deus adsciscat, ut sibi sacerdotio fungantur.

X. Postremo nemo per ordinem adscriptus in paroeciam,

sive Ecclesiam nostrae Abbatiae audeat inde, vel ab ipsius Abbatiae finibus discedere, nisi a Nobis venia per litteras impetrata, ea lege, ut det operam, ut in singulos annos ea per Nos rata habeatur. Qui contra fecerit, media parte fructuum domestici patrimonii nullo tempore definito, statim mulctabitur, eaque conferenda in commodum congregationis caritatis apud suos. Neque clerici studiorum rationem ineant procul ab Abbatia, nisi prius Nos consuluerint, quo sciamus, ubi degant, quibus in rebus versentur, quibuscum vivant, et probatorum virorum in disciplinam eos tradamus, quos saepe adire jubeantur.

XI. Quae hactenus de sacerdotibus generatim dicta sunt, ea omnia et sacerdotio praeditis esse communia, nemo non videt; quibus et illud impositum onus, ut, quae sacerdotia sive jure communi, sive conditorum voluntate ab iis requirunt, omnia diligenter exequantur. In his censentur horariae preces etiam singulari lege rite recitandae, et usura bonorum ecclesiasticorum, quorum severissimo judici ratio reddenda est. Audiant S. Bernardum: *quidquid praeter necessarium victum, et simplicem vestitum, sacrilegium est.* Quidquid pecuniae in alio profunditur, id pauperibus per crudelitatem detrahitur. Licet iis uti ex conditione non generis, non saeculi, sed hominis viam religionis ingressi, penes quem quae esset apud *laicum* simplex mundities, ea luxuries est. Non ex cupiditate, sed ex caritate ratio vitae petenda, et componenda est, ut tibi parco supersit conferendum in alendos pauperes, non in augendas domesticorum fortunas. Testamentum faciendi data facultas fuit, ne locus esset litibus, quae idcirco apud Deum hoc peccantes non purgabit. Rebus suis mature prospiciant; et in eroganda stipe, pauperum ejus loci, ubi utuntur sacerdotio, primum omnium ratio habeatur.

XII. Singulis annis sacerdotio donati parocho, canonici vero Collegii Praefecto probabunt se omnibus satisfecisse, quae ab iis jus sacerdotii requirat; et boni patrisfamilias studium, curamque in tuenda bona contulisse. Denique intra quatuor menses a synodo promulgata omnia bona, census, jura, sua manu subscriptum in commentariolum relata, in Abbatiae tabularium mittenda curabunt. Qui secus fecerit, et mulcta dicetur nummi aurei persolvendi patriae caritatis congregationi, cujus dimidium in commodum pauperum clericorum, qui aluntur in seminario, conferetur.

CAPUT XVII.

De Capellanis, et sacellis campestribus.

I. Nemo sacerdotis a sacellis officio fungatur, cui a Nobis non sit data facultas singulis annis confirmanda ubi parochi, et praefecti conventibus habendis, de disciplina morum testimonio quisque Nobis omnia se imperata fecisse, et disputationibus de coscientiae moderatione frequentem interfuisse probaverit. Modeste propterea, graviterque se gerant, parocho adsint, ejusque onera ex parte allevent, ubi paroeciae ratio id postulare videatur. In suis sacellis sacra faciunto, non tamen (nisi certis, iisdemque gravibus caussis parochos licuerit) quum vota solemniora sunt; quo tempore paroeciam adeant, parochum verba facientem attendant, atque ibi sacris operentur.

II. Confessiones (si Nobis probati, neque parochus repugnet) excipiant: summa religionis christianae capita sua tradant; aegrotos frequenter adeunto, quoquo loco sint, ad parochum deferunto: adductis in vitae discrimen, animamque agentibus adsint, nihilque praetermittant, quod ad animarum salutem conducere videatur.

III. Parochos autem sacellis campestribus praeesse, atque in iis quo die votum solemne est, rem divinam facere, et ubi per Nos liceat, (numquam vero Dominico festo die) Sacramento Corporis Christi populo benedicere jus est. In quam rem pro more gentis ii conferent pecuniam, quorum est sacellorum hujusmodi bona curare. Quo quidem die ne vocentur qui tibiis, et fidibus canant, neque per speciem pietatis choreae, et spectacula producantur, etsi id sacellis bono futurum sit. Apage istam turpem artem quaestuosam, atque adeo malorum segetem; quod si vulgus choreas ducere, et ad popinas divertere pergat; summo mane sacro privato facto, sacelli fores claudantur, ac deinceps a rebus divinis illic vacet.

CAPUT XVIII.

De bonis partis vi sacerdotii, et de Patronis.

I. Quoniam de suppellectili, et caeteris bonis vi officii partis a parochis, et aliis sacerdotio praeditis, ubi universae terrae ingressi sunt viam, cum Pontifice Max. VIII. calend. Julii anni MDCCC. acta, transacta omnia fuere; quae spolia vocitare consueverunt; nihil est cur, de hac re agamus pluribus. Monitos tantum volumus quoscumque sacerdotio praeditos (sive assiduos esse lex jubeat, sive hac lege soluti sint) omnia bona vi dignitatis, seu muneris ecclesiastici comparata ad Ecclesiam pertinere, et in pias caussas esse conferenda. Procul, o procul a Nobis quorumdam pseudo-theologorum vox, seu potius deliramentum, qui ut fucum facerent, illuderentque non satis prudentibus, dissimilem fecerunt naturam bonorum genus aliud statuentes eorum, quae in Ecclesia collocarentur, aliud eorum, quae suo sacerdotes labóre perperissent, perinde ac si haec posteriora aliam a prioribus vim obtinerent.

II. Quo bona ejusmodi internoscerentur, hoc olim in more positum fuit, ut in codicem ordine referrentur. Verum non levia incommoda ex supellectili divendita, aut quoquo modo alienata, aut alia aliis suffecta ex aliis bonis inde coemptis, caeterisque id genus caussis profecta eam disciplinam sustulerunt. A saeculo duodecimo in piis caussis habebantur, quae testamento legata essent homini, qui suam saeerdotio praedito operam praebuisset; modo ne ea legata modum excederent. Hac vero aetate quum apud Nos testamentum faciendi libera potestas facta sit; haec tamen facultas certis quibusdam finibus circumscribenda est, ac revocanda ad conscientiae vocem, quae sacrorum canonum oraculis non obsurdescat.

III. Haec per Deum immortalem, ut sibi consulant, neque animam in sempiterni supplicii periculum adducant, haec, inquam, canonici, parochi, caeteri sacerdotio praediti diligenter attendant, resque suas mature faciendo testamento componant, ne, si forte intestati e vita excesserint, legitimi heredes proventus, ac fortunas Ecclesiae bonis partas, et bona paterna, ac domestica promiscua habeant. Illa enim in pia

opera conferenda esse eorumdem vis, ac natura luculentissime demonstrat.

IV. Norin et alii sacerdotes, se non esse ab hisce legibus solutos, si agatur de sacrorum, seu missarum eleemosynis. Auctoritas Ecclesiae audienda, et ratio ipsa sequenda est, jussa facessere tenebras usquequaque offundente cupiditate. Est enim et illud pretium peccatorum. Quare hoc pecuniae genere suam, aut familiarem rem augeri, penes Ecclesiam inauditum est.

V. Quando sermo institutus est de sacerdotiis, ordo doctrinae postulat, ut etiam ad patronos convertatur oratio; quos majorem in modum hortamur, ut in habendo sacerdotum delectu, quos nominare ipsis jus est, omnia diligenter circumspiciant, ac se gerant quam prudentissime. Etsi enim ab Ecclesia tanta iis facultas data sit, ut hoc ipso nomine cum sacerdotibus appellatis periculum suae doctrinae facientibus remissius agat; tamen hac in re eadem Ecclesia ipsa se totam patronorum fidei commisit, et credidit, in spem ingressa fore, ut, quemadmodum majorum pietas ei spectata fuit, sic nepotum integritas, ac prudentia in deligendis sacerdotibus nullo non tempore sibi probetur, et Deo, qui futurus est severissimus judex malorum, quibus oblato minus idoneo, aut minus probo sacerdote, paroeciae, et singuli fidelium coetus premi, turbari, et afflictari consueverunt. Quod si horum caput, et fons exstitit patroni vox, et delectus; quid ei non formidandum Deo judici rationem redditur o?

VI. Non ita male de patronis existimamus, ut Nobis veniant in suspicionem illius maxime detestandi sceleris, quod a Simone nomen accepit. Sed hoc monstrum teterrimum interdum sub speciosis nominibus delitescit, et speciem induit humanitatis, aut etiam honestatis. Quod praesertim fit, quum apud viros, quorum est nominare, plus momenti habet necessitudinis, aut amicitiae ratio, vel gratia, quam sacerdotis facultas, aut dignitas. Cedant illa virtuti, ac probitati; et potissima nominandi caussa sit animarum utilitas, ac salus. Ita patroni sibi optime consuluerint.

CAPUT XIX.

De Regularibus.

I. Quoniam Benedictus XIV. de Synodo Dioresana *Ordinariis* auctor hortator est, ut de *Regularibus* etiam mentionem faciant; Nos tanti pontificis auctoritatem secuti, pauca quaedam de iis dicemus, quae in rem ecclesiasticam esse videantur. Ac primo quidem ii probe norint, ac nimirum perpetuo praeseferant, sibi ordinis, coetusve, in quem adscripti sunt, legibus, atque institutis vitam omnem esse conformandam, ita, ut antiquius illis sit, quam Deo obligarunt, fidem praestare, quam hominum de eorum habitu existimatio, de qua nonnulli vehementius, quam de caeteris omnibus laborare videntur. Quorsum autem vestitus nitor, et lanae cultus, ad alia Nos consilia, vitaeque perfectionem vocante Evangelio?

II. Eorum Majores vitae sanctimonia, et gravissimis laboribus suscipiendis multis sacrorum Antistitum beneficiis, et privilegiis usi fuerunt; quibus et ipsi pergant probare se dignos iisdem, atque illis artibus excellentes.

III. Cum parochis, quibus in christiana republica militantes subsidio esse debent, mutuae caritatis vinculo contineantur, ut nullus unquam sit locus altercationibus, et illud aperte constet, unum Dei cultum, et animarum bonum, nihil praeterea, omnibus esse propositum. Id suis in templo officiis, et publicis precibus sibi tempus sumant, quo a verbis parocho habendis ad populum de moribus et religione fideles non avocentur; neque ea hora, quaecumque sit, quae avocandi occasio esse possit, signum detur. Siqui contra fecerint, per summum pontificem Nobis jus est in eos animadvertendi. Denique iis officiis, quae ad parochos tantum pertinent, se non interponant. Si enim paroeciarum munera usurpare, ab iis fideles abducere, solemnia facere, parochis docentibus, et ad populum verba facientibus, vellent; nonne haec esset ratio praepostera, et dignà animadversione?

IV. *Regularibus* quoque neque confessiones *saecularium* accipere (in quo loci, temporis, personarum habenda ratio est), nisi facto prius doctrinae periculo Nobis probati fue-

rint: neque nomine cujusvis privilegii a culpis Nobis reservatis absolvere liceat, nisi data a Nobis facultate, eaque singulis annis renovanda.

V. Quod attinet ad praecones verbi Dei; in templis *saecularibus* ne sacras orationes habeant sine venia a Nobis, eaque scripto impetrata. In templis autem suorum ordinum satis erit, si prius petierint benedictionem, et Nos non repugnaverimus. Conciones porro elaboratae sint ad leges cap. XII hujus Synodi. In templo Dei sedere debet magistra veritas, explosa omni remissiore, et non satis firma, solidaque doctrina; non enim artem quamdam profitentur Divini verbi praecones, sed ab ipso Deo legatione funguntur.

VI. Solemni paschatis die *saecularibus* non ministrent eucharistiae Sacramentum, quod non publice adorandum exponent, nisi ex publica caussa, et sine venia nostra; ex privata vero sacram Pixidem, eamque velatam e tabernaculo non efferant. Itaque SS. Sacramentum publice exponendi facultatem quo tempore, loco, modo, a Nobis impetrabunt, ut illud constet, in altari majore semper asservandum, et exponendum, idque semel tantum singulis diebus, quum populus a sacris paroeciae functionibus non abducatur, non tempore nocturno, nullis vernaculo sermone adhibitis precibus, sed iis tantum, quae ritualis, *Breviarii*, vel *Missalis* romani auctoritate comprobantur, nullis tunc temporis propositis pictis Sanctorum tabulis, nullis simulacris, ritibus, et caeremoniis omnibus plane servatis.

VII. Meminerint etiam Constitutionis summi Pontificis Clementis XIII, III. cal. septembris MDCCLXIII, qua decernitur, eos, quibus a S. Sede facultas conceditur benedictionem, quam *Papalem* vocant, elargiendi super populum, hac facultate uti non posse „ sine *Ordinarii* permissione scriptis impetranda.

VIII. Quo SS. Concilii Tridentini decretis, et abbatia legibus rite pareatur; sacros ritus, et caeremonias probe callere, et adhibere necesse est; cum in omnibus officiis, tum praesertim in sacro faciendo, a quo arcebitur omnis ignotus sacerdos, cui a Nobis, vel a parocho, ad triduum tantum, scripto facta non sit potestas, et quicumque accesserit non indutus domi veste talari. In eos, qui secus fecerint, Nobis jus est animadvertendi.

IX. Statis, et indictis supplicationibus intersunto, nulla,

nisi Nos probaverimus, nova simulacra, et statuas circumferendo. Sed meminerint in privatis supplicationibus sibi, et sodalitiis eorum templis addictis, non licere longius e templi claustris sine facultate nostra circumeundo abire. Ad funus deducendum vocati, tempore dicto e parocho, dato signo in paroeciam recta conveniant, inde ad defunctum ordine progressuri.

X. *Laicorum* sodalitates apud *Regulares*, quarum nulla cum ipsius ordinis insignibus affinitas, et eorum sacella, et altaria in iis, quae sodalium administrationem attingunt, Nostrae *visitationi* subsunt, et administrationis ratio Nobis ab iis reddenda est.

XI. Postremo *Moniales*, et *Monasteriorum* alumnas quavis caussa, nisi potestate a Nobis facta, vel ad breve tempus allocuturi, ne adeant. Qui contra fecerit, a summis pontificibus propositas poenas non effugiet.

XII. Sunt et alia multa, ex quibus jus est in *Regulares*, quae idcirco praetermittimus, quod in Abbatia nostra non facile occurrunt. In iis, quae attulimus, plane non dubitamus, quin ii se sacrorum canonum diligentes custodes, et cultores praebituri sint, ut et fideles videntes eorum opera bona glorificent Patrem, qui in coelis est. Siquis autem se hisce legibus solutum putet, monumenta proferat, et, caussa cognita, res judicabitur.

XIII. Hactenus de *Regularibus*. Res hic monet, ut nonnihil dicatur de iis, quos tamquam loca sola incolentes *Eremitas* vocant. Ex his nemo quemcumque habitum sibi induat, nisi a Nobis facultas data fuerit. Induti cuipiam templo operam tribuant. Si paroeciae, impigri sint ad parochi jussa facienda. Si sacelli campestris incolae, quum solemniora sacra sunt, et uno Dominico die singulis mensibus ad parochi nutum paroeciae intersint, et suis ministeriis fungantur. Absint longissime a mulierum consuetudine. Victum quaeritent intra sibi definitas regiones. Morum integritate parocho se probent; a quo bene actae vitae testimonium singulis annis ad Nos deferant. Quod si in hisce rebus quidpiam peccarint, vestem mutare jubebuntur.

CAPUT XIX.

De Monialibus.

I. Quid a sacris virginibus postulet vitae genus, quod ingressae sunt, et quomodo in suscipiendis alumnis se gerere debeant, iisdem per litteras jam significavimus, certa spe ducti (quae est illarum pietas, voluntaria animi demissio, caritas in Deum) fore, ut omne punctum ferant.

II. De claustris summorum pontificum Bonifacii VIII, Pii V., Gregorii XIII, atque in primis Benedicti XIV, litterae extant, a quibus ne latum quidem unguem discedatur.

III. Sacerdotes, qui apud eas sunt a confessionibus, et qui a sacello, vel curatores, summa religione observent quidquid iisdem pontificum litteris de se traditum est, atque sancitum. Quum Sacerdos extra ordinem vocabitur ad excipiendas earum confessiones, *Ordinarius* ab officio discedat, et quamdiu ab illo res geritur, tamdiu absit, nec quidquam verbi cum ulla facere audeat, nisi per nos licuerit. Quod autem a pontifice maximo Benedicto XIV. nonis Aug. MDCCXLVIII litteris proditum est, id sequemur in designandis sacerdotibus extra ordinem, quibus, atque etiam *Ordinariis* data facultas earum confessiones excipiendi ad diem a Nobis definitum tantum pertinebit.

IV. Nemo, licet Nobis se idoneum probaverit, qui ad populum nostrum de religione, et moribus diceret, audeat ad virgines Deo sacras orationes habere, nisi hanc nos fecerimus potestatem. Nec sine facultate nostra, aut sacerdotis, qui est ab earum confessionibus, quisquam in earum templo aut sacrum faciat, aut iis SS. Eucharistiae Sacramentum dispenset. Is autem, cujus est dispensare, horis tantum, vicibusque satis dispenset.

CAPUT XX.

De supplicationibus, vulgo processionibus.

I. Supplicationes aliae statis temporibus Ecclesiae auctoritate decretae sunt; aliae interdum a Nobis indictae, vel

indicendae ex publica caussa; ad quas omnes, qui fratres in societates adscripti sunt, cum suis quisque insignibus Crucifixi vexillum praeferentes conveniant, quos consequantur *Regulares*, velo e cruce demisso; tum clerici a caeteris secreti: omnes autem hymnos dicentes, et preces ab Ecclesia probatas, nihil morantes, quem locum inter suos, qui sunt ejusdem ordinis, teneant, neque oculos circumagentes, sed vultu demisso modestiam singularem praeseferentes. Foeminae autem a viris secretae semper incedant. Quotiescumque vero in paroeciis SS. Eucharistiae Sacramentum defertur, clerici, et fratres ejus societatis adsint.

II. Quae supplicationes fiunt ex consuetudine, vel a parochis, Nobis probantibus, indicuntur caussa colandae pietatis, aut opis Divinae implorandae, aut gratiae agendae pro acceptis beneficiis, in iis quoque summa sit religio. Quod si ansam peccandi praebeant, extemplo tollentur.

III. Nocturno tempore nullae sint supplicationes. Feria autem V in Coena Domini Parochi dent operam, ut quamprimum domum discedatur. Siquae autem indicantur caussa placandi Deum, quas vocant supplicationes poenitentiae, in iis corpus flagellis tangere nullo nomine permittimus; neque in ulla supplicatione, etiam apud *Regulares*, signa, statuae, simulacra quaedam prodigialia circumferantur, neque homines personati mysteria, quum votum solemne est, quasi in scaenis agentes, unquam prodeant.

CAPUT XXI.

De societatibus laicorum.

I. Si *laicorum* societates caritatis vinculo continerentur, eoque spectarent, quo intendit Ecclesia, nihil sane esset, quod reprehenderemus: sed, ut in multis rebus fieri soleat, alia in eas hominum inscitia, atque error, alia vitium invexit. Atque ab errore quidem illa proficiscuntur, parum pensi de paroecia adeunda diebus festis, ad sacrum, et conciones: fallax spes in sumptis insignibus: religio quaedam in consiliis, negligentia in praeceptis. Quo hisce malis occurratur, parochi doceant, quod sit in ejusmodi rebus Ecclesiae consilium, quae mens; quid paroeciae ab omnibus debeatur: non esse relinquenda quae graviora sunt legis:

insignia nihil aliud esse, quam monumenta, quibus excitari oportet ad vitam vere christianam: eum judaice vivere, non christiane, qui illis temere fretus male vivat.

II. Vitia vero haec solent existere, ambitio, elati spiritus, partium studia, inde convicia vel in ipsis templis, et caritatis depulsio, quae debet esse societatum vinculum, et fundnmentum. Haec omni studio prohibeantur.

III. Meminerint autem ejusmodi fratres, se pertinere ad ovile, atque idcirco sibi in omnibus audiendam esse pastoris vocem: turbas in templis, tumultus, insanas voces non esse ferendas: paroeciae in primis habendum esse honorem. Quare ne tempus officii sui peragendi sumant, quum solemne sacrum est in paroecia, aut ibi traduntur religionis praecepta, fiunt verba ad populum, aut alia hujusmodi sacra officia peraguntur. Tum enim omnibus eo conveniendum est.

IV. Sacerdos ab iis delectus Nobis probandus, in eorum templis neque missas canat, neque confessiones audiat, neque jubeat locari exedras ad excipiendas confessiones, neque patiatur alium quemvis sacerdotem ibi sacra facere diebus festis, nisi parocho consentiente, cujus est, si velit, omnia illic obire. Festo autem Paschatis die, et SS. Corporis Christi, et ipse in paroecia sacrum faciat, ut parenti suus honor tribuatur. Sacramento autem Corporis Christi ne parochus ididem benedicat, facultate a nobis non obtenta.

V. Quibus sodalitatis bonorum curatio est, ii asservent codicem accepti, et expensi; neque penes se pecuniam habeant; sed in capsulam sera munitam ab iis asservandam, penes quos jus est, demittant. Inde nihil pecuniae, nisi eorum mandato, quibus societatis, et Ecclesiae bonis consulendum est, depromatur. Ad haec singulis annis Nobis rationem reddant earum etiam societatum curatores, quae apud *regulares* constitutae sunt. Tum si qui societatis aere premantur, iis nulla ejusdem societatis res gerenda est. Itemque nefas ejus praedia locare iis, qui gradum aliquem in societate obtinent.

VI. Denique omnia, quae litterarum monumentis continentur, pertinentia cum ad res, tum ad personas, diligentissime teneantur, ut ad calcem *synodi*, ac nulla deinceps sodalitas, sive apud *saeculares*, sive *regulares* ecclesias, nisi probantibus Nobis, constituatur. Suae praeterea cuilibet sint constitutiones, nobisque intra sex menses confirmandae proponatur.

CAPUT XXII.

De sepulturis.

I. Si parochi est hominibus vitam ingressis quum primum per Baptismum ad Ecclesiam iis aditus patuit, toto eorum vitae cursu perpetuo consulere; ejusdem etiam est, ubi e vita excesserunt, efficere, ut animae e corpore egressae Deus sit propitius, et corpori jam Spiritus Sancti templo suus honor habeatur. Quare ubi quis e vita migravit, quamprimum e paroecia ejus obitus signum detur, quod vita functi aetas postulaverit, quo fideles moniti animam precibus Deo commendent. Tempore deinde a parocho dicto, non tamen ante Solis ortum, vel post occasum, clerici *saeculares*, et siqui vocentur *regulares*, aut societatis cujuspiam fratres, dato signo in paroeciam recta conveniant, neque aliis per viam se comites adjungant. Inde ab Aede parochiali omnibus caeremoniis servatis, ex libro rituali, ad defunctum ordine procedatur.

II. Cadaver efferri nemo jubeat, nisi parochus, aut ejus vicarius, cujus etiam est indicere, qua ad templum eundum sit. Quod si longius in agris absit defunctus efferendus: in sacellum, aut sedem aliquam pago propiorem delato cadavere, inde funus procedat.

III. Hoc officii commune sit parocho cum clericis solemnes preces graviter canentibus. Quod siquis decesserit ita pauper, ut huic sumptus suggeri non possint; unus saltem, aut alter clericus adhibeatur, qui vocati ultro, ac volentes adsint funus deducturi, nisi velint haberi indigni, qui nostris beneficiis utantur. Cadaver autem ad sepulturam ne detur, nisi horis elapsis vigintiquator ab extremo spiritu, horis octo et quadraginta, si hominem repentinus casus oppresserit.

IV. Quantum pecuniae, ceraeque pro justis faciendis parocho deferatur, id constat ex consuetudine. Cereus autem, quo parochi donari solent, sit ponderosior, quam qui praefectis ordini *regularium*, aut societati traditur. Nec tamen parochi vehementiori harum rerum cupiditate ducantur; si dies prorogentur ad solvendum, ob eam rem sepulturam differre, aut supellectilem pignorari, ne nomen pereat, nefas est. At-

que adeo pauperculi gratis dentur ad sepulturam, et in funus geminae faculae adhibeantur. Fideles vero ne sint tam illiberales, ut cunctando, diem ex die ducendo, sibi, et vita functis faciant injuriam.

V. Sepulcretis, seu *coemeteriis* locis quippe sacris suus honor habeatur: murus circumdatus: fores clausae, ne bestiis pateant: vepres, et arbusta sponte edita caedantur: herbae surgentes comburantur, aut ibi marcescant: crux conspicua in medio extet: denique nihil ibi agatur a loci religione alienum. Templi pavimentum disturbare, aut monumenta excitare humationis caussa, nisi Nos potestatem fecerimus, nemini liceat, poena interdicti proposita.

DE CONSTITUTIONIBUS.

Haec sunt, fratres in Christo carissimi, ad quae expendenda,. deliberandaque ex Sanctorum patrum institutis, veteri consuetudine, et Sacrosanti concilii Tridentini sanctionibus, more majorum vos in concilium advocavimus. Quae quando praepotentis Dei gloriae, Ecclesiasticae disciplinae, et animarum saluti (quod initio nobis propositum fuit) conducere posse vobis quoque videntur, ac propterea consciscenda, constituenda, sancienda cunctis placet; de sententia vestra, decreto, edictoque nostro probamus, rata facimus, consciscimus, sancimus: et quorum quoquo modo res interest, quorum caussa sancita, et constituta fuerint, ab iis omnibus binos post menses a promulgatione diligenter observari jubemus. Multa nos argumenta, et certa magnam in spem adducunt omnes, et singulos, ad quos pertinent, ultro, libenterque imperata facturos, nec poenarum quidem metu, quod vilissimorum servorum est, sed religionis, virtutis, honestatis amore. Siquis autem praeceptorum nostrorum, dignitatis, et salutis suae securus imperium detrectare, ab officio discedere, et contra, atque sancitum est, quidpiam committere ausit, ille poenas nobis se daturum pro certo habeto. Itaque harum constitutionum nostrarum exemplo sibi comparato, ecclesiasticis ordinis viri omnes attente legant, ediscant, ut, quum opus fuerint, percallere constet. Qui in illis satis versatos, et obsequentes et dociles se praestitisse probaverint, iis opportuno tempore caussa erit, cur se munus explevisse gaudeant. et laetentur; qui contra fecerint, eos haud dubie poenitebit. Hos enim, et

illos pro meritis accipiemus. Volumus praeterea in cujusque templi tabulario exemplar perpetuo adservari.

Nunc quoniam hujusmodi sacri conventus sine consilio aliquo, vel brevi cohortatione dimitti non solent; paucis pro more nostro accipite. Qui Divino beneficio in sortem Domini vocati sunt, et adscripti sive viri, sive adolescentes, tanti beneficii magnitudinem, suamque dignitatem perpetuo reputantes, meminerint, in se, utpote reliquo fidelium coetu, rebusque saeculi in altiorem locum sublatos, caeteros homines oculos convertere, et tanquam in speculum intueri, ut exemplum sumant, quod sequantur, et imitentur; ideoque mores ita sibi conformandos, vitamque componendam, ut habitu, incessu, gestu, factis, verbis, caeterisque rebus omnibus, nihil, nisi grave, moderatum, et religionis plenum praeseferentes: levia etiam vitia, quae in ipsis maxima essent, effugientes: uti demum dignitatis gradu, sic omni eximiarum virtutum genere praestantes, luceant omnibus, qui in domo Dei sunt, et admirationem moveant, atque venerationem. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in coelis est.* Sacerdotes autem cujusvis gradus, et ordinis, qui pacis, et concordiae studiosi vixerint: qui ceteris curis omnibus soluti, ministerii sui officiis diligenter exerciti fuerint, pauca loquentes, multa agentes, de nulla re aeque ac de communi utilitate, et salute laboraverint; quique eo operam contulerint, ut pietate, et doctrina clerici juvenes in dies magis adolescant; eos veros socios nostros, et adjutores carissimos habebimus, in oculis feremus, quantique faciamus, data occasione demonstrabimus. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.*

Haec tandem a Nobis decreta, et edicta ita rata erunt, si Sancta, Catholica, apostolica, Romana Parens Ecclesia, cujus obsequentissimi omnia judicio permittimus, ita rata habuerit.

[illegible]

[illegible]

APPENDIX

AD SYNODUM

Pius vi. P. M.

De Canonici munere deferendo cuilibet ex competitoribus Abbatiae Sacerdoti, qui doctrinae facto periculo se dignissimum probaverit.

Pius episcopus Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Supremi patrisfamilias, qui singulos adoptionis filios absque ulla exceptione dilexit, vices, licet immerito, gerentes in terris, ad singulas, quae in dies oculis nostris objiciuntur, fidelium spirituales egestates, quas ex paucitate animarum rectorum, et directorum percepimus obvenire per sedulam ecclesiasticorum beneficiorum certis tamen personis ecclesiasticis attributionem, et destinationem ministerio injunctionis brachium auxilii satagimus extendere, ut ea mediante, et personae ipsae ecclesiasticae ad vineam Domini excolendam allectae possint in Ecclesia militanti se utiles reddere, uberesque fructus de se verbo, et exemplo coram populo exhibere, populus vero consolatores plures, atque magistros, qui eos spiritualiter alat, et dirigat, exinde valeat reperire. Sane pro parte dilecti filii nostri HYACINTI Tituli S. Joannis ad Portam Latinam nuncupati S. R. E. Presb. card. GERDIL nuncupati, infrascripti monasterii ex concessione, et dispensatione apostolicis moderni Abbatis commendatarii nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in monasterium Abbatiam nuncupatum S. Michaelis de Clusa etiam nuncupati ordinis S. Benedicti Nullius Dioecesis provinciae Taurinensis, ad quod, dum illud pro tempore vacat, nominatio personae idoneae romano pontifici pro tempore existenti facienda ad carissimum in Christo Filium Nostrum Victorium Amedeum Sardiniae Regem illustrem ratione Ducatus Sabaudiae, cujus ipse Victorius Amedeus Rex etiam Dux existit et privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, spectat, et pertinet, saecularis, et forsan insignis collegiatae

Ecclesiae S. Laurentii loci *di Giaveno* jurisdictionis pro tempore existentis Abbatis Commendatarii Monasterii praefati, et capitulum dicti Monasterii repraesentans apostolica auctoritate perpetuo translata reperitur; in dicta vero collegiata Ecclesia tredecim canonicatus, totidemque praebendae erecti, et erectae existant, quorum duo, sicut accepimus, de jure patronatus laicorum ex fundatione, vel dotatione existunt, ac alii duo praevio concursu conferri solent, reliqui vero novem, licet liberae sint collationis, de eis tamen pro tempore Apostolica, vel ordinaria auctoritate respective provisi ex illorum fundationis, et erectionis praedictarum lege in canonicos in ipsa collegiata Ecclesia recipi non possunt, nisi prius ad audiendas Sacramentales confessiones Christifidelium a tribus examinatoribus Synodalibus examinati, et ab eis ad id ad vitam approbati fuerint. Hac caeterum non obstante fundationis, et erectionis praedictarum lege non raro accidit, ut nonnulli, qui de reliquis novem canonicatibus, et praebendis hujusmodi pro tempore exstiterunt successive provisi, post reportatas provisiones easdem in examine praedicto ut inhabiles reperti, ad dictas confessiones excipiendas minime approbari potuerint, et nihilominus in vim provisionum praedictarum excipi debuerunt, ex quo plura incommoda, pluresque lites insurrexerunt, cum de caetero sit omnino necesse, ut ipsius collegiatae Ecclesiae canonici confessarii, et quidem non mediocri doctrina praediti sint, eo quod in loco supradicto novem millium habitatorum numero referto, quemadmodum et in tribus parochialibus Ecclesiis sub jurisdictione pro tempore existentis Abbatis Commendatarii ejusdem monasterii comprehensis numerum sex millium, et amplius parochianorum insimul conplectentibus, praeter eorum respective rectorem, nullus alius adest confessarius, absque insuper eo quod in dicti loci viciniis ullus saltem reperiatur Presbyter regularis, qui in audiendis hujusmodi confessionibus eis valeat supplere, quod eo magis, quia una ex iisdem tribus parochialibus ecclesiis, et Haereticis Valdensibus est contermina, oporteret. His igitur, sicuti eadem petitio subjungebat, inspectis incommodis, illisque providendi necessitati non defuit ejusdem HYACINTHI cardinalis, et Abbatis vigilantia in hoc studium ponere, et ut imposterum habiles viri ecclesiastici haberentur, sedulo curavit, ut in suo seminario ecclesiastico abbatiali una statueretur theologiae cathedra, decrevitque, ut illius

alumni tam clerici, quam presbyteri post completum theologicum hujusmodi cursum, studio pariter moralis, et practicae theologiae operam darent, simulque in praedicationis ministerio se se invicem exercerent, quod quidem hactenus, benedicente Domino, felicibus obtinuit eventibus. Verum quum similes alumni ecclesiastici in hujusmodi exercitio aemulari non possint, nec secus ad illud prosequendum per ipsum HYACINTHUM cardinalem, et Abbatem hujusmodi valeant excitari, intuitu, et in spem futurae provisionis de aliquo beneficio ecclesiastico eis respective faciendae, stante cessione juris conferendi nonnulla ecclesiastica beneficia in regno Franciae consistentia ad Abbatem commendatarium ipsius monasterii pro tempore existentem alias spectantis, et per ejusdem HYACINTHI cardinalis, et Abbatis in dicto monasterio praedecessorem perpetuo facta occasione erectionis cathedralis ecclesiae Camberiensis Apostolica auctoritate nuper factae, et amissione pariter quatuor parochialium Ecclesiarum alias sub praedicta jurisdictione ipsius Abbatis commendatarii pro tempore existentis dicti monasterii comprehensarum, nunc vero praevia illarum dismembratione ab eadem Abbatiali jurisdictione novae Segusiensi Dioecesi Apostolica auctoritate praedicta etiam perpetuo adjunctarum, et unitarum. Hinc non alio modo fieri potest, ut Ecclesiastici praedicti in tam pio opere, et exercitio fructuose persistant, quam quod dicti novem posteriores canonicatus, et praebendae dictae collegiatae Ecclesiae, prout caeteri duo secundo dicti canonicatus, et praebendae, praevio concursu, privative tamen quoad ecclesiasticos eidem monasterio subjectos tantum, mediante infrascripta injunctione, ut infra, conferri debeant. Quare pro parte dicti HYACINTHI cardinalis, et Abbatis Nobis fuerit humiliter supplicatum, quatenus mediante hujusmodi dispositione, praemissis incommodis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem HYACINTHUM cardinalem, et Abbatem specialibus favoribus, et gratiis prosequi, ac fidelium animarum utilitati, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes, nec non fundationis, et erectionis praedictarum tenores etiam, veriores, ac datas praesentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, quod quotiescumque, ubicumque, et quandocumque eosdem posteriores canonicatus novem, et praebendae dictae collegiatae Ecclesiae ex nunc deinceps perpetuis fu-

turis temporibus ex personis illos nunc, et pro tempore respective obtiuentium quovis modo vacare contigerit, de illis semper praevio concursu in partibus, privative tamen quoad solos Ecclesiasticos jurisdictionis ejusdem Abbatis commendatarii nunc, et pro tempore existentis ipsius monasterii subjectos habendo disponi debeat, ita ut iidem posteriores novem canonicatus, et praebendae dictae collegiatae Ecclesiae, quos pro tempore tam in octo Nobis, et romano pontifici pro tempore existenti praedicto, Sedique Apostolicae per constitutiones Apostolicas, aut cancellariae Apostolicae regulas editas, vel edendas, aut alias quovis modo reservatis, quam in reliquis quatuor respective mensibus eidem HYACINTHO cardinali, ut praefertur, moderno, et pro tempore existenti Abbati commendatario ejusdem monasterii etiam per constitutiones, et regulas easdem, aut alia privilegia, et indulta hactenus concessa, et in posterum concedenda competentibus vacare contigerit, nonnisi personis illis Ecclesiasticis, ut supra, subjectis in concursu, ut praefertur, habendo magis idoneis repertis, per sedem Apostolicam praedictam, et respective ipsius monasterii Abbatem commendatarium nunc, et pro tempore existentem, hujusmodi conferri valeant, et quaecumque collationes, provisiones, impetrationes, aliaeque dispositiones de eisdem posterioribus novem canonicatibus, et praebendis dictae collegiatae Ecclesiae aliter pro tempore quomodolibet factae, nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant apostolica auctoritate tenore praesentium injungimus, et mandamus, necnon easdem praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum in omnibus, et per omnia firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, aut quovis alio praetextu, occasione, vel caussa, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis nostrae, aut quolibet alio, quantumvis magno, sustantiali, substantialissimo, inexcogitato, inexcogitatissimo, ac specialem mentionem, et expressionem requirente defectu, aut ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel etiam in corpore juris clausa occasione, aliave caussa etiam quantumvis

justa, rationabili, juridica, legitima, pia, privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra, aut aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine concesso, et impetrato quempiam uti, se juvari in judicio, vel extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, et Successores Nostros romanos pontifices pro tempore existentes, ac sedem eamdem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus etiam consistorialiter ex quibusvis caussis, et sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, ac sub quibusvis caussis, et decretis, etiamsi in eis de eisdem praesentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat pro tempore factis, et faciendis, ac concessis, et concedendis comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutus, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ita ab omnibus censeri, sicque, et non alias, per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungente etiam caussarum palatii Apostolici auditores, ac ejusdem Sac. Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, Vice-legatos, dictaeque sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativa, privilegio fungentes, ac honore, et praeminentia fulgentes in quocumque judicio, in quacumque instantia judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scientor vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus, non obstante fundatione, et erectione praedictis, ac etiam quatenus opus sit, nostra, et cancellariae praedictae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus, et

generalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, generalibusve constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque collegiatae Ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis quibusvis personis in genere, vel in specie sub quibuscumque tenoribus, formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis; et innovatis, quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut quaelibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret tenoris hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, et inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis, facientes illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae injunctioni, mandati, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, tertio idus Septembris, Potificatus Nostri anno octavo.

DECRETUM SACRAE CONGREGATIONIS

Eminentissimorum S. R. E. Card. S. Conc. Trid. Interpretum

EMINENTISSIMO D. D. CARDINALI

HYACINTHO GERDIL

ABBATI COMMENDATARIO S. MICHAELIS DE CLUSA.

Incomperta minime erat Sacrae Congregationi Tridentinorum canonum interpretationi praepositae eximia regiminis ratio, qua res Ecclesiae D. Michaelis de Clusa ordinis S. Benedicti nullius Dioecesis in Subalpinis moderantur. Quum enim Ecclesiae praesit Eminentia Tua, quae locum inter patres tenet, et quidem virtutum commendatione, ac responsorum gravitate amplissimum, nulla inesse poterat dubitatio, quin in regendo grege tuae fidei credito illud adhiberi curet doctrinae, prudentiae, atque ecclesiasticae disciplinae lumen, quod et constans austerioris tuae vitae genus, et studiorum ratio, et ingenii nunquam intermissae exercitationes praeseferunt praeclarissimum. Gratum tamen, ac jucundum universo patrum ordini accidit, idipsum nunc fuisse comprobatum litteris, quibus de more, ac diligenter Ecclesiae praedictae status sacrae congregationi relatus fuit.

Nil in earum litterarum recitatione est deprehensum, quod desiderium sedulitatis tuae relinquat, pluraque notata fuere ad religionis cultum utiliter, sapienterque nunc primum composita. Horum numero abs dubio habenda parochi adsignatio Ecclesiae S. Mariae Magdalenae in montibus Javeni facta, e qua rudis populus religione, ac pietate ita jam profecit, ut veterum christianorum referat imaginem, et erectio Montis Pietatis in Urbe Cariniani, de quo novo pauperum subsidio sicut Eminentissimi PP. laetantur quammaxime, ita de tua vigilantia non dubitant, ut ad formam Constitutionis S. M. Leonis X. *Inter multiplices*, S. Concilii Trid. sess. cap. 3. et

9. *de refor.*, et servata concordiae lege, omnia recte sint constituta.

Ad retinendam vero, augendamque universi popoli tuae fidei crediti pietatem, jam novit Eminentia tua, quantum conducat divinorum officiorum celebratio ita in singulis ecclesiis juris tui habenda, ut nil a Ritibus S. Romanae sedis, nil a Rituali Romano, Caeremoniali Episcoporum, Missali, et Breviario sit dissonum; quare omnis cura adhibenda ad abusus, si qui irrepserint, ut in relatione tua diligenter additur, eliminandos, non obstante quavis consuetudine etiam immemorabili, quatenus aut non satis probari, aut ut irrationabilem de jure suffragari non posse cognoverit . . . .
. . . .

Quae de Seminario theologicis institutionibus, censu, ac Bibliotheca a Te aucto recitata sunt, singularem in modum probarunt patres, ac liberalitatem non minus, quam sapientiam tuam, uti par erat, maximopere commendarunt.

Quum vero Seminariorum institutionem ea potissimum de caussa in Ecclesiam invexerint majores nostri, ac sacri canones sanciverint, ut Clerici ad ecclesiastica munera recte, utiliterque obeunda, divinarum litterarum studio fiant idonei, patres eminentiam Tuam rogandam censuerunt, ne seminarii alumnos a litterarum exercitationibus ullo modo inposterum feras abduci, ut sacris Ecclesiae functionibus intersint, nisi festis diebus, aliisque, quibus publicae supplicationes sunt habendae.

Consuetudo, quae una a capitulo obtenditur, re mature perpensa, sanctionibus tridentinis minime respondet, ac disciplinam invertit a S. Congregatione receptam, atque probatam; quapropter posthabita fuit, ac omnino tollendam patres censuerunt, recte memores, quod usum non absimilem quoad duos tantum seminarii clericos non servandum in caussa *Albem Sacrorum Rituum, et regiminis Ecclesiae*, ad dub. 14. et 15 18. Julii ann. 1710. fuerit definitum.

In hanc vero sententiam eo etiam promptius ventum est, quo certius patuit cl. M. Card. Cavalchini olim praedecessorem tuum a diurno collegiatae Ecclesiae S. Laurentii servitio seminarii alumnos liberos omnino voluisse, nullamque ea de re in fundatione adesse posse ordinationem, quum Seminarium Ecclesiae collegiatae erectionem longe antecesserit.

Tridentinis sanctionibus sapientissime latis, ut intra annum dioecesis lustratio, Synodique convocatio contingat in tam praeclaro rerum omnium regimine minime deesse jure, ac merito sperat S. Congregatio.

Haec a S. Congregatione ad eminentiam tuam scribenda accepi: ad me quod attinet, quum nulli in suspicienda doctrina, virtuteque tua tot nominibus cumulatissima concedam, studia, consiliaque mea, quae Ecclesiae, dignitatique tuae vel decus, vel commodum sint allatura, sponte, lubensque eminentiae tuae polliceor, ac defero. Romae 3. Decembris 1784.

Humillimus, et Addictissimus Servitor

L. CARDIN. PALLAVICINUS.

Carrara Secret.

DECRETA

S. R. C. pro Abbatia S. Michaelis de Clusa.

NULLIUS S. MICHAELIS DE CLUSA.

Ad magis fovendam devotionem, quae apud clerum, et populum Abbatiae S. Michaelis de Clusa erga S. Maximum ep. Taurinensem jamdiu viget, Eminentissimus, et Reverendissimus D. Cardinalis Gerdil Abbas Commendatarius, nomine proprio, et Cleri supradictae Abbatiae, S. R. Congregationi humillime supplicavit, tam pro extensione officii, et Missae in honorem S. Maximi sub ritu dup. 2. cl. cum oct. de com. Conf. Pont. cum orat. et lect. 2. noct. propriis jam sub die 22 Decembris 1759. pro civitate Taurinensi adprobatis, quam pro additione nonnullorum verborum in VI. lectione 2. noct:, videlicet ut post illa verba « Atque ad augendam erga Dei« param religionem, cujus eximius cultor semper fuit, ejus « Virginitatem, atque maternitatem luculenter asseruit » hujusmodi superaddantur, *Eamque idoneum plane Christo habitaculum non pro habitu corporis, sed pro gratia originali praedicavit.* Tandem meritis plenus ec. « Sacra eadem congrega-

tio ad relationem Eminentissimi, et Reverendissimi D. Cardinalis Boschi Ponentis petitam extensionem, atque additionem benigne concessit. Die 27 Maii 1786.

J. Card. ARCHINTO Praefectus.

Loco ✠ Sigill.

Julius Maria de Somalia S. R. C. Secretarius.

NULLIUS S. NICHAELIS DE CLUSA.

Cum ab universo Clero Oppidi Javeni Abbatiae nullius S. Michaelis de Clusa jamdiu recitaretur Officium Sancti Anteri P. et M., Sacerdos Franciscus Ferrero Vic. Gen. ejusdem Abbatiae humillime supplicavit, totius etiam Cleri nomine, SS. D. N. PIO VI. P. M. pro facultate recitandi in eodem officio lectionem propriam S. Anteri pro Clero Basilicae Lateranensis jam pridem adprobatam, Sanctitas vero Sua, referente me infrascripto Secretario, petitam gratiam Oratori benigne concessit. Die 14 Decembris 1785.

J. Card. ARCHINTO Praefectus.

Julius Maria de Somalia S. R. C. Secretarius.

DECRETUM

S. R. CONGREGATIONIS.

Relatis in S. R. Congregatione per Eminentissimum, et Reverendissimum D. Cardinalem Archinto Praefectum, et Ponentem, humillimis precibus Vicarii Gener. Abbatiae nullius S. Michaelis de Clusa supplicantis pro facultate recitandi, ac respective celebrandi singulis annis ab utroque Clero Oppidi Javeni Officium, et Missam de comm. un. mart. in memoriam S. Valeriani M., Sacra eadem Congregatio, audito voto Eminentissimi, et Reverendissimi D. Cardinalis Gerdil Abbatis Commendatarii, benigne annuit pro gratia sub ritu dup. min.

pro die a D. Eminentissimo Abbate designanda, facto verbo cum Sanctissimo. Die 2 Augusti 1783.

Et facta deinde per me Secretarium eidem Sanctissimo Domino Nostro de praedictis relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die 6 Augusti 1783.

J. Card. ARCHINTO. Praefectus.

C. Airoldi S. R. C. Secretarius.

Dies autem assignata in perpetuum est XI. Julii.

LITTERAE PII PAPAE VI.

Quibus ad preces Eminentissimi, ac Reverendissimi Cardinalis Hyacinthi Gerdil Abbatis S. Michaelis de Clusa facta est facultas Clusinis Abbatibus pro tempore, eorumque Vicariis Generalibus, simplicem Sacerdotem delegandi ad reconciliationem Ecclesiae, vel Coemeterii. Die 16. *Julii* 1787.

Sanctissimus, attentis expositis, Domini Cardinalis Oratoris precibus annuendo, eidem, ejusque in spiritualibus Vicario Generali, nunc, et pro tempore existenti, ut etiam ipsi per Sacerdotes ab eorum altero subdelegandos; Ecclesias, Cappellas, ac Coemeteria introscriptae Abbatiae, quoties illas, vel illa quomodolibet pollui contigerit, cum aqua tamen prius per aliquem Catholicum Antistitem, ut moris est, benedicta, reconciliari libere, et licite possint, et valeant: benigne indulsit. Constitutione fel. Rec. Gregorii P. P. IX., alisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

J. Mercanti Substit.

FESTE

Da osservare nell' Abbazia di S. Michaele della Chiusa.

1. Tutte le Domeniche, e i due Lunedì di Pasqua, e Pentecoste.
2. I giorni assegnati ai misterj della Nascita, Circoncisione, Epifania, Ascensione, e Corpo del nostro Signor Gesù Cristo.
3. La Purificazione, Annunziazione, Assunzione, Natività, e Concezione della SS. Vergine.
4. Ss. Pietro, e Paolo Apostoli, e in esso giorno la Commemorazione di tutti gli apostoli. S. Stefano primo Martire con la Commemorazione di tutti i Martiri. 1. Novembre Festa d' Ognissanti.
5. Addì 15 di Gennajo S. Maurizio principal Protettore della nazione; e a dì 29 di Settembre S. Michele Arcangelo Patrono principale dell' Abbazia.
6. Per ciò, che riguarda l' ecclesiastica liturgìa, cioè funzione de' sacri uffizj della Chiesa, si osserverà sempre la prescritta, e finora osservata.

GIORNI DI DIGIUNO.

Si digiunerà secondo il solito la Quaresima, i quattro Tempi, le Vigilie del Natale, di nostro Signore, della Pentecoste, de' Santi Pietro, e Paolo, dell' Assunzione di M. V., d' Ognissanti, e tutti i Mercoledì, e i Venerdì dell' Avvento.

PREGHIERE

Da recitare prima, che si spieghi il Vangelo.

Dilettissimi fratelli e sorelle in Gesù Cristo benedetto. Umiliandoci tutti al cospetto di Dio con viva fede pregheremo Sua Divina Maestà per lo stato della S Madre Chiesa universalmente, ed in particolare pel Santo Padre nostro Papa N. N., e per S. R. Maestà, e per la Real sua Famiglia, e pel Reverendissimo Signor Abate N. N. nostro

special Pastore, e per tutto il popolo cristiano, acciocchè Sua Divina Maestà doni a' buoni perseveranza, ed a' peccatori penitenza, agl' infermi, incarcerati, poveri, ed a tutti gli afflitti pazienza, e specialmente a quelli di questa parrocchia, che tutti insieme ci amiamo da fratelli, vivendo in pace l'uno con l'altro, con pacifica ubbidienza a' superiori tanto spirituali, quanto temporali per amor di Dio. Pregheremo ancora la stessa ineffabile bontà, perchè ne conservi i frutti della terra per la sostentazione nostra, ed acciocchè li possiamo dispensare ad onor suo, e beneficio de' bisognosi, come siamo tenuti. Faremo ancora orazione per li nostri benefattori, e per quelli, che hanno fatto oblazione, e si raccomandano alle orazioni di S. Madre Chiesa. Finalmente faremo orazione per le anime di tutti i fedeli defunti, e particolarmente per le anime di quelli, i quali sono sepolti in questa chiesa, e cimiterio, acciocchè, se fossero nelle pene del purgatorio, Iddio per sua bontà, e misericordia si degni di liberarle, e chiamarle alla gloria del Paradiso, dove preghino per noi. Ed acciocchè siamo esauditi, diremo tutti l'orazione dominicale, la Salutazione Angelica, e il Simbolo degli Apostoli. Quindi

℣ *Salvos fac servos tuos etc.*
℟ *Domine exaudi orationem meam etc.*

O R A T I O

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul, et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide, et opere futuros esse praenoscis; te supplices exoramus, ut, pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum etc.

RITO

Da osservare nelle benedizioni col SS. Sacramento in ogni Chiesa, anche de' Regolari, nell' Abbazia di S. Michele.

L'Altar maggiore, ove solamente dee farsi l'esposizione del SS. Sacramento, sia sempre decentemente mondo, e adorno; e sopr'esso il trono, o baldacchino di color bianco, e un corporale sulla base, ove si dee collocare: accese sieno le candele, secondo che è prescritto nel capo sesto del *Synodo*, nè sieno mai insieme col Sacramento sopra l'altare esposte reliquie di santi, e molto meno figure di anime purganti. Sia chiuso in tal tempo ad ogni secolare, non ostante qualunque pretesto, l'ingresso nel presbiterio.

Il Sacerdote, che darà la benedizione, vesta sempre piviale di color bianco, ove non abbia fatta innanzi altra funzione con paramenti di altro colore. Abbia assistenti un chierico col turibolo, e un sacerdote, che porti sopra il libro delle orazioni piegato il velo degli omeri sempre di color bianco, la stola, e la borsa, entro cui sia il corporale, e la chiave del tabernacolo.

Giunti tutti e tre all'ultimo gradino dell'altare, a sinistra il cherico, il sacerdote assistente a destra postosi del celebrante, e di sue mani ricevuta la berretta, facciano genuflessione sul piano, indi sull'ultimo gradino. Dopo la quale il sacerdote assistente, messasi la stola, recatasi la borsa incontro al petto, ascende, e con esso lui sempre il Chierico al lato del Vangelo, per mettersi ginocchione sul gradino vicino alla predella, ove si convenga servir dello scabello il sacerdote assistente, il quale, spiegato il corporale, apre il tabernacolo, piega un sol ginocchio lateralmente dalla parte dell'Epistola, e rialzato, mette fuori il Santissimo, e adattato nell'ostensorio, lo espone a vista del popolo in mezzo al corporale, e poi genuflette, come sopra, indi lo colloca sulla base del trono; e fatto un profondo inchino, ove siasi servito dello scabello, e un'altra genuflessione fatta, come sovra, scende per fianco nell'ultimo gradino al suo posto.

Allora levatosi in piedi il celebrante mette in tre volte

dell'incenso nel turibolo portogli dal Chierico, senza però benedirlo, e intanto l'assistente sostiene la fimbria del piviale: indi genuflette, e preso l'incensiere, fatto da tutti e tre un profondo inchino, incensa in tre doppj tratti il Santissimo, e poi rimette l'incensiere al Chierico.

Eopo l'incensamento si suol cantare qualche Salmo, o le Litanie de' Santi, e in qualche chiesa quelle della B. V., e ne' Venerdì dell' anno, e nella Quaresima si reciteranno le Litanie dell' SS. Nome di Gesù approvate dalla S. Congregazione de'Riti per tutte le chiese dell'Abbazìa di S. Michele, come per decreto del primo Decembre 1764. pubblicato nella lettera pastorale 2. luglio 1765. Tuttavia è necessario, che il popolo sappia dai parrochi, che allora principalmente si deono fare atti di fede, speranza, carità, di adorazione, di contrizione, e si deono da Dio implorare gli ajuti necessarj, per poterlo vedere un giorno a faccia svelata in paradiso: ma non diasi luogo nè a preci, nè ad inni non approvati dalla S. Chiesa: aggiungansi quindi i versetti della B. V., e gli altri corrispondenti alle orazioni da leggersi, per esempio del Santo titolare, della solennità corrente, e per altri bisogni (quando però le preci solite sieno brevi, si potranno i medesimi versetti riserbare dopo l'inno: *Tantum ergo etc.* soggiungendoli al versetto, ed all'orazione del Sacramento).

S'intonerà indi l'inno: *Tantum ergo*, e cominciato il verso, *Genitori*, il Celebrante alzatosi, messo nel vaso l'incenso, come sopra incenserà; e poi detto il versetto: *Panem de coelo etc.*, cui soltanto in tempo pasquale, e fra l'ottava propria aggiugnerassi: *alleluja*, alzatosi senz'altra genuflessione, reciterà in tuono feriale l'orazione del Sacramento colla chiusa, *Qui vivis et regnas etc.* Ove poi non sieno stati cantati versetti detti di sopra, si reciteranno dopo il versetto del Sacramento, e le orazioni, cui corrispondono, pur dopo quella del Sacramento, si diranno, colla chiusa, *per Christum etc.*

Dopo le orazioni il celebrante genuflette, ed il sacerdote assistente, messa la stola, e salito genuflette, colle mani giunte, sopra la predella verso il lato dell'Epistola, e con lui il Chierico ascende, come sovra, se è necessario, lo scabello. Indi fatto un profondo inchino, leva dal trono il Santissimo, e lo colloca in mezzo alla mensa sul corporale, e fatta genuflessione, sceso al suo posto, fa col Chierico pro-

fondo inchino. Spiegato poscia il velo degli omeri, in piè levato, indi piegato un sol ginocchio vela gli omeri al Celebrante, e torna al posto. Dopo di che, fatto da tutti un profondo inchino, il sacerdote sale sulla predella, e appoggiate le mani sulla mensa, genuflette, e alzato prende colle mani coperte dal velo il Santissimo, e benedice il popolo in modo di croce, non levando l'ostensorio al di sopra del capo, nè abbassandolo infra il petto; e riposto l'ostensorio sopra l'Altare, lascia cader in mano dell'assistente il velo, scende dal lato del Vangelo, volta la faccia alla parte dell'epistola, e genuflesso sull'ultimo gradino, fa cogli assistenti profondo inchino. In fine il sacerdote assistente, colle solite genuflessioni, chiuderà il Santissimo nel tabernacolo, e riposto il corporale, e la chiave nella borsa, fatto inchino alla croce, scenderà al suo posto, e deposta la stola, e presentata coi soliti bacj la berretta al Sacerdote, levatisi tutti e tre in piè, e genuflessi di nuovo sul piano, ritorneranno nella Sagristia, osservando le altre ecclesiastiche cerimonie.

Ove non sarà sacerdote assistente, lo stesso sacerdote celebrante farà egli l'esposizione, e benedetto il popolo, chiuderà il Santissimo nel tabernacolo. Ove poi non saranno chierici per l'assistenza, niuno potrà entrare in quel tempo nel presbiterio, nemmeno per servire negli uffizj minori all'altare, o al sacerdote, eccetto i confratelli della Compagnia del SS. Sacramento vestiti del loro sacco.

SOMMARIO DELLE INDULGENZE

Concedute dal sommo Pontefice Gregorio XV alle compagnie della Dottrina Cristiana erette nelle parrocchiali dell'Abbazia di S. Michele della Chiusa; come per Breve 21 d'Aprile 1622.

I. Ciascun cristiano dell'uno, e dell'altro sesso, che confessato, e comunicato entrerà nella Compagnia della Dottrina cristiana, nel giorno, che sarà descritto, acquisterà dieci anni, e dieci quarantene d'indulgenza delle penitenze ingiunte.

II. Dopo d'essersi confessato, comunicandosi il primo giorno dell'anno, e la prima domenica di quaresima, ovvero due altri giorni dell'istess' anno, acquista per cia-

scuna volta dieci anni, ed altrettante quarantene d'indulgenza.

III. Essendo scritto, o dovendo scriversi nella suddetta compagnia, ogni volta, che si eserciterà nelle scuole ad insegnare la Dottrina, ovvero andrà per impararla, conseguisce cento giorni d'indulgenza.

IV. Congregandosi cogli altri per trattare, ed aumentare il felice progresso di detta dottrina, acquista per ciascuna volta cento giorni d'indulgenza delle penitenze in qualunque modo debitamente imposte.

V. Essendo veramente pentito, e confessato, comunicandosi in quel giorno, che stabiliranno i superiori di detta Compagnìa per ciascun anno, conseguisce indulgenza plenaria, e remissione di tutti i suoi peccati.

VI. Chi veramente pentito, e confessato si trovesà in articolo di morte essere di detta Compagnìa, conseguisce indulgenza plenaria, e remissione di tutti i suoi peccati.

A quest'effetto ancora la felice memoria di Pio V per suo perpetuo breve concede a tutti i fedeli dell'uno e dell'altro sesso quaranta giorni d'indulgenza per ciascuna volta, che nei giorni di festa si congregheranno per insegnare la dottrina cristiana, ovvero per impararla per loro bisogno.

INDULGENZE

Concedute da' Sommi Pontefici, pubblicate in tutte le parrocchie a' fratelli, e sorelle del SS. Sacramento, ed a' fedeli, che lo accompagneranno, quando si porta agl' infermi.

I. Indulgenza plenaria nel giorno, in cui veramente pentiti, confessati, e comunicati si faranno ascrivere alla Compagnìa.

II. Indulgenza plenaria nell'ottava del Corpo del Signore a' fratelli, e sorelle della compagnìa, che confessati, e comunicati interverranno alla processione solita a farsi dalla compagnìa, e accompagnando divotamente il SS. Sacramento, pregheranno S. D. M. per l'unione de' principi cristiani, per l'estirpazione dell'eresie, e per l'esaltazione di S. Madre Chiesa.

III. Indulgenza plenaria nello stesso giorno a' fratelli, e sorelle, che non potendo per legittimo impedimento inter-

venire alla processione, confessati e comunicati pregheranno come sopra.

IV. Indulgenza plenaria in punto di morte a' fratelli, e sorelle, che invocheranno almeno col cuore, non potendo colla lingua, il nome Santissimo di Gesù.

V. Indulgenza di sett'anni, e altrettante quarantene a quelli della Compagnìa, che nella terza domenica del mese interverranno alla processione solita a farsi dalla Compagnia.

VI. Indulgenza di sette anni, e altrettante quarantene nella festa del SS. Corpo del Signore a quelli della Compagnia, che confessati, e comunicati pregheranno come sopra.

VII. Indulgenza di sette anni, e altrettante quarantene nel giovedì Santo a quelli della Compagnia, che confessati, e comunicati interverranno alla processione solita a farsi in tal giorno. Que' fedeli poi, che non sono ascritti alla Compagnia, se confessati, e comunicati interverranno alle processioni suddette, conseguiranno dugento giorni d'indulgenza.

VIII. Indulgenza di cento giorni a quelli della Compagnia, qualunque volta interverranno agli ufficj divini, e alle processioni solite a farsi dalla Compagnia.

IX. Indulgenza di cento giorni a quelli della Compagnia, che in giorno di venerdì visiteranno la Chiesa, in cui si trova eretta la Compagnia, e quivi pregheranno come sopra.

X. Indulgenza di cento giorni a quelli della Compagnia, che nel giovedì Santo visiteranno il SS. Sacramento, e pregheranno come sopra.

XI. Indulgenza di sette anni, e altrettante quarantene a' fedeli, che accompagneranno il SS. Sacramento con lume accesso, quando si porta agli infermi, e pregheranno S. D. M. per la concordia de' principi cristiani, estirpazion delle eresie, ed esaltazione della S. Madre Chiesa.

XII. Indulgenza di cinque anni, ed altrettante quarantene a chi accompagnerà il SS. Sacramento senza lume, pregando come sopra.

XIII. Indulgenza di tre anni, e altrettante quantene a' fedeli, che non potendo per se stessi accompagnare il SS. Sacramento, manderanno torcia, o candela da portarsi da altri, e pregheranno come sopra.

INDULGENZE

Applicabili per modo di suffragio alle Anime del Purgatorio, e concedute da Benedetto Papa XIV a' fedeli, che si esercitano negli atti di fede, speranza, e carità.

Indulgenza plenaria una volta per ciaschedun mese a' fedeli, che faranno una volta al giorno gli atti di fede speranza, e carità, della quale indulgenza si renderanno partecipi in quel giorno, in cui riceveranno i sacramenti della Penitenza, e della SS. Eucarestia.

Indulgenza plenaria a' fedeli, che faranno gli atti di fede, speranza, e carità in punto di morte.

Indulgenza di sette anni, e altrettante quarantene, qualunque volta i fedeli si eserciteranno in questi atti.

Per li segni dell' Ave Maria, *e per quelli del venerdì.*

Benedetto XIII concede cento giorni d'indulgenza a' fedeli, che al suono, che si dà della campana, la mattina, a mezzodì, e la sera, recitano in ginocchio tre volte la salutazione angelica; ed indulgenza plenaria una volta al mese ai medesimi fedeli, confessati, e comunicati.

E Benedetto XIV, confermando le suddette indulgenze, comanda, che durante il tempo pasquale, in vece della medesima orazione, si reciti in piedi l'antifona *Regina coeli ec.* col versetto, ed orazione corrispondente; per la qual recita concede benignamente l'istesse indulgenze, come sopra. Concede inoltre la medesima indulgenza a coloro, i quali non sapendo a mente la suddetta antifona, reciteranno come sopra l'orazione dell'*Angelus Domini ec.*

Benedetto XIV concede l'indulgenza di cento giorni a tutti i fedeli, i quali in ciaschedun venerdì dell'anno alle ore tre dopo mezzogiorno al suono della campana della parrocchia inginocchiati reciteranno cinque volte il *Pater noster* coll'*Ave Maria* in memoria della passione, ed agonia di nostro signor Gesù Cristo.

ISTRUZIONE

PER LE CONFERENZE.

Tutti i parrochi, beneficiati, vice parrochi, cappellani, e gli altri ecclesiastici, che hanno stanza nelle parrocchie di nostra giurisdizione, si aduneranno ciascun mese dell'anno, al dì, e all'ora assegnata nell'ultima precedente conferenza, se non saranno legittimamente impediti, ove si terrà la Congregazione. Quest'adunanza si farà nel Seminario di Giaveno dagli ecclesiastici di quel borgo, e del vicariato di Coazze; in Carignano, ed in Bernezzo nelle sacristie, o nelle case parrocchiali. Nei mesi di dicembre, gennajo, e febbrajo si tralasceranno queste Conferenze, come anche nella quaresima, per essere occupati nel fare i catechismi.

In ciascuna parrocchia si faranno pure le conferenze in tutte le settimane dell'anno, alle quali interverranno gli ecclesiastici abitanti nel luogo, e da queste saranno dispensati i cappellani delle cappelle campestri distanti più d'un miglio dalla parrocchia.

Sarà uffizio del Direttore dar cominciamento alla conferenza coll'inno *Veni Creator*, cui seguirà l'orazione allo Spirito Santo, alla B. Vergine, ed al santo titolare della parrocchia, ove si tiene adunanza. Dopo la quale orazione ciascuno a seder postosi, dal più giovine sacerdote distintamente leggerassi un capo del sinodo, indi alcuni avvertimenti di S. Carlo per li confessori, o parte della dottrina, che si premette a' sacramenti nel Rituale Romano. E quì ordiniamo al direttore delle conferenze, di far sovente promulgare tai dottrine, e agli ecclesiastici di leggerle continuamente.

Dopo la lettura si proporranno le morali questioni già indicate nella precedente conferenza; le quali (quando non saranno da noi trasmesse) verranno sempre proposte dal direttore, intorno a cui ciascuno dirà il suo parere, e darà il suo voto per ordine, senza confusione, senza interrompersi l'un l'altro, o rimettersi al voto, e al parere di chi avrà già risposto. E se alcuno per debolezza di memoria, o altra cagione non potesse farlo, rechi almeno il suo sentimento in iscritto, ed il legga. Nello scioglimento delle questioni

deesi esporre la dottrina, a cui ha rapporto il caso proposto, e secondo quella decidere. Il direttore, che dee dar opera, che ciascuno parli egualmente in ciascuna conferenza, esporrà l'ultimo il suo sentimento.

È necessario avvertire, che i puri fonti della morale cristiana sono le autorità della Sacra Scrittura, de' concilj, de' sommi pontefici, e de' Santi Padri; e però nelle risposte alle quistioni a que' fonti si vada, e fra gli autori moderni quelli sieno scelti, che professano di attenersi piuttosto alla dottrina della chiesa, che alle ragioni, e autorità umane. Sopra tutto raccomandiamo la lettura del catechismo romano, libro scritto particolarmente ad istruzione de' parrochi, persuasi, che quindi trarranno materia per le conferenze, e troveranno le più sicure massime della morale cristiana. Finalmente nel trattar le quistioni fuggasi la troppa squisitezza dello stile, ma anche la barbarie, e rozzezza: sia il discorso puro, semplice, e familiare, e cortesemente ascoltinsi anche i men colti parlatori.

Sciolti i casi, propongasi dal direttore qualche punto intorno a' sacri riti della messa privata, o solenne, dell' uffizio divino, dell' amministrazione de' Sacramenti o altra funzione; il che verrà somministrato dalle rubriche del messale, breviario, o rituale, che debbonsi spesso leggere dagli ecclesiastici.

Verso il fine, se alcuno avesse qualche difficoltà nel governo di sua parrocchia, propostala, ne chiegga il parere, o scritto il caso, e fatto proporre dal direttore, taciuto però il luogo, e le persone, di cui si tratta, ne attenda lo scioglimento; e finalmente chiudasi la conferenza col v. *Confirma hoc Deus ec.*, e l'orazione *Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei, et caritatis augumentum, et ut mereamur assequi, quod promittis, fac nos amare, quod praecipis. Per Christum ec.* E innanzi alla partenza s' intimi la futura conferenza, il giorno, l' ora, il luogo, e i casi da esaminarsi.

Perchè si mantenga l'ordine necessario nelle conferenze, in ogni mese nominiamo direttore in quelle di Giaveno, e Vicariato di Coazze il capo di conferenza del Seminario; in quelle di Bernezzo, e Carignano i vicarj Foranei delle medesime parrocchie; e in quelle di ogni settimana i parrochi di ciascun luogo.

Il direttore farà osservare appuntine le presenti regole,

con ammonire benignamente i trasgressori, animare i tiepidi, confortare i lenti, riguardando tutti come fratelli. Non permetterà alcuna altercazione, e contesa, nè alcun ozioso, e soperchio discorso.

Ciascun direttore di mese in mese per lettera ci darà contezza della precedente conferenza, notandoci in curto i casi proposti (ove non sieno stati inviati da Noi) e le risoluzioni, e il giorno assegnato per la futura conferenza, e i nomi degli assistenti senza legittimo impedimento.

ISTRUZIONE PONTIFICIA

DI BENEDETTO XIV.

NEI §§. XIV. E XV.

§. XIV.

Non essendovi cosa, che coll'assistenza dell'ajuto Divino più conferisca alla pace fra la podestà ecclesiastica, e la podestà secolare, che la vita innocente degli ecclesiastici, e conferendo molto a quest'intento il tener gli occhi aperti, come anche vien prescritto da'sacri canoni, allora che si tratta di ammettere qualcheduno al chiericato, come pure, che gli ammessi al chiericato vivano in un modo, che si rendano degni de'privilegi chiericali, e di ascender agli ordini superiori; si prescrivono in questo, e nel seguente paragrafo alcune regole da osservarsi inviolabilmente dai vescovi, ed ordinari de'luoghi.

Niuno potrà essere da or innanzi promosso alla prima tonsura, se non che a titolo di beneficio, o cappellania perpetua, le cui rendite, detratti i pesi, ascendano almeno alla metà della tassa stabilita pel patrimonio sacro della Diocesi del promovendo.

Giudicando qualche vescovo veramente utile, o necessario alla chiesa, conferire la prima tonsura a qualche giovine, benchè non abbia verun beneficio, potrà farlo, ma nel solo caso, che abbia il medesimo una pensione ecclesiastica perpetua della rendita, che ascenda almeno alla metà della tassa stabilita pel patrimonio sacro nella sua Diocesi, o l'intero patrimonio: il quale, per evitare qualunque frode, ed inganno, non potrà costituirsi d'or innanzi, che unicamente sopra i beni stabili, o sopra annue rendite fisse, e dovrà regolarsi a tenore della tassa Sinodale di ciascheduna Diocesi, purchè non sia esso patrimonio nè in minor somma di ventiquattro ducati, nè in maggior di quaranta.

Oltre al requisito del beneficio, cappellania perpetua, o

pensione ecclesiastica perpetua nella maniera spiegata di sopra, o dell' intero patrimonio, a niuno potrà conferirsi la prima tonsura, il quale dopo aver terminati dieci anni di sua età, non sia andato a dimorar almeno per un triennio in qualche Seminario, o convitto ecclesiastico; e dove ciò non possa farsi, non abbia almeno portato per tre anni l' abito chiericale con licenza del proprio ordinario, e in tutto il triennio, o almeno per la maggior parte delle feste di precetto di ciascuno de' tre anni non abbia servito a qualche Chiesa nella maniera, che gli sarà dal proprio vescovo prescritta; computando questo servizio colla dimora, che avrebbe dovuto fare in qualche Seminario, o Convitto ecclesiastico.

Simul et hoc probe intelligendum, inaequalitatem; sive quam natura ipsa inter virum et uxorem, inter parentes et liberos constituit; sive quam societatis ordo inter magistratus, et privatos invehit; nullo pacto officere aequalitati naturae inter homines. Duplex enim genus inaequalitatis intelligitur; unum, quo potestas tota refertur in commodum ejus, qui ea praeditus est. Ejusmodi est potestas hominis in pecudem. Si quam Dominus curam gerit jumenti, in id cura haec tota spectat, ut jumentum domino inserviat, non ut dominus aliquid jumento debeat; quasi mutua quadam officiorum communicatione teneantur. Alterum genus inaequalitatis est, cum potestas non in ejus tantum commodum cedit, qui ea praeditus est, verum etiam in eorum utilitatem, qui eidem subsunt. Hujusmodi est potestas parentum in libero; nam cum officium sit parentis prolem educare, ac recte instituere, ei officio potestas cohaeret, qua liberos regere valeat. Ejusmodi proinde non in parentis tantum, verum et in liberorum utilitatem cedit, mutuaque officiorum, et utilitatum communicatione continetur; quae mutua communicatio aequalitate naturae nititur, eamdemque patefacit, et confirmat.

Eadem ratio est de potestate eorum, qui civitatibus praesunt, erga privatos, qui ea potestate ad commune civitatis bonum diriguntur. Eo quippe spectat potestas publica, ut cives aequabilitate juris utantur, tutumque perfugium habeant adversus improborum vim, et audaciam; in quo sane privati spectantur, ut homines sunt, et natura aequales, utpote quibus potestate publica consulitur ad aequabilitatem juris obtinendam ac tuendam.

De statu Servitutis.

« Servitus est constitutio juris gentium (et civilis etiam) « qua quis domino alieno contra naturam subjicitur » idest contra communem illam hominum conditionem, quam initio habuerunt a natura. Jus naturae a se solo spectatum neminem servum facit; sed non prohibet, ne quis jure gentium vel civili servus fiat.

« Servi ex eo appellati sunt, quod imperatores (seu du- « ces) captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere « solent; qui etiam mancipia dicti sunt, eo quod ab hosti- « bus manucapiuntur. Servi autem aut nascuntur, aut fiunt. « Nascuntur ex ancillis nostris; fiunt aut jure gentium, idest « ex captivitate; aut jure civili, cum liber homo, major vi- « ginti annis, ad pretium participandum se se venumdari pas- « sus est.

Servitus non ita intelligenda est, quasi homo in hominem eam dominii rationem habere queat, quam habet in pecudem. Qua in re turpiter olim errarunt, qui servos in personarum numero censeri nolebant, et quantumvis inique, et crudeliter Dominus servum suum habuisset, nullam tamen a injuriam ei servo fieri autumabant. Etenim servitus aequalitatem naturae inter homines non delet: proinde per servitutem sic homo in dominio alterius esse intelligitur, quatenus Dominus jus perpetuum, et universum habet in omnes servi sui operas, quas quidem ab homine homini praestari fas est; et ea quidem lege, ut curam servi gerere Dominus debeat, eique officia humanitatis omnia studiose praestare, ut alibi declaravimus. Servitus sic intellecta non pugnat cum jure naturae, adeo ut peccare in legem naturae putandus sit, qui servos habet, eisdemque moderate utitur; tametsi maximo generis humani bono, servitus christiana mansuetudine jam pridem apud cultiores gentes sublata est. Quare quod olim jure gentium introductum fuerat, ut capti in bello servi fierent, non plane repugnabat juri naturae. Nunc vero si qui princeps, captos in bello justo, servituti addicere vellet, eosque ut servos venumdare, dici quidem non posset eum in legem naturae impingere: nihilominus haud scio, an non merito censeretur jus gentium violare. Ex quo argumentum col-

ligi potest, aliquod extare jus gentium a naturali distinctum, idemque mutationi obnoxium.

« In potestate dominorum sunt servi; quae quidem po« testas juris gentium est; nam apud omnes peraeque gentes « animadvertere possumus, dominis in servos vitae, necisque « potestatem fuisse; et quodcumque per servum adquiritur, « id domino adquiri. »

Apud multos populos summum illud jus vitae ac necis in servos usurpatum non est.

Ceterum id juris spectari potest vel in familiis dissitis, nullius imperio addictis, vel in civili societate. In familiis illis dissitis paterfamilias supremus erat imperans in familia, in eoque potestati herili cohaerebat suprema familiae regendae auctoritas. In societate civili nonnisi ex constitutione reipublicae dominis competere potuit jus vitae ac necis in servos; idque jus ad judicis potius, quam ad heri potestatem pertinebat. Et quamvis domini nulla etiam justa causa impune servos occidere possent, non ideo licebat eis gravius in servos animadvertere, quam culpa postularet. Quippe aliud est legitimum, quod legibus non coercetur; aliud legitimum, quod juribus et aequitati naturali est revera consentaneum.

« Sed hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio no« stro sunt, licet sine causa legibus cognita, in servos suos « supra modum soevire. Nam ex constitutione D. Antonini, « qui sine causa servum suum occiderit, non minus puniri « jubetur, quam si alienum servum occiderit. Sed et major « asperitas dominorum ejusdem principis constitutione coercetur: « nam Antoninus consultus a quibusdam praesidibus provin« ciarum de his servis, qui ad aedem sacram, vel ad sta« tuam principum confugiunt, praecipit, ut si intolerabilis « videatur saevitia dominorum, cogantur servos suos bonis « conditionibus vendere, ut pretium dominis daretur; et re« cte: expedit enim reipublicae, ne sua re quis male uta« tur. »

Digna sane vox supremo imperante.

Sed et animadvertendum, Antoninum Pium voluisse sacras aedes, ac statuas principum tutum esse perfugium infelicibus servis, qui ad eas confugerent. Nunquam forte sic bene agitur cum rebus humanis, ut non subverendum sit extituros identidem factiosos ac praepotentes homines, qui gratia et opibus abutantur ad eos perdendos, qui sibi non placeant.

Quare humanum est constitui aliquod perfugium, quo se cives in invidiam adducti recipere valeant; nec nisi causa cognita, inde nulla vi abstrahi queat.

A Lusitanis, et Gallis regibus, aliisque leges latae sunt ad coercendam dominorum asperitatem in Nigricolas, qui ex Africa in Colonias deportantur; quas utinam auri sacra fames non saepius eluderet! Batavis legibus cautum esse dicunt, ne Nigricola testis in judicio adversus europaeos incolas consistere valeat: quae lex videtur magnam dominis facultatem tribuere in servos pro lubito saeviendi.

« In servorum conditione nulla est differentia; in liberis « autem multa. » Liberi scilicet aut sunt ingenui, qui nativam habent libertatem: aut libertini, qui ex justa servitute manumissi sunt. De modis, et causis manumittendi, deque diverso statu libertinorum, nihil attinet hoc loco dicere, utpote quae minus jam ad usum faciunt.

De Patria Potestate.

« In potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex justis nu-« ptiis procreavimus. »

« Jus autem potestatis, quod in liberos habemus, pro-« prium est civium romanorum: nulli enim alii sunt homi-« nes, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos « habemus. »

Haud satis recte sentiunt, qui ex his verbis colligunt patriam potestatem, generatim, et indefinite sumptam, totam e jure romano profluxisse; quasi ubicumque jus romanorum non viguerit, nulla patria potestas extiterit. Recte Vinnius his verbis significari ait, etiam alias gentes habere in liberos potestatem, sed dissimilem; quippe patria potestas indefinite considerata, ut supra diximus, originem ex jure naturae trahit. Quare recte ait Plinius *in Paneg.: vis, et lex naturae semper in ditione parentum liberos esse jussit*; ut etiam disputat Aristoteles *lib.* 1. *Politic.* 8.

In familiis dissitis patriae potestati cohaeret suprema imperii potestas; idque ad justam et congruentem familiae gubernationem; qua potestate usos veteres patriarchas e sacris litteris colligitur.

In civili societate publicam potestatem patriae potestati moderari aequum est. Non expedit quidem tantam concedi,

quanta fuit apud veteres romanos, quibus liberos venumdare, et occidere licebat; qua patres nefarios abûti proclivius erat, quamque procedente tempore imminui oportuit. Verum expedit patriae potestatis jura sanciri, quantum opus est ad coercendam liberorum impotentiam, et muniendum reverentiae obsequium, quod filii parentibus debent, nil quippe aptius ad retinendos in civitate mores bonos.

Legibus romanis patria potestas jus erat in liberos justis nuptiis procreatos, tum in legitimatos, et etiam adoptivos.

Legitimi dicuntur, qui sunt ex justis nuptiis procreati. Qui igitur ex te, et uxore tua nascitur, in tua potestate est; item qui ex filio tuo, et uxore ejus nascitur, idest nepos, et neptis, aeque in tua sunt potestate, et pronepos, et proneptis, et deinceps. Qui autem ex filia tua nascuntur, in potestate tua non sunt, sed patris eorum.

Naturales dicuntur, sed illegitimi, qui procreantur extra justas nuptias; qui si legitimantur vel per subsequens matrimonium, vel beneficio principis, legitimati vocantur.

Spurii dicuntur nullo certo patre nati.

Generatim procreati extra justas nuptias, in potestate patris non censebantur. Id porro intelligendum de potestate quatenus jure civili romano sancita erat. Nam patria potestas, quatenus jure naturae constat, in liberos plane omnes valet. Quocumque proinde statu liberi debent parentes vereri, colere, eisdemque, si necesse fuerit, pro viribus opitulari; debent et parentibus subesse in his, quae ad familiae administrationem pertinent. Simul vero parentes quorumcumque liberorum curam gerere debent, eisdem alimenta necessaria suppeditare, eniti ut bonis praeceptionibus imbuantur, et ad congruens aliquod vitae genus instituantur, unde et sibi prospicere, et reipublicae prodesse valeant.

De Nuptiis.

« Nuptiae, sive matrimonium est viri et mulieris con-« junctio, individuam vitae consuetudinem continens. » Haec conjunctio animorum est potius, quam corporum; nam matrimonium consensus facit, non concubitus. Nuptiae autem sic dictae sunt a nubendo, quod olim novae nuptae, pudoris causa, caput obnubere solerent.

Matrimonium spectari potest, vel ut est officium naturae, vel ut contractus civilis, vel ut Sacramentum; ad quam dignitatem a Christo evectum est.

« Justas autem nuptias inter se cives romani contrahunt, « qui secundum praecepta legum coeunt: masculi quidem pu- « beres, foeminae autem viri potentes: sive patres familia- « rum sint, sive filii familiarum, dum tamen si filii familiarum sint, consensum habeant parentum, quorum in pote- « state sunt: nam hoc fieri debere, et civilis, et naturalis « ratio suadet. »

Hic matrimonium, prout est contractus civilis, romano jure describitur. Equidem cum recta ineundi conjugii ratio ad optimum statum reipublicae magnopere conferat, potuit respublica conditiones praescribere, quibus non servatis, nec ut contractus civilis, nec ut officium naturae, valeret. Sacramenti autem ratio in contractu valido, velut in subjecta materia, convalescit. Hinc ab exordio religionis christianae Ecclesia ipsa repulit ea conjugia, quibus deessent conditiones legibus praescriptae, quae ad conjugii honestatem facerent. Simul vero Ecclesia sub ethnicis etiam imperatoribus potuit conditiones alias praescribere ad conjugii sanctitatem pertinentes, quas fideles servare tenerentur, et sine quibus nullum, irritumque esset fidelium conjugium. Etenim fideles dum Christianae religioni nomen darent, ea se obligatione adstringebant, ut ad Sacramenta percipienda nonnisi ex Ecclesiae praescripto accederent. Suscipienda autem christiana religione imperatores, et respublicae christianae, hanc Ecclesiae auctoritatem ultro agnoverunt, ac probarunt. Quippe absurdum foret ab his, qui christianam fidem, ac societatem profitentur, Ecclesiae sanctione contemni in his, quae ad Sacramentorum rationem pertinent. Itaque impedimenta matrimonii dirimentia constituta sunt: partim ea, quibus nulla et irrita veteribus erant conjugia, quae conjugia nec inter fideles vim habere Ecclesia censuit, nec ad Sacramenti dignitatem evehi posse: partim quae sunt Ecclesiae institutis inducta, e quibus peculiaris ratio prodibat, ne inter fideles iniri conjugia possent, ut patet in spiritalis affinitatis impedimento. Quare in causis matrimonialibus quod attinet ad rationem Sacramenti, et ad firmitatem vinculi, Ecclesiae est suum judicium interponere; atque ubi obstet impedimentum dirimens, non aliter conjugium

iniri potest, nisi relaxato per pontificiam dispensationem impedimento.

Jam ex allato textu et sequentibus, quatuor sunt conditiones, quae ad justas nuptias jure romano requiruntur.

I. Ut Cives romani contrahant. Haec conditio, ne laederetur aequitas naturalis, non tam ipsas nuptias afficere debuit, quam jura civilia, quae apud Romanos nuptias consequerentur. Recte proinde jure pontificio statutum est, ut omnes homines sive cives, sive peregrini; sive liberi, sive servi, justas nuptias contrahant.

II. Requiritur pubertas, quae masculis anno decimoquarto in foeminis duodecimo definitur.

III. Ut filiifamilias consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. Equidem pietatis parentibus debitae officium graviter laedunt filiifamilias, qui insciis aut invitis parentibus contrahunt, nisi consensum rogati parentes inique negent, ut non censeantur justa ratione inviti. Quippe patria potestas non extinguit in liberis jura, quae ipsis competunt ut homines sunt; nec proinde liberi parentibus subsunt in his quae sunt juris naturae, quale jus est ineundi conjugii. Non ergo ita requiritur parentum consensus, ut, si absit, matrimonium nullum sit et irritum; neque enim aut in patria potestate, aut in tutorum auctoritate, aut in herili dominio vis ea est, quae valeat irrita facere liberorum, vel servorum conjugia. Quod si canones proferantur, quibus efficiatur ecclesiam ratas olim habuisse civiles leges, quibus aut filiorumfamilias, aut servorum conjugia sine parentum, aut dominorum consensu irrita declarantur, nihil id ad rem praesentem pertinet: quippe illa conjugia non vi patriae, aut herilis potestatis, sed publica legum auctoritate irrita declarabantur, nunc autem in id tantum valet ea conditio, ut matrimonia sine consensu parentum inita civilibus illis juribus, et commodis priventur, quae connubia legibus probata consequuntur.

IV. Ut contrahentes a quibusdam nuptiis abstineant, quae propter consanguinitatem, vel affinitatem, aut nefarii quid prae se ferunt, aut pudori minus consulunt: de quibus jam dicendum.

Consanguinitas est conjunctio inter personas ex eodem stipite prognatas.

Agnati dicuntur, qui per viros, cognati proprie qui per foeminas junguntur.

Itaque cognationis vocabulum vel promiscue sumitur, vel proprie. Cognatio promiscue, ac generatim supta, cognationem et agnationem complectitur: proprie, agnationi opponitur.

Duplex in consanguinitate linea distinguitur, recta, et transversa. Recta est ordinata series eorum, qui alii ab aliis progignuntur, in qua scilicet a filio ascenditur ad patrem, ad avum, proavum, abavum, atavum, tritavum etc. et rursum a patre descenditur ad filium, ad nepotem, pronepotem, abnepotem, trinepotem etc. Transversa eos complectitur, qui a communi quidem stipite veniunt, nec tamen una ab altera provenit, qualis est inter fratrem, et sororem, consobrinum, et consobrinam etc.; unde isti collaterales dicuntur.

« Inter eas personas, quae parentum, liberorumve lo-« cum inter se obtinent, contrahi nuptiae non possunt: ve-« luti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, vel ma-« trem et filium, vel aviam et nepotem: et usque in infi-« nitum. Et si tales personae inter se coierint, nefarias, « atque incestae nuptias contraxisse dicuntur. »

Idem habet Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum.

In linea collaterali propinquitatis gradus, alia ratione Caesareo, alia pontificio jure computantur.

Jure civili tot sunt gradus, quod generationes. Jure canonico tot gradibus personae distant inter se, quot gradibus distant a communi stipite. Sic frater et soror primum gradum propinquitatis obtinent: filii fratrum et sororum, secundum, et sic deinceps. Quod si personae inaequaliter distant a communi stipite, velut filia et frater patris, eo gradu sunt, quo remotior distat a stipite. Stipes in allato exemplo avus est filiae; proinde filia duplici gradu ab eo distat; et quamquam patruus filiae, frater scilicet patris ejusdem filiae, uno tantum gradu distet ab eo communi stipite, tamen secundo gradu a filia distare censetur, eo scilicet gradu quo filia distat ab avo.

Impedimentum ortum ex consanguinitatis propinquitate quartum gradum complectitur, eoque finitur.

Atque in primo quidem gradu, maxime vero inter fratrem et sororem editos eodem patre, eademque matre, vel tantum eadem matre, consanguinitatem matrimonium diri-

mere jure naturae plerique censent, nisi, ut mundi exordio, et post diluvium contigit, ejusmodi conjugium necessarium prorsus foret ad genus humanum conservandum.

In secundo gradu censentur fratrum vel sororum liberi, tum etiam patruus et fratris filia. Et quidem fratrum, sororumve liberos conjungi posse statuit Justinianus; sed fuit deinceps haec conjunctio improbata. Simul negat imperator, licere fratris vel sororis filiam uxorem ducere; tametsi secundo gradu, non minus quam consobrini, distare censeantur. Atque has quidem nuptias lege divina non obscure vetari, ex hoc infert Vinnius, quod prehibemur ducere amitam et materteram, *Levitici* XVIII. quippe eadem est ratio. Hancque Divinam legem non tantum positivam, sed plane naturalem, nec ulli proinde mutationi obnoxiam ex eo non pauci Heterodoxi evincere se posse putant, quod ejusmodi nuptiae illo levitici capite inter ea flagitia numerantur, quae in ethnicas gentes ultionem divinam concitarunt. Nusquam porro flagitiosae fuissent inter ethnicos illae nuptiae, si mosaica tantum lege, non autem etiam naturali vetitae fuissent.

At primum fas est animadvertere, non eamdem esse plane conjugii rationem inter patruum et fratris filiam, atque inter materteram, aut amitam et filium fratris. Nam cum viro uxorem morem gerere oporteat, in filia fratris uxoris erga virum obseqium non aegre conciliatur cum ea obsequii ratione, quae patruo debetur: minus apte vero sociabitur in filio fratris maritalis auctoritas in uxorem cum eo reverentiae obsequio, qui debetur amitae, ac materterae.

Deinde animadvertendum, in illo capite levitici multa judaeis prohiberi, et quidem diversi generis, inter quae non pauca sunt natura sua turpia et foedissima; quibus enumeratis generatim additur, propter ea ethnicas gentes iram in se Dei concitasse.

Neque vero, ut hujus pronunciati veritas constet, necesse est omnia prorsus, quae illo capite prohibentur, lege naturae vetari; satis est pleraque revera legi naturae infensa et adversa fuisse, ob quae merito dici potuerit gentes tot tantisque flagitiis obnoxias Dei ultionem promeruisse: velut si diceretur, gentes violatis decem divinae legis praeceptis poenas suae improbitatis dedisse, facile id intelligeretur non ob eam partem, quae positivi juris est in tertio praecepto, sed ob alia quae naturali legi adversantur. Minime proinde con-

cludi potest ex illo capite levitici, conjugio materterae vel amitae cum fratris filio jus naturae violari; multo minus vero efficietur cum naturali lege pugnare nuptias inter patruum et filium fratris, vel sororis; nam nec ejus mentio habetur in Levitico, et siquidem par est ejus conditio, ut adversarii volunt, atque conjugii inter materteram vel amitam, et filium fratris, necessaria quaedam ratio eos coget utrumque ab omni labe adversus naturae legem immune fateri. Etenim Sara nupsit Abrahae, cum filia esset fratris ejus, eodem patre, non eadem matre suscepti. Quis autem incestas, aut cum naturae jure pugnantes dixerit eas nuptias, quas Deo gratissimas fuisse sacrae litterae dubitare non sinunt? Ergo in eo secundo gradu quocumque modo non aliud impedimentum existit quam quod humano jure inductum est, potestque adeo pontificia auctoritate ac venia relaxari.

Affinitas est propinquitas orta ex conjunctione sive licita, sive illicita, viri cum consanguineis mulieris, vel mulieris cum viri consanguineis. Itaque affinitas est inter virum solum, et consanguineos mulieris; inter mulierem solam, et consanguineos viri: nulla autem intercedit intar consanguineos viri, et consanguineos mulieris: unde natum est illud, *affinitas non parit affinitatem.* Nil proinde obstat, quin frater viri ducat sororem uxoris sui fratris.

Affinitatis impedimentum ex legitimo connubio in quarto gradu finitur; ex illicita conjunctione in secundo.

Hoc impedimentum jure humano constitutum est: tametsi non desunt qui jure naturae irritas existiment nuptias inter eos, qui parentum ac liberorum locum tenent, velut inter vitricum et privignam, inter privignum et novercam; quibus favere videtur locus Apostoli I. ad Corinthos cap. v.

Est etiam ratio habenda spiritalis cognationis ecclesiastico jure inductae ratione Baptismi, et Confirmationis. Hoc impedimentum locum habet inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem; tum inter susceptores et baptizatum, ejusdemque patrem et matrem. Atque de nuptiis hactenus.

De Adoptionibus.

Est adoptio actus legitimus, quo in locum filii adsciscitur qui extraneus est, ad eorum, qui liberos non habent, solatium inventus.

Duobus modis fiebat, vel principali rescripto, vel imperio magistratus. Imperatoris auctoritate adoptabantur qui, quaeve sui juris essent; quae species adoptionis dicitur Abrogatio. Imperio magistratus adoptabantur qui, quaeve essent in potestate parentum. Haec species genericum nomen adoptionis retinet. Plura de his disputare non juvat.

Quibus modis jus patriae potestatis solvitur.

Jus patriae potestatis hoc loco intelligi debet quod a civilibus Romanorum institutis manabat; non quod lege naturae sancitur, estque immutabile: nec enim, ut recte ait Pomponius jurisconsultus, jura sanguinis ullo jure civili dirimi possunt.

I. Itaque morte naturali parentis, nisi avus supersit, filii fiunt sui juris, et singulas familias habere incipiunt; jamque vocantur patresfamilias, tametsi pupilli sint et infantes.

II. Cum quis ob maleficium in insulam deportatur, quae deportatio successit in locum interdictionis aquae et ignis, civitatem, adeoque et jura patriae potestatis amittit: atque haec vulgo mors civilis dicitur. Pari ratione filius in insulam deportatus desinit esse in potestate parentis. Secus de patribus ac filiis dumtaxat relegatis. Discrimen deportationis, exilii, ac relegationis, ex romanorum moribus et institutis petendum.

III. « Poenae servus effectus, filios in potestate habere « desinit: servi autem poenae efficiuntur, qui in metalla dam- « nantur, et qui bestiis subjiciuntur. »

Hanc poenae servitutem jure novissimo sublatam ait Vinnius.

IV. Summa patriciatus dignitas filium a patria potestate liberabat. Summa autem dicitur non gradu, nam Consulatus praecellebat; sed quod ad magnitudinem accederet dignitatis perpetuitas. Porro soliti erant imperatores Costantinopolitani ex senatoribus, qui curulibus magistratibus functi essent, sibi consiliarios et quasi patres legere, quos patricios dici placuit quasi patres communis reipublicae.

V. Quod attinet ad captivitatem et postliminum, quae Justinianus statuit, minus jam ad rem facere videntur, quod qui capti sunt in bello, servi hostium non fiunt. Sed de jure postliminii consulendus Grotius *de jure belli et pacis.*

VI. Emancipatione desinunt quoque liberi in potestate parentum esse. Emancipatio hodie definiri potest actus legitimus, quo liberi a manu patris apud competentem judicem dimittuntur. Fiebat olim per imaginarias venditiones, eo quod Lege XII. Tabularum filius ter a patre venundatus, et ab emptore manumissus, sui demum juris fiebat: rudi sane commento et mali exempli, quo docebantur cives simulatis actibus leges irridere potius, quam servare. Merito proinde neglecta postmodum fuit haec antiquae emancipationis fabula, ut ai Vinnius; statutumque e Justiniano, ut apud competentes judices sine fuco et fallaciis perageretur.

Sed haec omnia melius dijudicabuntur ex singulorum populorum legibus et institutis.

De Tutelis.

Tutelae munus e jure naturae promanat; nil enim aequitati naturali tam consentaneum, quam ut ineuntis aetatis imbecillitati prospiciatur, sive per eos, quos parentes in sui veluti locum adsciverint, sive per eos, qui jure sanguinis pupillos propius attingunt, sive demum per ipsam rempublicam, cui civium et personae, et res commendatae esse debent. Verum ut id munus rite et ordine praestaretur, sanctiones civiles ad aequitatem naturalem accedere oportuit, quibus et ipsa aequitas muniretur, et ad ea omnia, quae usus exigeret, aptius accommodaretur. Sed jam de Tutelis Justinianum audiamus.

« Ex his personis, quae in potestate non sunt, quae-
« dam vel in tutela sunt, vel in curatione; quaedam neutro
« jure tenentur.

« Est autem tutela vis, ac potestas in capite libero ad
« tuendum eum, qui per aetatem se ipse defendere nequit,
« jure civili data ac permissa.

« Tutores sunt, qui eam vim, ac potestatem habent,
« exque ipsa re nomen acceperunt. »

His verbis adstruitur tutori aliqua potestas ad munus suum gerendum. Dicitur autem *in capite libero*, quia pupillus cum non sit sub patria potestate, caput liberum censetur, estque sui juris, licet non suae auctoritatis. Dicitur *lege civili data ac permissa*; scilicet triplex est jure romano tutelae species, prima testamentaria, cum pater testamento tu-

torem dat liberis adhuc impuberibus: altera legitima, quae deficiente testamentaria defertur agnatis lege XII. Tabularum; tertia dativa, quae cessante testamentaria, et legitima, dabatur a magistratu.

Notandum etiam, tutorem personae primario dari, et subinde rebus; quo differt a curatore, qui rebus datur, non personae.

« Dari autem tutor potest testamento non solum pater-« familias, sed etiam filiusfamilias. »

Tutela quippe munus publicum est, quo filiusfamilias fungi potest non secus ac magistratus gerere.

« Furiosus, vel minor viginti quinque annis tutor testa-« mento datus, tutor tunc erit, quum compos mentis, aut « major vigintiquinque ànnis fuerit factus ».

Deficiente testamentaria tutela Lege XII. Tabularum inductum est, ut proximior agnatus tutelam susciperet, hac ratione quod tutelae onus ad eos pervenire debeat, ad quos impubere decedente perventura sit haereditas. Sed haec ipsa eadem suasit Soloni, ut proximiores agnatos a tutela removeret. Quod argumento est decemviros majorem fidem habuisse romanae probitati, quam Solonem Graiae.

De auctoritate Tutorum.

« Auctoritas tutoris in quibusdam causis necessaria pu-« pillis est, in quibusdam non est necessaria ».

Universe, quantum ad acquirendum, pupillus non indiget tutoris auctoritate.

« Namque placuit meliorem quidem conditionem licere « eis facere, etiam sine tutoris auctoritate: deteriorem vero « non aliter, quam cum tutoris auctoritate. Unde in his cau-« sis, ex quibus obligationes mutuae nascuntur, ut in em-« ptionibus, venditionibus ec., si tutoris auctoritas non inter-« veniat, ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur: « at invicem pupilli non obligantur ».

Excipiendum ex naturali aequitate, nisi in quantum locupletiores facti sint; natura enim aequum est neminem cum alterius detrimento et injuria locupletiorem fieri.

« Neque tamen haereditatem adire ..... aliter possunt, nisi « tutoris auctoritate (quamvis illis lucrosa sit) ne ullum « damnum habeant ».

De Curatoribus.

Cum tutor personae detur propter aetatis imbecillitatem, solis impuberibus datur; ideoque adveniente pubertate tutela finitur. Tum qui ante pupilli dicebantur, deinceps vocantur minores, iisque curatores dantur, quosque majores fiant.

Non omnino par est tutoris, atque curatoris officium. Tutori persona primario commendatur, curatori negotiorum gestio. Testamento dari tutor potest, non item curato, qui, si detur, a magistratu confirmandus est. Praesens tutoris auctoritas interveniat oportet in his, quae a pupillo geruntur; quae geruntur a minore, subsequente curatoris consensu confirmantur.

Curator certae rei, vel causae dari potest, non tutor. Pupillo invito datur tutor; non datur curator invito minori, praeterquam in litem.

Nonnunquam etiam majoribus legum praescripto dantur curatores propter animi, vel corporis vitium, velut mente captis, prodigis, mutis, surdis, iisque qui rebus suis superesse non possunt.

Tria porro sunt tutoribus, et curatoribus communia, satisdatio, excusatio, et suspecti cognitio.

De Satisdatione.

Tenentur conficere inventarium, cujus omissio suspectum facit, et infamem; simulque juramentum, et satisdationem praestare.

Satisdare est, datis fidejussoribus securum facere.

Tutores testamento dati satisdare non coguntur, quia fides eorum a testatore probata est, nec porro tutores vel curatores ex inquisitione dati; quia idonei electi.

De excusationibus Tutorum, vel Curatorum.

Plures causas Justinianus memorat eximentes ab onere tutelae, vel curationis suscipiendae.

1. Numerus liberorum, modo naturales sint et legtimi, et in vivis agant, nisi in acie decesserint; qui enim pro re-

publica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. Quinque sufficiunt, et si quidem ex his aliquis relictis liberis decesserit, isti patrem repraesentant, et pro uno computantur. 2. Rei fiscalis administratio, vel etiam rei privatae principis. 3. Absentia reipublicae causa. 4. Magistratus gestio. 5. Causa litis inter tutorem et pupillum universa bona respiciens. 6. Tria onera tutelae non affectatae. 7. Paupertas. 8. Adversa valetudo. 9. Litterarum imperitia. 10. Capitales inimicitiae. 11. Artium liberalium professio. 12. Aetas septuaginta annorum expleta.

Removentur autem a tutela, ratione aetatis, impuberes, et minores: ratione officii, milites, qui nec volentes ad tutelae onus admittuntur, ne a signis avocentur.

De suspectis Tutoribus, vel Curatoribus.

Suspectus est, qui non ex fide tutelam gerit, idest non tantum qui fraudulenter, verum etiam qui negligenter gerit.

« Sciendum est, quasi publicam esse hanc accusationem, « hoc est, omnibus patere. Quinimo mulieres admittuntur: « sed hae solae, quae pietatis necessitudine ductae, ad hoc « procedunt: ut, puta, mater, nutrix quoque et avia, item « et soror ».

Vere suspectus removeri debet a competente judice.

« Suspectus autem remotus, si quidem ob dolum famo- « sus est: si ob culpam, non aeque: » saltem ob culpam non latam.

LIBER II.

De rerum divisione, et acquirendo ipsarum dominio.

Res, ex Justiniani divisione, aliae sunt communes, aliae publicae, aliae universitatis, aliae nullius, aliae singulorum.

Communes dicuntur, quae a natura ad omnium usum proditae sunt, quarum proprietas nullius est, usus omnium; quae scilicet sic natura comparatae sunt, ut occupari a nemine queant; et cum quisque usus fuerit, tantundem aliis utendum remaneat. Talis est aer, lux, corpus aquae profluentis.

His Justinianus addit et mare, et maris littora. Littus autem maris definit « quatenus hybernus fluctus maximus « excurrit. Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur: « dum tamen a villis, et monumentis, et aedificiis abstineat: « quia non sunt juris gentium, sicut est mare ».

Et quidem de alto mari nulla dubitatio esse potest. Nam sic natura comparata est immensa pelagi vastitas, ut omnibus ex aequo pateat, a nemine occupari, aut costodiri, nec ejus utendi facultas exhauriri unquam sic possit, ut non semper aeque utendum aliis supersit. Id ergo jure naturae, ac gentium commune merito dicemus.

Si vero de mari littoribus adjacente sermo est, nulla ratio juris naturalis obstat, quominus in eorum populorum ditionem veniat, a quibus ut custodiri, ita et occupari potest. Idque jam quidem jure communi gentium receptum videtur. Quare quod littora maris communia dicta sint a Justiniano, id e romano jure, non ex jure naturae, petitum est.

Sed et hoc minime praetermittendum, aequitatem naturalem id maxime postulare, ut quod non nobis nocet, aliis autem prodest, libenter cum aliis communicemus. Huiusmodi est appulsus ad littora, ut proinde in societatem humani

generis iniquior videretur, qui ab innocuo appulsu ad suae ditionis littora, nulla justa causa, prohibere alios vellet.

Res publicae dicuntur, quae in nullius privati dominio sunt, sed in alicujus populi potestatem redactae sunt. Hujusmodi sunt jure romano flumina perpetuo fluentia; nam torrentia, quae solis ardore exsiccantur, publica non sunt; portus, locus scilicet in mari vel flumine, quo importantur vel exponuntur merces, ergo in portu, fluminibusque jus piscandi, navigandique commune est omnibus, qui de populo sunt, cujus fines flumen alluit.

« Riparum quoque usus publicus est. Itaque naves ad « eas appellère, arboribus ibi natis ligare, onus aliquod in « his reponere, cuilibet liberum est; sed proprietas earum « illorum est, quorum praediis haerent ».

Sed pleraque ista novis gentium moribus, et principum constitutionibus mutata sunt; quandoquidem littora, mare ipsum, idque praesertim quod littoribus adiacet, atque custodiri potest, flumina, jus piscandi ec. Regalium jure censentur (*Lib.* 2. *Feudor.*).

Itaque res publicae duplicis generis distingui possunt; aliae quarum usus indiscriminatim privatis conceditur; aliae quae manent in potestate populi, vel eorum qui imperium tenent in populo.

Res universitatis sunt, quarum proprietas est universitatis, aut collegii alicujus; usus autem omnium, qui sunt ex ea universitate, vel collegio, ut theatra, et his similia. Viae, per quas omnibus iter debetur, publicae sunt, non universitatis.

Inter res nullius memorantur a Justiniano res sacrae, religiosae, et sanctae; « quod enim, inquit, Divini juris est, « id nullius in bonis est. « Et ideo haec quasi nostra vendicare non possumus nec proprietate, nec usu profano.

« Sacrae res sunt, quae rite per pontifices Deo conse- « cratae sunt: veluti aedes sacrae, et donaria, quae rite « ad ministerium Dei dedicata sunt: quae etiam per nostram « Constitutionem alienari, et obligari prohibuimus, excepta « causa redemptionis captivorum ».

Cui additur et pauperum alendorum causa, et debitorum Ecclesiae in casu necessitatis.

Religiosus apud Justinianum locus dicitur, in quem quis mortuum intulerit, sive propria duntaxat voluntate, si suus

sit locus; sive consentiente domino, si alienus. Jure canonico religiosus non fit locus, nisi ab Episcopo, vel sacerdote, quem episcopus delegaverit. Hujusmodi sunt caemeteria.

« Sanctae quoque res, veluti muri, et portae civitatis, « quodammodo Divini juris sunt, et ideo nullius in bonis sunt. »

Recte additum a Justiniano *quodammodo*: neque enim proprie Divini juris sunt, sed ita appellantur propter similitudinem, quia nec cujusquam sunt aut proprietate, aut usu promiscuo, ut ait Vinnius.

« Ideo autem muros sanctos dicimus, quia poena capi« tis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint. « Ideo et legum eas partes, quibus poenas constituimus « adversus eos, qui contra leges fecerint, Sanctiones vo« camus. »

De modis, quibus res singulorum fiunt.

« Singulorum autem hominum multis modis res fiunt; « quarumdam enim rerum dominium nanciscimur jure na« turali, quod, sicut diximus, appellatur jus gentium: qua« rumdam vero jure civili. »

Duplici jure dominium rerum singulis acquiritur, jure gentium, et jure civili. Variis autem modis utroque jure comparatur, qui tamen ad duos praecipuos revocari solent, originarium, quem vocant, et derivativum. Modus acquirendi originarius dicitur, cum res quae nullius antea erat, in dominium nostrum venit: derivativus, cum dominium ex uno in alium transfertur.

Modi originarii ad duos etiam commode revocari possunt: ad factum nostrum, seu occupationem, et ad rei nostrae vim, ac potestatem. Facto nostro fit nostra res nullius, quae a nobis occupatur: deinde si rei nostrae vi ac potestate aliae res eduntur, velut fruges quas terra parit, eae res conditionem ejus sequuntur, cujus vi ac potestate sunt editae, fiuntque nostrae.

Sed de originario acquirendi modo pauca sunt subjicienda. Si forte alicubi gentium tempus aliquod fuit, quo nulla civili societate adhuc constituta fusi homines per agros ac dispersi vagarentur, tum cuique homini jus fasque erat fru-

ctum ex arbore decerpere, quo aleretur. Nam quae terra parit ac profundit, ad hominum victum et commodum providentissimi numinis munere consulto donata esse vel ipsi ethnici probe intellexerunt. Itaque fructus ille cum omnibus pateat, nec ullius adhuc sit, jure naturae fit primi occupantis. Cum autem alii polleant eodem jure fructus ex ea planta legendi, ipsa planta non censetur in ejus dominium transire, qui fructum primus occupaverit.

Itaque quod attinet ad fundum, et ea quae fundo inhaerent, si quis homo fingatur solus in regione vacua, tantum ejus fundi in sui ditionem ac dominium rediget, quantum ille opera sua et idustria occupare, ac sibi servare poterit. Nam, ut recte Quintilianus: *quod omnibus nascitur, industriae praemium est.* Quod si plures in eadem regione extiterint, cum omnes aequo jure in omnia polleant, opus erit divisione, quae vel pactis expressis fiat, vel tacita conditione, ut quisque illam partem agri teneat, quam colere coeperit, cuique suam industriam adjunxerit. Quod in regionibus vacuis facile intervenire potuit, ubi cuique commodum erat sine alterius incommodo tantum expositi soli sibi sumere, quantum sibi satis esset.

Constituta vero civitate, sive cum populi vagantes, sed civili vinculo adstricti in vacuas regiones immigrarunt, easdemque occupaverunt, tota regio in totius populi, seu civilis ejus societatis dominium redacta existimanda est, ut nil sit in illa regione, quarum quidem rerum dominium acquiri possit, quod non in ejus populi ditione ac potestate censeatur. Deinceps vero fiet agrorum divisio inter privatos per magistratuum assignationem, vel per singulorum occupationem, modo superius explicato; semper tamen cum expresso, vel tacito societatis ipsius consensu, sive eorum, qui supremum in ea imperium tenent, pro diversa regiminis forma.

Quod si facta prima illa divisione superesse liqua contingerit, quae nulli adhuc privato attributa sint, ea censebuntur esse nullius quoad cives ut singulos, non autem quoad ipsam civilem societatem, in cujus ditione tota regio existit. Quod si civitas ea sibi utenda non retinet, nec vetat quin a singulis acquiri valeant, tum earum rerum occupatio cuique concessa censebitur; eaeque res proinde in civili societate acquirentur jure primi occupantis, non secus atque ante

constitutam civitatem jure naturae a singulis occupari, et acquiri poterant.

Certe singulorum bona non ita sua cujusque sunt, ut alto ac eminenti reipublicae dominio non subjaceant; id enim postulat communis boni ratio, eaque suprema lex societatis, quae privatorum commodis populi salutem, ac publicam incolumitatem anteponit. Quamobrem potest jure suo respublica leges ferre de acquirendis, vel transferendis dominiis, quibus non servatis dominia nec acquirantur, nec transferantur. Quam in rem apte Augustinus relatus in canone: *tolle*, inquit, *jura Imperatorum*, *et quis potest dicere*, *vinea haec mea est?*

Neque id eo spectat, ut verum privatis in res suas dominium submoveatur; interest quippe reipublicae, ut cives bonis suis, quam fieri potest, tranquille ac tuto potiantur; sed ut jura possessionum totius reipublicae saluti ac incolumitati accommodentur, quam civium singulorum salus et incolumitas continetur.

Definitio, et divisio dominii.

Dominium generatim intelligi potest jus statuendi, ac decernendi.

Dominium aliud jurisdictionis esse dicitur, aliud proprietatis.

Dominium jurisdictionis est jus regendorum hominum, qui publicae potestati parent, communis boni causa constitutum; quod fit praecipiendo, vetando, judicando, puniendo ec.

Ad dominium jurisdictionis commode referri potest altum et eminens dominium, quod reipublicae, vel summis imperantibus competit in bona civium, ad pubblici boni tuitionem, et incolumitatem: de quibus non est hujus instituti disputatio.

Dominium proprietatis est jus de rebus suis pro arbitrio statuendi, ac decernendi. Juris porro nomine intelligitur non quaevis potestas, sed potestas moralis. Ex quo sequitur, dominium, prout jus est in statu naturae, legi naturali, in statu vero civili, etiam legibus civilibus obnoxium esse; unde nequeat quis jure dominii aliter de rebus suis decernere ac statuere, quam prout jura concesserint.

Proprietatis dominium dividitur in perfectum, et imperfectum. Perfectum, quod in proprietate et fructu consistit:

imperfectum, quod in alterutro: et si quidem in rei proprietate consistit, dicitur dominium directum; utile vero, si in fructu. Sed haec planius intelligentur ex dicendis de Emphyteusi.

Praeter jus in rem, vel in re, ut alii dicunt, extat jus ad rem, seu in personam, quoties persona adstricta est ad aliquid dandum, vel faciendum. Oritur hoc jus ex contractu, et quasi contractu, ex maleficio, et quasi maleficio. Ex jure in rem oriuntur actiones reales; ex jure ad rem personales, de quibus suo loco.

Jam dicendum de modis acquirendi dominii, qui passim celebrantur a Jurisconsultis, suntque tres, occupatio, accessio, et traditio.

De occupatione.

Ad occupationem referuntur venatio, piscatio, bellica invasio, inventio.

De feris occupatis.

« Ferae bestiae, et volucres, et pisces et omnia anima-
« lia, quae mari, coelo, et terra nascuntur, simul atque
« ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse
« incipiunt: quod enim ante nullius est, id naturali ratione
« occupanti conceditur. »

Non eadem ratione ista nullius esse intelliguntur in statu, quem vocant, naturae, atque in statu civili, ut superius explicatum est: atque hinc fit, ut respublica jure suo venationem, aut piscationem suis legibus continere valeat. Ubicumque venatio, et piscatio nulla lege coercetur, ferae bestiae, utpote nullius, quod attinet ad singulos, naturali ratione, occupanti conceduntur.

Jure Justinianeo fera capienti, non vulneranti, adjudicatur; quum longe aliud sit occupare, aliud sit occupandi spem habere, et quod multa accidere soleant, ut ea non capiatur. Verum si fera ita vulnerata est, ut evadere omnino nequeat, congruentius aequitati naturali videtur, feram ejus esse qui vulnere inflicto effugiendi libertatem eripuerit, non secus ac si fera retibus conclusa, et irretita teneretur. Sane dum venator feram a se vulneratam persequitur, si quis eam fu-

gientem caperet, non immertio videretur injuriam facere venatori, cui praeriperet jus quaesitum praedae persequendae, ac deinceps occupandae. Ergo spectata aequitate naturali, fera vulnerata ab alio capi nequit, nisi antea ejus, a quo vulnerata est, persecutionem prorsus effugerit.

Nec interest, feras bestias, et volucres, utrum in suo fundo quis capiat, an in alieno. Quocumque enim in loco ferae sunt, dummodo sint in libertate naturali, nullius sunt; fiuntque adeo primi occupantis.

Probibere tamen dominus potest, ne quis fundum suum venandi, aut aucupandi gratia ingrediatur. Et si quis id fecerit invito domino, tenebitur actione injuriarum. Nihilominus fera fit capientis, quia prohibitio conditionem ferae non mutat, quae cum nullius sit, in quocumque fundo reperiatur, ejus fit, a quo primum occupatur.

Capta fera tamdiu capientis manet, quamdiu in pristinam sese non recipit libertatem. Nam si domini custodiam, oculosve ita evaserit, ut capi nequeat, vel saltem difficilior sit ejus persecutio, rursus fit occupantis.

« Apium quoque fera natura est. Itaque apes, quae « in arbore tua consederint, antequam a te alveo inclu- « dantur, non magis tuae intelliguntur esse, quam volu- « cres, quae in arbore tua nidum fecerint.

« Examen quoque, quod ex alveo tuo evolaverit, eo « usque intelligitur esse tuum, donec in conspectu tuo est, « nec difficilis ejus persecutio est, alioquin occupantis fit. »

Atque, hoc quidem quod statuit Justinianus, dominum amittere ferae dominium, quae sese in pristinam libertatem receperit, hoc videtur fundamento niti, quod ejusmodi ferae, postquam effugerunt, nulla satis idonea ratione internosci queant ab aliis ejusdem generis. Quod si fera certo aliquo signo dignosci queat, nec dominus unquam ejus recuperandae animum abiecerit, non alienum videretur ab aequitate naturali, ut si rursum capiatur, a domino vindicetur.

Pavonum, columbarum, et cervorum fera est natura. In iis autem animalibus, quae ex consuetudine abire, et redire solent, talis regula comprobata est, ut eousque sua esse intelligantur, donec revertendi consuetudinem non deseruerint.

« Gallinarum autem, et anserum non est fera natu- « ra . . . . . . Ideoque si anseres tui, aut gallinae tuae,

« aliquo modo turbati, turbataeve evolaverint, licet conspe-
« ctum tuum effugerint, quocumque tamen loco sint, tui
« tuaeve esse intelliguntur: et qui lucrandi animo ea ani-
« malia detinet, furtum committere intelligitur. ».

Animalia itaque alia sunt fera natura, alia mansueta, alia quae medium locum tenent, quae videlicet natura fera quidem sunt, sed tamen humana industria mansuescunt. Mansueta quocumque modo effugiant, addicta semper manent suo dominio: fera desinunt esse in dominio, statim atque in pristinam sese libertatem receperint. Mansuefacta, dum mansueta sunt, primorum conditionem sequuntur; ut fera porro habenda sint, si ad pristinam feritatem redierint. Sed haec modo superius explicato sunt intelligenda.

De occupatione in bello.

« Item ea, quae ex hostibus capimus, jure gentium
« statim nostra fiunt; adeo quidem, ut et liberi homines
« in servitutem nostram deducantur. »

Notandum, morem illum christiana mansuetudine pridem obsolevisse, quo bello capti in servitudinem ducerentur.

Nec vero satis idonea videtur esse ratio, quae alio loco traditur, cur hostium res fiant capientium, nimirum quod res hostium eodem loco sint, quo res nullius. Aptior ratio duci ex eo videtur, quod quae causa justam affert excusationem belli suscipiendi, eadem titulum preebeat res hostium occupandi.

Justae autem belli causae ad tria capita referuntur; ad res ablatas repetendas, ad ea quae debentur persequenda, ad ulciscendas injurias. Proinde non plus vindicare sibi licet de rebus hostium, quam quod requiritur ad justam satisfactionem, compensationem, et indemnitatem, habita etiam ratione sumptuum. Etenim aliud est legitimum, prout jam diximus, quod impune jura fieri concedunt, aliud quod est ex aequitatis lege perfectum.

Dubitatum est autem cui acquirantur res hostium, quae occupantur. Qua de re Grotius novam distinctionem intulit: scilicet quae in actu belli publico, et imperato capiantur, ea principi, vel populo acquiri, qui bellum gerit; quae capiantur in actu privato, ea fieri capientium. Verum Barbeyra-

cius hanc distinctionem improbat, nec immerito. Nam privati, nonnisi auctoritate principis, vel populi, actus exercere hostiles valeant: quod ergo quocumque hostili actu capiunt, eo in actu se gerunt ut ministri principis, vel populi; ergo principi, vel populo acquirunt, non sibi, nisi ex principis aut populi expressa vel tacita voluntate; quae plerumque consuetudine innotescit.

De rebus inventis.

Inventione acquiruntur res, non quae deperditae sunt, quae cum inveniuntur, domino sunt reddendae, sed quae aut nullius unquam fuerunt, aut quae dominum habere desierunt. Haec porro fiunt inventoris. Quod si duo simul vident lapillum in maris littore, is fiet manu capientis. Cum enim res humanae sensibili quadam ratione pertractari opus habeant, merito jure gentium invaluit, ut non solo occupandi animo res ejusmodi acquirerentur, sed corporali actu, quo revera occupantur.

Derelictae dicuntur res, quas dominus abjecerit eo animo, ut suas esse non amplius velit; quo fit, ut dominum habere desinant, sintque rursum nullius. Derelicta quoque res censetur, cum pro loci vel temporis intervallo nulla ejus recuperandae facultas superesse videtur, adeo ut cum spe simul et animum ejus habendae abjecisse dominus ipse plane censeatur. Derelicta autem, utpote res nullius, fiunt primi occupantis.

Alia sane causa est earum rerum, quae in tempestate levandae navis causa ejiciuntur. Quare si quis lucrandi animo abstulerit, furtum committit. Idem valet de his, quae de rheda currente, non intelligentibus dominis, excidunt.

De Thesauro.

Thesaurus definitur vetus quaedam depositio pecuniae, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habet. De thesauro sic jus commune statuit. Thesaurus in loco proprio inventus, totus fit inventoris. In alieno loco inventus dividitur inter inventorem, et dominum loci. Data opera inventus in alieno loco, totus, fit domini loci.

Alia ratio est lapidicinae, venae metallicae etc.; nam

thesaurus non est pars loci, in quo reperitur. Illa autem natura fundo cohaerent, ejusdemque partes merito censentur; proinde in dominio sunt ejus, qui dominus est fundi, salvo jure reipublicae.

De accessione.

Alter acquirendi modus jure gentium inductus fit per accessionem, quatenus nostra fit res, quae rei nostrae accedit. Unde tritum est illud communi usu proverbium: *accessorium sequitur principale.* Et principale quidem dici solet, quod stat per sese, quodque se habeat instar fundi et soli: accessorium vero, quod alteri accedit, eique adhaeret. Verum ejusmodi notiones aliquid ambiguitatis prae se ferunt, ut proinde non satis apte singulis rebus accommodentur, in quibus inest ratio principalis, et accessorii. Quod hoc ipso loco exemplis est manifestandum.

Sane Justinianus statuit, scripturam cedere chartae, non secus ac solo cedunt ea quae inaedificantur, aut inseruntur; adeo ut si tuis in chartis carmen, vel historiam, vel orationem Titius scripserit, hujus corporis non Titius, sed tu dominus esse videare. Deinceps tamen constituit tabulam oportere picturae cedere, quod ridiculum sit egregium artificium vilissimae tabulae cedere. Hic plane invertitur notio principalis, et accessorii. Nam si carmen, vel historiam, vel orationem scriptam chartae cedere aequum est, quod carmen, oratio, historia, chartae, veluti solo, inhaereant; eadem plane ratione oportebit picturam tabulae cedere, quandoquidem non minus pictura tabulae inhaeret, quam scriptura chartae. Primo exemplo, quod se habet instar soli, et per se stat, notionem retinet principalis; et scriptura, quae chartae accedit, accessoria judicatur. Contra in altero exemplo pictura, quae per se non stat, sed alteri tamquam solo accedit, non accessoria, sed principalis dicitur; quod longe majus sit pretium picturae, quam tabulae. Neque tamen ubique valet, ut quod pretiosius est, tanquam principale habeatur; nam idem Justinianus decernit, purpuram vestimento intextam, quantumvis ipsa pretiosor sit, tamen hoc ipso quod vestimento accedit, oportere accessionis causa cedere vestimento.

Alia proinde quaerenda videtur principali, et accessorii

notio, quae apte in res singulas cadat. Et quidem quibus in rebus propria, et vera, non metaphorica ratio reperitur fundi, ac soli, in his rebus juribus receptum est, ut solum sit principale; accessoria autem quae solo inaedificantur, vel inseruntur. Neque in hoc est quidquam difficultatis. At ubi fundi, ac soli acceptio metaphorica locutione transfertur in rem, quae proprie nec fundus sit, nec solum, alia quoque ratione principale, et accessorium definienda videntur. In his rebus cum duo ita comparata sunt, ut unum morali aestimatione sit propter aliud, principale illud esse dicemus, propter quod aliud est; accessorium vero quidquid est propter aliud. Itaque si pictura cum tabula comparatur, non obscure intelligetur tabulam esse propter picturam, non pictura propter tabulam. Cedet ergo tabula picturae tanquam accessorium principali, non praecise propter eam rationem, quod picturae artificium longe praestet ipsi tabulae, sed quia, ut dictum est, tabula est propter picturam, non picturam propter tabulam. Ex eadem notione intelligetur, purpuram intextam vestimento, etsi ea sit longe pretiosior, accessorium esse vestimenti, eique cedere oportere, quod nimirum purpura intexatur ad ornatum vestimenti, sitque adeo propter vestimentum, non vestimentum propter purpuram. Ob eamdem rationem pictura, cui cedit tabula, si templi vel aulae parietibus inhaerescat, cedet aulae, ac templo; nam tametsi pretiosior quandòque esse valeat parietibus ipsis, quibus adhaerescit, facile intelligitur picturam esse propter ornatum templi vel aulae, non templum et aulam propte picturam. Sed ejusmodi ratio coget aliter sentire de scriptura, et charta, atque ipse Justinianus senserit; quippe et istud patet, chartam esse propter scripturam, non scripturam propter chartam. Et sane si ridiculum est Apellis aut Parrhasii picturam cedere vilissimae tabulae, quemadmodum ait Justinianus, cur non potiori jure absurdum judicetur carmen Virgilii, vel Historia Livii, vel Tulli orationem cedere vilissimae chartae?

Porro triplex accessionis genus distinguitur, unum quod ad naturam, alterum quod ad industriam pertinet, tertium quod mixtum appellatur.

Ad naturalem accessionem referuntur:

1. Foetus animalium. Nam « ea, quae ex animalibus

« dominio tuo subiectis nata sunt, eodem jure tibi acqui-
« runtur ».

2. Alluvio. Nam « quod per alluvionem agro tuo flu-
« men adjecit, jure gentium tibi acquiritur. Est autem al-
« luvio incrementum latens . . . . ut intelligi non possit,
« quantum quoque temporis momento adjiciatur ».

Fluminis autem dumtaxat fit mentio, quia in lacubus et stagnis jus alluvionis non agnoscitur.

Nec porro in agris limitatis, quorum videlicet dominium iisdem limitibus, quibus ager ipse, coercetur; ut proinde quidquid sit extra limites, sit etiam extra dominium.

« Quod si vis fluminis de tuo praedio partem aliquam
« detraxerit, et vicini praedio attulerit, plam est eam tuam
« permanere. »

Quod si a priore domino deseratur, et cum vicini fundo coaluerit, jam ad hunc pertinere incipiet.

3. « Insula, quae in mari nata est, quod raro accidit,
« occupantis fit: nullius enim esse creditur. »

Quod quidem verum est de insula in medio mari nata, quod nullius dominio nec obnoxium est, nec esse potest: secus de insula nata prope littora, quae illius populi esse videtur, cujus est tractus maris ad littus adiacentis.

« Insula in flumine nata (quod frequenter accidit); si-
« quidem mediam partem fluminis tenet, communi est eo-
« rum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam praedia
« possident: pro modo scilicet latitudinis cujusque fundi,
« quae prope ripam sit. Quod si alteri proximior sit parti:
« eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam praedia
« possident, »

Sed haec valere statuuntur in agris, qui non sint limitati.

Valeant etiam salvo reipublicae jure in flumina, et ea quae nascuntur in fluminibus.

« Quod si ab aliqua parte divisum sit flumen, deinde
« infra unitum, agrum alicujus in formam insulae redege-
rit: ejusmodi permanet is ager, cujus et fuerat. »

4. Si flumen mutaverit alveum, vetus alveus acquiritur iis, qui praedia habent vicina pro modo latitudinis cujusque praedii.

Sed in his spectandae quoque variae populorum leges.

5. « Si cujus totus ager inundatus fuerit, non propterea « dominium ejus amittit; neque enim inundatio fundi spe- « ciem commutat, et ob id, si recesserit aqua, palam est, « eum fundum ejus manere, cujus et fuit. »

Ad accessionem ex industria provenientem referuntur:

I. Specificatio, seu novae speciei ex aliena materia confectio: velut si quis ex alienis uvis, aut olivis vinum aut oleum, aut ex alieno auro, vel argento, vel aere vas aliquod, vel ex aliena lana vestimentum fecerit, vel ex alienis tabulis navem, vel armarium, vel subsellia fabricaverit. Quaesitum est autem, cum aliqua ejusmodi species ex aliena materia effecta sit, uter naturali ratione dominus, utrum ille, cujus erat materia, an is, qui ex ea novam speciem formavit? Hac de re fuit olim dissidium inter veteres jurisconsultorum sectas, Sabinianos videlicet, et Proculianos. Sabiniani putabant, aequitati convenientius esse, ut qui materiae dominus fuisset, idem quoque dominus esset speciei ex ea confectae. Proculiani contra, eum dominum esse, qui fecisset; quia quod factum est, antea nullius fuerat. Nam etsi lana existeret, e qua vestimentum confectum est, ipsum vestimentum non erat, sed tum solum existere coepit, cum ad lanam ea forma accessit, quae vestimenti speciem constituit. Idem de auro, e quo vas effictum sit: ante confectionem aurum erat, vas non erat. Justiniano porro placuit media sententia existimantium, si species ad priorem et rudem materiam reduci possit, eum videri dominum esse, qui materiae dominus fuerit: si non possit reduci, eum potius intelligi dominum, qui fecerit.

Res quoquo modo definiendà erat, nec inique a Justiniano definita est. Ceterum ad eam ex naturali ratione definiendam vix opus erat veteres jurisconsultos digitum intendere ad disputationes Metaphysicas de materia, qua res quaeque constat, et de forma, seu specie, qua fit ut res idipsum sit quod est. Naturalis ratio in id ducere videbatur, ut quaereretur, num bona fide quis alienam materiam acceperit, an eam mala fide surripuerit. Si bona fide alienam materiam artificio suo subjecit, aequitas postulat, ut artefactum suum sibi retineat, et tantumdem materiae, vel saltem pretium ejus, domino restituat; sive species ad priorem formam reduci, sive non reduci valeat. Sic enim utrique consulitur, et domino materiae,

cui cum tantum auri penditur, quantum ab eo subtractum fuit, indemnis est; et alteri, cui res illa servatur, quam nulla culpa, sua industria efformavit. Nisi vero, quod vix contingere potest, materia talis esset, ut ejus generis alia nulla esset, quae ablatae materiae vicem apud dominum suppleret; tunc enim si species in priorem et rudem materiam reduci posset, non iniquum videretur, eam ad priorem dominum reverti, ut re sua pro lubito uteretur.

Quod si mala fide alienam quis materiam contrectavit, aequum est, ut non solum tantum rependat, quantum abstulit, verum etiam ut lege, vel magistratus judicio, in maleficii poenam plus aliquid luere cogatur. Sed in primis considerandum erit, quae nova pretii ratio materiae ex artificio accesserit. Nam si non admodum materia est artificio nobilitata, velut si ex auro poculum factum sit, haud iniquum erit, ut domino aurum suum repetenti poculum tradatur. Si vero materiam opus longe superaverit, fortasse gravior aequo esset poena malae fidei; si qui alienam materiam ad opus adhibuit, excellentis artificii jacturam pati cogeretur. Quod si harum rerum dijudicatio singulis permitteretur, pro ingeniorum, ac judiciorum diversitate numquam fortasse contingeret, ut de ratione accommodandae aequitatis ad singulares casus plerique in eandem plane sententiam convenirent. Quamobrem necesse est ea ipsa fixis ac perscriptis regulis contineri; quippe respublicae jure certo, ac fixo regi opus habent.

II. Adjunctio, quae fit cum aliquid ornatus gratia rei nostrae adjicitur. Tunc si res adjuncta separari non potest, ea licet pretiosior, accessionis jure acquiritur domino rei, cui adjecta est; velut si purpura vestimento cujuspiam intexatur. Prospicitur tamen purpurae domino, ne damnum patiatur, et quidem furti actione, si mala fide purpura surrepta fuit. Tignum alienum aedibus suis junctum eximi non debet; sed etiam domino tigni pro indemnitate consulitur.

III. Confusio, et commixtio. Prima de liquidis aut liquefactis dicitur, altera de aridis. Si materiae ad duos dominos spectantes sive casu, sive communi consensu confunduntur, vel permiscentur, quod prodit, fit commune utriusque pro rata portione. Quod si casu corpora confusa, vel permixta separari possunt, ut oves in grege permixtae, tum utrique competit jus, et actio ad rem suam vindicandam.

IV. Inaedificatio, quae spectari potest, sive cum quis in alieno fundo ex propria materia, sive cum in proprio fundo ex aliena materia aedificat. Aedificium in alieno fundo constructum cedit domino soli, qui tenetur tamen materiam et operam solvere, si alter bona fide aedificavit. Si tamen aedificium Domino soli aut inutile, aut noxium foret, saltem concedendum ei, qui bona fide aedificavit, ut suam sibi materiam habeat. Quod si mala fide quis in alieno solo aedificavit, nulla ei competit actio ad materiam suam vindicandam, etiam si diruatur aedificium. Et si quidem lege, aut sententia judicis materia aedificii domino soli addicatur, eam juste retinere poterit. Quod si quis in proprio fundo de aliena materia aedificat, fit dominus aedificii, sed alteri tenetur de damno.

V. Implatantio, et Satio. Plantae in aliquo fundo positae, eo ipso quod radices egerint, cedunt domino soli. Nam si aedificia solo cedunt, multo magis plantae, cum a terra sustententur, et alimentum, incrementumque trahant. Idem de seminibus in alieno agro sparsis. Tamen alterius damnum semper est compensandum.

VI. De scriptura, et pictione superius diximus.

De fructibus.

Fructus alii sunt mere naturales, qui solo beneficio naturae nascuntur: alii mixti, qui etiam *industriales* vocari solent, qui nimirum juvante hominis industria eduntur, ut frumentum in agris: alii civiles, qui occasione rei percipiuntur, velut pensiones etc.

Naturales fructus, et mixti seu industriales, alii sunt pendentes, qui adhuc fundo cohaerent, et velut pars fundi habentur: alii percepti, qui a solo sejuncti sunt: alii percipiendi, qui etsi non percepti, honeste percipi poterant.

Personae possidentes in multiplici sunt differentia; nam vel domini sunt, vel bonae aut malae fidei possessores, vel fructuarii, vel coloni.

Dominus jure dominii (nisi quid aliunde obstet) suos omnes fructus facit; nam res quaeque domino fructificat.

Bonae fidei possessor fructus omnes consumtos, sive naturales sint, sive mixti, suos fecisse censetur, ut nil Domino restituere deinceps teneatur; extantes vero fructus, aut quan-

tum ex perceptis fructibus factus est locupletior, restituere tenetur, detractis impensis.

Malae fidei possessor fructus omnes, non solum perceptos, sive extantes sint, sive consumti, sed etiam quos dominus percepturus fuisset, restituere tenetur, demptis tamen necessariis sumptibus, sine quibus fructus nulli fuissent.

Fructus vero, qui merae industriae respondent, velut si quis ex aliena pecunia negotiatus lucrum fecerit, ejus sunt, qui industriam adhibuit, sive bona fide aliena pecunia usus sit, sive mala, modo indemnitati domini prorsus consulat.

Fructuarius suos facit fructus, quos percipit, et ideo si decesserit nondum perceptis fructibus licet maturis, hi non ad haeredem fructuarii pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur; jus enim fructuarii personae inhaeret, nec transit ad haeredes.

Colonus alius est, qui sub certa pensione annua solvenda fundum conducit, alius qui de fructuum portione participat; vooaturque colonus *partiarius*. Colonus facit suos fructus etiamnum non perceptos; nec coloni morte finitur conductio, sicut morte fructuarii ususfructus extinguitur.

De traditione.

« Per traditionem quoque jure naturali res nobis acqui-
« runtur; nihil enim tam conveniens est naturali aequitati,
« quam voluntatem domini volentis rem suam in alium tran-
« sferre, ratam haberi. »

Equidem si jus naturae spectes, mutuo consensu manifestato, nil vetat, quin dominium ex uno in alium transferatur. Verum perscripta jura traditionem etiam requirunt, justa plane de causa; ut nimirum dominii translatio eo corporali actu plenius ac certius constet.

Traditio est de manu in manum facta translatio, si de re mobili agatur; in possessionem missio, si de immobili. Estque vel vera, quae proprie fit, ut mox descripta est: vel ficta, quae in rebus incorporalibus obtinet, in quibus domini patientia, seu concessio, et usus rei, loco traditionis est. Haec tripliciter accidere dicitur (et etiam in mobilibus locum habere potest) scilicet brevi manu, ut ajunt, longa manu, et symbolo.

Brevi manu, velut si rem quam tibi quis commodave-

rit, vel locaverit, postea tibi aut vendiderit, aut donaverit. « Quamvis enim ex ea causa tibi eam non tradiderit, eo tamen ipso, quod patitur tuam esse, statim tibi acquiritur « proprietas, perinde ac si eo nomine tibi tradita fuisset. »

Longa manu fieri traditio dicitur, cum res in conspectu posita oculis apprehenditur, et possidetur.

Per symbolum fit quoque traditio, velut « si quis merces in horreo depositas vendiderit, simul atque claves horrei tradiderit emptori, transfert proprietatem mercium ad « emptorem. »

Ad trasferendum dominium duo simul requiruntur, traditio, et justus titulus, puta donationis, venditionis etc. Et quidem titulus jure naturae omnino requiritur; patet enim in nuda traditione, qua res de manu in manum transmittitur, nullam vim esse transferendi dominii, nisi Domini voluntas, aut alia justa causa accedat. Quod autem sine traditione, nuda conventione, dominum non transferatur, id ex jure positivo, ut paullo superius dictum est, proficiscitur.

De rebus corporalibus, et incorporalibus.

Altera est rerum divisio in res corporales, quae sub aspectum, tactumve cadunt, sive mobiles sint, ut vestis, aurum etc., sive immobiles, ut domus, fundus etc.; et in res incorporales, quae tangi non possunt, et in jure consistunt, ut jus haereditatis, jus utendi, fruendi ec., et obligationes quoquo modo contractae. Eodem numero sunt jura praediorum urbanorum, et rusticorum, quae etiam servitutes vocantur.

De Servitutibus.

Praeter illud Servitutis genus, qua persona personae servit, de qua superius dictum est, alia est servitutis ratio, quae dicitur esse jus, quo res aliena nobis, aut rei nostrae servit. Unde duplex distinguitur, una praedialis, quam etiam realem vocant, qua res aliena rei nostrae, seu praedium praedio servit; alia personalis, quae a praedio debetur personae.

Porro servitutes, tametsi a jure civili modum accipiunt, tamen, inducta proprietate, a jure naturae primam ducunt

originem. Nam quid profuisset bonorum proprietas, si possessores rebus suis uti non potuissent, velut si ad praedium vel ingrediendum, vel colendum, per interjectum praedium aditus omnis interclusus fuisset?

Praedialis servitus vel est urbana, vel rustica. Urbana est, quae debetur praedio urbano. Urbanum autem praedium dicitur, quod hominum habitationi inservit, sive ruri, sive in urbe, rusticum, quod aliis usibus inservit, sive etiam in urbe, sive ruri.

Rusticae servitutes sunt « inter, actus, via, aquae du-« ctus. Iter est jus eundi, ambulandi hominis, non etiam ju-« mentum agendi, vel vehiculum. Actus est jus agendi ju-« mentum, vel vehiculum. Itaque qui habet iter, actum non « habet: sed qui actum habet, et iter habet, eoque uti po-« test etiam sine jumento. Via est jus eundi, et agendi, et « ambulandi homines: nam iter et actum via in se continet. « Aquaeductus es jus aquae ducendae per fundum alienum. » His accedunt aquae haustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, calcis coquendae, arenae fodiendae. »

Urbanae servitutem sunt hae: « ut vicinus onera vicini « sustineat: ut in parietem ejus liceat vicino tignum immit-« tere: ut stillicidium, vel flumen recipiat quis in aedes suas, « vel in aream, vel in cloacam, vel non recipiat: et ne al-« tius quis tollat aedes suas, ne luminibus vicini officiat. ».

Servitutes acquiruntur venditione, ut alia bona, vel aliis pactionibus, aut testamento, aut per judicem lege constituuntur. Finiuntur autem contrariis pactis, aut reductione praedii ad dominum, cui serviebat, aut interitu rei, quae servituti locum dabat. Sic arescente fonte, a quo, ut aquam haurires, transitus tibi patebat per fundum alienum, transeundi jus desinit. Finiuntur etiam legitima praescriptione, spatio decem annorum inter praesentes, viginti inter absentes, si de servitute continuum usum habente sermo sit; alioquin tempus duplicatur.

De Servitutibus, quae personales dicuntur.

Ejusmodi servitutes sunt, quibus res aliena personae servit per usumfructum, usum, et habitationem.

« Ususfructus est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva « rerum substantia. »

Dicitur *jus utendi*, *fruendi*, quo distinguatur a nudo usu; nam usus ad necessitatem tantum pertinet, ususfructus vero etiam ad commoditatem.

Additur *salva rerum substantia*; quia usufructuarius non est rei dominus, nec proinde perdendae rei jus habet, sed potius debet cavere, ne deterior fiat.

Ususfructus interdum lege constituitur, velut quem habet pater in bonis adventitiis filii; interdum per judicem in judiciis familiae erciscundae, vel communi dividendo; interdum ab homine, scilicet vel pacto, vel ultima voluntate.

Justinianus sancit, posse quemquam alii usumfructum, alii, deducto eo, fundum legare. Quem in locum Vinnius animadvertit haec verba, *deducto eo*, non esse otiosa, sed consulto expressa. Nam si uni ususfructus, alteri fundus simpliciter legetur, ambo in usumfructum concurrent. Tamen si ex communi intelligentia, omnique remota cavillatione interpretandum est, quae sit voluntas ejus, qui simpliciter ait, se legare uni quidem usumfructum, alteri fundum; simpliciter etiam intelligetur, eum velle fundi proprietatem unius esse, tum vero usumfructum ad alterum pertinere. Nam si praeter fundi proprietatem etiam aliquam partem ususfructus legare vellet, pronum esset ut id exprimeret: ergo cum simpliciter ait, se usumfructum uni, alteri fundum legare, indicio est mentem ejus esse unum ab altero sejungere, et de his ita sejunctis duo legata constituere. Videndum proinde, ne non haec Vinnii animadversio exemplum suppeditet ejus nimiae subtilitatis, quam plerique in veteribus jurisconsultis reprehendunt.

« Ne tamen in universum inutiles essent proprietates...
« placuit certis modis extingui usumfructum, et ad proprie-
« tatem reverti. »

Finitur autem morte usufructuarii; sic ut ad haeredes ejus non transeat; maxima et media capitis diminutione; praescriptione; item si domino proprietatis ab usufructuario cedatur; nam extraneo cedi non potest, vel si usufructuarius proprietatem rei acquisierit; quae res consolidatio appellatur; si aedes quocumque modo consumptae sint, aut corruerint, extinguitur ususfructus, et ne areae quidem ususfructus debetur.

Usus est jus rebus alienis utendi, non fruendi. Nam usus quotidiana utentis sufficientia, et consumptione termina-

tur; ususfructus omnem rei utilitatem continet. Qui aedium usum habet, hactenus jus habere intelligitur, ut ipse tantum inhabitet, nec hoc jus ad alium transferre potest.

Cui porro habitatio sive legata sit, sive quoquo modo constituta, id juris habet, ut non tantum in ea degere ipse, sed etiam aliis locare valeat.

De usucapionibus, et praescriptionibus.

Justinianus profitetur, se hactenus summatim exposuisse quibus modis jure gentium res acquirantur; deincepsque sibi propositum exponere quibus modis legitimo, et civili jure acquiruntur.

Qua in re animadvertendum in his modis, quibus jure gentium acquiri Justinianus profitetur, non pauca immixta reperiri, quae ex jure civili Romano deprompta sunt. Deinde plures ex his modis, quibus ait Justinianus res civili jure acquiri, non ita ipso jure Romano terminari, ut non etiam ad commune jus gentium, aut ad aliorum populorum jura pertineant; quod in singulis exponendis apparebit. Ac primum de Usucapione dicamus.

. Usucapio est acquisitio juris per possessionem tempore legibus praescripto continuatam. Unde etiam praescriptio dicta est.

Etsi autem ad jus civile hic acquirendi modus referatur, tamen initium ducit e jure naturae, ne scilicet rerum dominia in incerto essent cum magna perturbatione reipublicae. Sed civili jure tempus in primis definiendum fuit, quo elapso jus acquisitum censeretur, et aliae quoque conditiones apponendae, quibus fraudi occurreretur.

Et primum quidem jura distinguunt inter usucapionem, seu longi temporis praescriptionem, et eam, quae longissimi temporis possessione nititur.

Ad usucapionem, seu longi temporis praescriptionem, referuntur 1. Possessio, et possessionis continuatio per totum tempus lege definitum. 2. Causa, seu titulus probabilis. 3. Bona fides. 4. Ut res ejus generis sit, quae praescribi possit.

I. Requiritur possessio, qua quis rem ut suam possideat, sive per se, sive per alium. Etenim qui possidet nomine alieno, nusquam praescribit. Requiritur autem, ut possessio sit continuata per totum tempus lege praescriptum, nec adeo

sit per litis contestationem, aut alio modo interrupta Lege porre justinianea cautum est, ut res mobiles per triennium; immobiles vero, per longi temporis possessionem, idest, inter praesentes decennio, inter absentes viginti annis usucapiantur. Praesentes autem intelliguntur qui in eadem provincia domicilium habent.

II. Requiritnr, ut justa causa possessioni praecedat, velut donationis, venditionis etc, quae possidendi rationem, ac titulum praebeat. Justa autem causa dicitur, non quod vitio careat, secus vi sua dominium transferret; sed quod latente vitio nil appareat, cur non apta sit ad transferendum dominum. Atque hoc ipsum est quod *tituli colorati* nomine designari solet. Proinde sine probabili hujusmodi causa, seu titulo colorato, non valet ad praescribendum longi temporis, seu decennii possessio. Tamen in longissimi temporis possessione, nimirum 30., aut 40. annorum, aut plurium etiam ex subjectae materiae conditione, licet titulus non extet, adfuisse omnino praesumitur.

III. Requiritur bona fides, qua quis citra fraudem existimet se juste possidere. Hanc initio saltem possessionis requirit jus civile: sed praeterea ex aequitate naturali, quam jus pontificium adstruit, opus est, ut bona fides possessionem comitetur toto tempore legibus ad praescribendum definito, Quod si post inchoatam bona fide possessionem dubitatio diligenter inquirere, utrum revera res sua sit, an liena; tum si nihil extet, quo aliena prudenter judicetur, retinere illam dubio permanente poterit, siquidem in pari causa potior est conditio possidentis; eamque possessionem legitimo tempore continuatam multi existimant ad praescribendum valere.

IV. Rem ejusmodi esse oportet, quae praescribi possit porro multae res sunt, quae non sunt praescriptioni obnoxiae.

1. Si quis liberum hominem, vel rem sacram, vel religiosam, vel servum fugitivum possideat, non tamen illi usucapio ullo tempore procedit.

2. Neque praescribuntur res publicis usibus deputatae, ut forum, pontes, viae publicae.

3. Nec ea, quae publicae potestati ex rei natura cohaerent; quippe in hujusmodi rebus potestatis publicae jus praescriptioni omni tempore resistit.

4. Neque res furtivae, aut vi possessae, quippe quae tran-

seunt cum vitio suo. Sed tamen si haeres rem defuncto commodatam, aut locatam, vel apud eum depositam, existimans haereditariam esse, bona fide vendiderit, aut dotis nomine dederit, dubium non est, quin is qui acceperit, usucapere possit; quippe cum ea res in furti vitium non ceciderit: cum utique haeres, qui bona fide tanquam suam alienaverit, furtum non commiserit.

Quamvis autem usucapiat qui sic ab haerede accepit, non tamen haeres ipse usucapere poterit; haeres enim, ut in jura, sic etiam in onera defuncti succedit. Ut ergo defunctus rem sibi commodatam, aut apud se depositam, nullo tempore usucapere potest, utpote quam scit alienam, nec detinet ut suam, sic haeres ei obligationi succedit, qua auctor suus tenebatur.

Quod autem dicitur, eum, qui bona fide emit a fure, rem eam furtivam usucapere non posse, intelligendum est de possessione longi temporis; nam romano jure 30. annorum praescriptio dominum repellet; inducta est enim longissimi temporis praescriptio, ut quae longo tempore usucapi non possunt, saltem longissimo tempore praescribantur: quo aequitati consulitur, ne multis in rebus domini maturius, quam par est, defraudentur; et simul aliquis controversiarum finis constituatur.

Adversus praescriptionem comparata est restitutio in integrum. Sed haec nonnisi certis, ac legitimis de causis concedenda. Cavendum enim, ne dum uni parti indulgetur, jus laedatur alteri per leges acquisitum.

De Donationibus.

Donationes ad jus naturae ac gentium referri oportere certum est. Nam et apud omnes gentes jus fasque semper fuit res suas quibusque donare, et aliunde nil congruentius ei benevolentiae, qua par est homines inter se conciliari, quam ut homo homini gratificetur. Verum formam habent et modum a jure civili; siquidem leges donationibus modum imponere debuerunt, ne creditoribus, et aliis quorum interest, fraus fieret, simulque coerceretur effusa largitionum libido.

Donatio est quidquid nullo jure cogente conceditur.

Donatio vel fit mortis causa, vel inter vivos. Donatio mortis causa est, cum quis donat quidem, sed ita ut nonnisi se

mortuo dominium transferatur. Hujusmodi donatio legatis fere connumeratur; unde ad nutum donantis revocatur, aut si praemoritur is, cui donatum est.

Donatio inter vivos fit, cum quis ita donat, ut se vivente transferri dominium velit. Et quamvis Justinianus dicat ejusmodi donationes perfici, cum donator suam voluntatem scriptis, aut sine scriptis manifestaverit; animadvertunt tamen interpretes, donatione, quae scriptis tantum aut verbis facta sit, nondum secuta traditione, nasci tanti tantummodo jus ad rem, unde obligatio, et actio; sed jus in re ac dominium non acquiri, nisi praestatione promissi. Quod videtur solo jure civili, non tamen sine causa, inductum esse.

Donatio rite facta non temere revocatur. Sunt autem revocandi caussa 1. ingratus animus ejus, cui donatum est, siquidem gravi injuria donatorem affecerit: 2. ex communi sententia, ob prolem postea susceptam, velut si quis prole carens magnam suorum bonorum partem donaverit, eidemque postea liberi nascantur; tunc enim hac tacita conditione donasse censetur, nisi liberi nascerentur: 3. Si sit inofficiosa, idest contra officiorum pietatis debitae parentibus, aut liberis; velut si ob donationem liberi privarentur legitima haereditatis parte: 4. si quid donatum sit ob causam, causa non secuta.

Praeterea jure civili nulla est donatio inter vivos bonorum omnium, tam praesentium, quam futurorum: noluerunt enim jura quempiam testandi se facultate privare. Juribus quoque praescriptum est, ut insinuentur donationes, quae summam legibus definitam excedunt, ideoque donatio non insinuata, irrita sit qua parte illam summam excedit. Multis item modis coercentur donationes conjugum inter se, ne liberi detrimentum capiant, aut alii quorum interest. Verum his de rebus consulendae peculiares locorum leges, et consuetudines.

Quibus alienare licet, vel non.

Alienandi potestas, singulis ratione utentibus jure dominii tributa, legibus saepe pro communi utilitate coercetur. Qua in re » accidit aliquando (ait Justinianus) ut qui Do-« minus rei sit, alienare non possit: et contra, qui domi-« nus non sit, alienandae rei potestatem habeat. »

Maritus praedii dotalis (inaestimati) dominus est, hoc tamen distrahere nequit. Scilicet lege Julia, quae *de fundo dotali* vocatur, Augustus, ut muliebri fragilitati consuleret, praescripsit, ne viro liceat fundum dotalem invita uxore alienare, et ne ipsa quidem consentiente liceret ipsum fundum obligare. Quo loco mirum videri potest, cur Augustius volente muliere permiserit fundi dotalis alienationem, hypothecam vetuerit; cum majus damnum ex alienatione, mulier perferat, quam ex hypotheca. Sed haec predens fuit legislatoris circumspectio; nimirum facilius uxores hypothecae, quam alienationi consentiebant; cum praesens in alienatione, futurum tantum in hypotheca rei ammittendae periculum prospicerent. Justinianus vero utrique periculo occurrere voluit, atque cum obligationem seu hypothecam, tum alienationem, etiam consentientibus mulieribus, interdixit. Quod notandum duximus, ut in hoc etiam exemplo progressus legislationis cerneretur.

Pupillus pariter dominus est, nec tamen sine tutoris auctoritate alienare potest.

Contra creditor pignus, quod suum non est, praevia denunciatione alienare potest; licet nulla cum debitore pactio intercesserit, qua id sibi concedatur. Quinimo etiam si convenerit, ne liceat vendere, adhuc tamen distrahi potest, modo trina praecesserit denuntiatio. Qua in re tamen suadet aequitas naturalis, spectandum, num debitor sit in mora culpabili.

Per quas personas cuique acquiritur.

Non solum per sese quis acquirit, verum etiam per alios; per servum, qui est in ejus dominio; per filium, quam habet in potestate; per procuratorem, qui nomine ipsius agit.

Quidquid servus acquirit, domino acquirit.

Idem quoque olim valuit romano jure de filiisfamilias; in quos infinita propemodum patris erat potestas. Verum moribus a pristina severitate paullatim deflectentibus, inductum est peculium, quod quadruplicis generis distinctum est; castrense, quasi castrense, adventitium, et profectitium.

Castrense est quidquid filius occasione armatae militiae acquirit.

Quasi castrense, quod ex liberalium artium professione,

ex officiorum publicorum gestione, scilicet ex urbana, inermique militia, filiis obvenit.

Adventitium, quidquid extra armatam, togatamque militiam filii acquirunt, materna haereditate, proprio labore et industria, propria fortuna.

Profectitium, quod ex re patris, vel ex patris occasione, seu contemplatione, filiusfamilias acquisivit.

Bonorum castrensium, et quasi castrensium filiusfamilias habet proprietatem, et usum.

Adventitiorum proprietas est penes filium, ususfructus apud patrem.

Profectitiorum proprietas, et usus ad partem ex aequo pertinent.

Quod vero dictum est, patrem usumfructum habere in bonis adventitiis filii, non est omnino perpetuum; nam excipitur haereditas, quam renuente patre filius adierit; pariter excipiuntur quae princeps donaverit, aut quae filio ea lege data sint, ne ususfructus patri acquiratur ec.

De ultimis Voluntatibus.

Ultimarum voluntatum nomine designantur Testamentum, codicillus, legatum, fideicommissum.

De Testamentis ordinandis..

Haereditas est, qua quis succedit in universum jus, quod defunctus habuit. Ea porro vel Testamento defertur vel ab intestato.

Testamentum dicitur voluntatis justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Justa sententia intelligitur, quae legibus est consentanea; additur autem de eo, quod quis post mortem fieri velit, quia testamentum a morte testatoris vires accipit.

Testamenti factionem ex jure naturae clarissimi auctores repetunt, nec immerito; nam posita proprietate, id est jure de rebus suis statuendi, consequitur, ut quis potestatem habeat rei suae in alium tranferendae; idque vel absolute, vel sub conditione, velut post mortem, secutam. Neque officit quod alii dicunt, testamenti factionem ei lege naturae adversari, qua aequum est, parentum successionem ad liberos per-

tinere; nam primo multi nullis relictis liberis decedunt. Deinde id quidem aequum est jure naturae, ut pater filiis prospiciat, quod ipsi prospiciendi sibi facultatem comparaverint, non autem ut omnia quibus ille potitur, liberis relinquere teneatur; quare obligatio naturalis, qua parentes tenentur prospicere liberis, minime pugnat cum jure condendi testamenti, ut proinde utrumque ad jus naturae ex aequo referri valeat. Ceterum ad removenda fraudum pericula leges civiles de testamentis praescripserunt, quibus non servatis testamenta aut irrita essent, aut irritanda. Quamobrem probe notandum, in civili societate non nuda testatoris voluntate dominium in haeredem tranferri, sed justa voluntate, ac sententia, idest legum vi, et auctoritate munita.

Testamentum aliud solemne dicitur, aliud ex privilegio. Solemne item aliud, quod scriptis, aliud quod voluntate nuncupata, idest palam et clare pronunciate, conficitur.

Ad testamentum solemne scriptum jure communi haec requiruntur: 1. Ut `haeres expressis verbis instituatur, illiusque nomen manu ipsa testatoris scribatur, vel si aliena, ipse subscribat: 2. ut adhibeantur septem testes rogati, masculi, puberes, et idonei, qui jure ipso non repellantur, velut haeres, filius furiosus ec. 3. Ut singuli testes subscribant, et signacula imponant: 4. Ut totum uno, eodemque contextu peragatur. Regiis constitutionibus (1) et hoc additum est,, ut testamentum insinuetur.

Ratum quoque habitum est testamentum, quod vocant nuncupativum, quod nimirum sine scriptis fit, septem adhibitis testibus, et testatoris voluntate coram eis nuncupata, idest verbis expressa, et plane significata. Ne autem testium dicta quavis causa intercciderent, providentissime quoque jure regio cautum est, ut quod fit voce nuncupantis, publicis tabulis consignetur.

Testamenta ex privilegio sunt, in quibus supradicta diligens observatio remissa est; idque praecipue concessum est militibus, non solum propter imperitiam, sed etiam propter labores, et pericula, quibus in aetu belli defunguntur.

(1) Constitutionibus scilicet, quae tum, cum haec auctor scribebat, Augustae Taurinorum, Regum Sardiniae auctoritate conditae, vigebant. Idem significat jure regio, cujus paullo infra, et alibi in his institutionibus, meminit.

Reperitur etiam aliud testamenti genus, quod vocant *olographum*, idest quod totum sit testatoris manu conscriptum, ac subscriptum; idque valet etiam sine testibus. Sed in his consulendae locorum leges.

Quaeritur autem, utrum testamentum solemnitatibus destitutum, quas jura civilia requirunt, nullum sit etiam lege conscientiae.

Et quidem non desunt qui putant, ejusmodi testamentum prorsus nullum, et irritum esse, ut proinde scriptus haeres delatam sibi haereditatem juste retinere non valeat, sed eam nulla etiam expectata judicis sententia ultro referre ad eum teneatur, qui legibus ab intestato ad haereditatem vocatur. Alii contra sentiunt, si plane perspecta est testatoris voluntas, haeredem revera esse, quem testator voluit: quodque solemnitate aliqua testamentum careat, non id satis causae esse, cur ille qui ab intestato vocatur, haereditatem juste sibi petere valeat, modo ipsi constet de testatoris voluntate, et sententia. Sed isti videntur in hanc sententiam inducti esse, quod nudam testatoris voluntatem vi sua, nulloque praesidio legum, valere ad transferendum dominium arbitrentur. Sed in societate civili, ut jam animadvertimus, major est vis legum, quam isti arbitrentur, ut nec testatoris sententia valeat, nisi justa sit, seu legum praescripto consentanea. Et revera, quemadmodum sola voluntas, quantumvis certa et explorata, infirmandi testamenti vim non habet, ita neque ipsi sola, et per sese robur ac firmitatem adjicere valebit. Jam vero si hominem facti testamenti poenituerit, novumque mutata voluntate condere coeperit, ac mortalitate praeventus non perfecerit, nihilominus prius valet testamentum, quamvis de mutata hominis voluntate nulla dubitatio supersit. Alii proinde mediam veluti viam ineunt, et ejusmodi testamentum suapte quidem natura ratum esse volunt, sic tamen ut per judicem irritari valeat. Ex quo sequitur, ut scriptus haeres ante sententiam judicis haereditatem adire, ac tuta conscientia retinere valeat; simul vero ei, qui ab intestato vocatur, jus fasque sit haereditatem repetere, et judicis sententia sibi vindicare; qua sententia haeres scriptus omni suo jure privatur. Isti porro non inficiantur eam esse vim legum, ac potestatem, ut ob omissas praescriptas conditiones actum reddant prorsus irritum; quod ubi contingit, dominium per ejusmodi actum minime acquiritur, nec tuta proinde conscientia retineri valet;

sed putant juris communis hac in re sententiam esse, ut testamentum sic factum non omni per sese robore careat, sed tantum ut per judicem infirmari valeat.

Quo circa, ut conscientiae consulatur, omnino spectandum quid ferat cujusque loci lex, ac praxis judiciorum. Nam ubi cognita, et plane perspecta defuncti voluntate aequus judex praescripto legum haereditate privaret ob solemnitates praetermissas eum, quem tamen constaret defunctum haeredem sibi esse voluisse; haereditas ad eum pertinebit, ad quem leges eam deferunt, neque a scripto haerede expectanda erit sententia judicis, ut rem a se repellat, quam suam esse leges non patiuntur.

Quibus non est permissum facere Testamentum.

« Non tamen omnibus licet facere Testamentum: » non servo, utpote qui est in alterius dominio; non filiofamilias, qui sub patria potestate est, nisi de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus; non iis, qui suae mentis compotes non sunt; non prodigis, quibus bonorum administratio adempta est; non iis, qui solemnibus votis sese religioso instituto addixerunt, utpote qui omni se proprietate abdicarunt.

De Clericis ita statuit Alexander III. cap. *Quia nos*, extra *de Testamentis.* » Clerici de his, quae paternae sucessio-
« nis, vel cognationis intuitu, aut de artificio suo sunt ade-
« pti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito
« respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, libere dispo-
« nere valeant. De his tamen, quae consideratione Eccle-
« siae perceperunt, nullum de jure possunt facere testamen-
« tum. »

Equidem moribus postea invaluit, ut de his bonis, quae intuitu Ecclesiae percepissent, clerici testarentur; non propterea soluti sunt debito pietatis, et etiam justitiae officio, quo tenentur ea in pias causas erogare. Nam fideles ea Deo, et Ecclesiae hac lege consecrarunt, ut essent patrimonia pauperum, vota fidelium, pretia peccatorum; ut proinde nulla consuetudine a Divino cultu in profanos usus diverti queant.

De Exhaeredatione liberorum.

« Qui filium in potestate habet, curare debet, ut eum

« haeredem instituat, vel exhaeredem eum nominatim fa-
« ciat: alioquin si eum silentio praeterierit, inutiliter testa-
« bitur. »

Athenis nulla fuit parentibus, qui liberos relinquerent, testandi facultas; quod haereditas pleno jure a parentibus in filios decurrere putaretur. Contra Romae leges decemvirales plenam parentibus tribuebant testandi facultatem. Qua tamen cum parentes abuterentur, cautum est deinceps, ne ipsi pro libito filios exhaeredarent; sed eosdem aut instituere deberent, aut si justa causa suppeteret, nominatim exhaeredare. Justae autem exhaeredationis causae ad has potissimum revocantur: si liberi parentibus gravem injuriam intulerint; si gravi se scelere obstrinxerint, aut ad turpe vitae genus sese abjecerint, velut si mimos sequantur.

Jure regio matris praeteritio nullum reddit testamentum.

De haeredibus instituendis.

Haeredis istitutio est designatio successoris in universum jus, quod defunctus habuit.

Spectari potest quoad personas, quoad modum, quoad distributionem.

Quoad personas, haeredes institui possunt homines quicumque, nec unus tantum, sed plures; his tamen exceptis, qui jure prohibentur, velut peregrini, maximam vel mediam capitis diminutionem passi, collegia illicita etc. Quod attinet ad peregrinos, sive exteros quoque, lege politica cautum est apud plerosque populos, ne civium bona in eos deferrentur. Qua in re prudenti circumspectione utendum, ne aut nimia indulgentia civium opes cum reipublicae detrimento exteri ad sese pertrahant, aut nimia severitate humanae societatis jura laedantur, et respublica iis commodis et emolumentis privetur, quae ex mutua gentium communicatione percipiuntur.

Quoad modum, haeres vel pure, seu absolute institui potest, vel sub conditione, verbi gr. Titius haeres esto, si Maeviam uxorem duxerit; et siquidem quod sub conditione positum est, extiterit, haeres perinde se habet, ac si pure institutus esset. Si conditio defecerit, institutio evanescit, deferturque haereditas ab intestato. Impossibilis autem conditio,

vel turpis, quae plerosque contractus vitiat, in testamentis habetur pro non scripta.

Quoad distributionem, cum plure sunt haeredes, tum in haereditate partes duodecim distinguuntur ad rationem, modumque assis, qui duodecim uncias complectitur, unde assis haereditarii nomine tota ipsa haereditas nuncupari solet, haeresque ex asse dictus est, haeres ex toto; haeres ex semisse, cui haereditatis dimidia pars obtigerit; ex quadrante, cui quarta etc. Una autem uncia, vel plures unciae dicuntur ad quemquam pervenire, prout una vel plures ex illis duodecim partibus ad eum perveniunt.

Si duo instituti essent haeredes, alter ex semisse, alter ex quadrante; quoniam superesset quarta pars, ipsis haeredibus illa accresceret, sive jure accrescendi accederet pro rata cujusque portione: quod jus non patitur, ut quis pro parte testatus, pro parte intestatus decedat. Si quatuor essent haeredes scripti, unus ex semisse, et tres ex tertiis portionibus haereditatis; cum plus scriptum esset, quam in haereditate contineretur, tacite singulis aliquid pro rata parte decederet.

De substitutione

« Potest quis in testamento suo plures gradus haeredum « facere; ut puta: *si ille haeres non erit, ille haeres esto*, « et deinceps, in quantum velit testator, substituere po- « test. »

Substitutio proinde est secundi, vel ulterioris haeredis institutio: cum nimirum testator, instituto haerede, alium in ejus locum instituit, quo casu prior ille haeres non sit.

Substitutio alia est indirecta, alia directa. Indirecta est quando haereditas defertur substituto per alterum, qui eam illi restituat; ut quando unus instituitur haeres, et gravatur haereditatem, aut partem haereditatis, restituere alteri; et haec dicitur tum obliqua, tum fideicommissaria substitutio. Directa vero est, quando haereditas substituto defertur absque alterius ministerio, qui illam restituat.

Directa porro substitutio alia vulgaris est, alia exemplaris, alia pupillaris. Vulgaris, quae a quovis testatore cuivis haeredi fieri potest; cum scilicet ei haeredi, quem priore gra-

du instituere testatori placuit, alium quemvis substituit, si ille haeres non erit; ideoque vulgaris dicte censetur, quod a quocumque de vulgo, seu de populo erga quemcumque fieri possit.

Substitutio vero pupillaris est, quae a parentibus fit liberis, quos in potestate habent, quo casu liberi haeredes extiterint, et intra pubertatem decesserint; adeo ut ipsi utpote impuberes nequeant testamento haeredem instituere: qua substitutione pater filio haeredi dat haeredem. Quare in pupillari substitutione duo quodammodo sunt testamenta, alterum patris, alterum filii, tanquam si ipse filius haeredem sibi instituisset.

Potest eodem modo pater filiis mente captis, aut simili modo testari prohibitis, alias personas substituere: quod cum fiat ed exemplum pupillaris substitutionis, ideo illa dicta est *exemplaris* substitutio.

Praeterea invaluit apud plerasque gentes substitutionis modus alius, quo bona familiae in posteros, puta primogenitos, sic transeunt, ut isti fructus percipere, non item proprietatem alienare valeant. Lege politica videtur hic mos inductus, ne familiarum splendor dissipatis opibus obscuraretur. Sed et minoribus natu etiam consulendum, qui dum nimium negliguntur, familiae ipsae quandoque intereunt; opesque civitatis veluti coacervatae ad paucos redeunt, non sine Reipublicae detrimento. Quare etiam nonnullis legibus substitutionis ejusmodi progressio certo quodam gradu finiri jubetur. Sed et aliae in hanc rem leges fortasse optandae.

Quibus modis Testamenta infirmentur.

Sunt Testamenta, quae ipso jure nulla sunt, et irrita, in quibus nimirum non ea sunt observata, quae ad testamenti vim et robur jura praescribunt, eaque infirmari non opus habent, utpote quae nulla sunt, perinde ac si infecta essent.

Sed et ipsum testamentum jure factum quibusdam de causis infirmari potest, idque adeo valet, donec rumpatur, irritumve fiat.

Rumpitur autem testamentum, sive jus testamenti vitiatur, primo quidem agnatione vera et naturali, cum post con-

ditum testamentum testatori nascuntur liberi, tum etiam agnatione civili, quae fit per adrogationem, vel adoptionem.

Praeterea rumiptur, sive cum testator prius testamentum delet, incidit, lacerat, signa turbat; sive cum novum ordinat testamentum; nam superius testamentum aboletur posteriore testamento, si tamen hoc perfectum sit, non tantum cogitatum, aut incoeptum.

Irritum quoque fiet testamentum vel facto haeredis, qui haereditatem adire nolit, sive causa testatoris ob capitis diminutionem. Convalescet autem, si damnatus ob crimen, a principe restituatur in integrum.

Demum rescinditur testamentum per querelam inofficiosi testàmenti, de qua deinceps.

De inofficioso Testamento.

Inofficiosum dicitur testamentum, quo laeditur pietatis officium adversus liberos, parentes, et fratres. Tribuitur proinde inofficiosi testamenti querela sive filiis adversus testamenta parentum, sive parentibus adversus testamenta liberorum, sive fratribus, consanguineis tamen, et non tantum uterinis, si turpes personae scriptae sunt haeredes; quod nimirum indignum sit fratrem nulla infamia laborantem turpis personis a fratre postponi.

Sed cum odiosa sit ejusmodi querela, quasi testator pietatis officio defuerit, plura leges requirunt, ut huic instituendae sit locus.

1. Ut liberi aut inique sint exhaeredati a patre, aut inique a matre praeteriti. Cautum est enim ut, causa inseratur, et ab haerede probetur.

2. Ut qui querelam instituit, non alio jure in bona defuncti pervenire possit; nam si ex alio capite infirmari testamentum poterit, sileat oportet querela inofficiosi.

3. Ut nihil prorsus a testatoribus testamento relictum sit; nam si vel minima res liberis institutionis titulo relicta sit, quiescente querela, id quod deest legitima suppleri oportebit.

Antiquo jure legitima fuit quarta pars ejus portionis, quae obvenisset ab intestato: jure novo triens est, si liberi non sint nisi quatuor aut pauciores; si plures, legitima est semis.

Porro leges romanae, cum certam dumtaxat haereditatis partem inter filios distribuendam imperent, magnam patribus facultatem tribuunt, quem velint liberorum prae aliis gratificandi. Et quidem ad rectam familiae institutionem pertinet, ut si quem pater obsequentiorem filium habuerit, et praestantiori quadam indole virtutis praeditum, ejus pietatem et optima studia remunerari valeat. Sunt etiam justae aliae causae, cur pater uni plus, quam alteri e filiis largiatur; si unus copiis adventitiis abundet, alter indigeat; si unus firma aetate eos jam progressus habuerit, quibus sibi facile prospiciat; alter adolescentulus subsidiis indigeat, ut ad honestum quoddam vitae genus capessendum instituatur, cavendum tamen, ne ad suas facultates inaequaliter inter filios distribuendas levi de causa, vel pravo affectu pater induci se patiatur; velut si filio, quem ex una uxore suscepit, plus gratificetur, quam aliis ex alia uxore susceptis, quod eam plus dilexerit ec.

De Haeredum qualitate, et differentia.

« Haredes autem aut necessarii dicuntur, aut sui et « necessarii, aut extranei.

Necessarius haeres jure Romano dictus est servus haeres institutus, ideoque sic appellatus necessarius, quod sive vellet, sive nollet, post mortem testatoris necessario haeres fieret. Sic porro servi haeredes instituebantur a dominis; qui non erant solvendo, ut ipsorum potius quam defuncti nomine haereditas distraheretur; qua lege romani existimationi nominis suorum civium consulebant. Magni sane momenti est cujusque reipublicae cives magnifice de sui status dignitate sentire; sic enim animi ad fortia quaeque obeunda eriguntur, vehementiusque ab omni dedecore vitae absterrentur. Aliunde minus erat ignominiae in servo, cujus nomine defuncti haereditas distrahebatur; quin etiam pro eo incommodo illud ei commodum praestabatur, ut ipsi servarentur, quae post mortem patroni sui acquisivisset.

Sui autem, et necessarii haeredes dicti sunt liberi, qui essent in morientis potestate; ideo appellati *sui*, quia domestici haeredes sunt, et vivo quoque patre quodammodo domini existimantur; necessarii autem dicti, quod lege XII tabularum, sive vellent, sive nollent, haeredes essent non

secus ac servi. Sed deinceps praetorio jure ipsis concessum est, si vellent, haereditate abstinere: ut nimirum potius parentis defuncti, quam filiorum nomine, haereditas distraheretur; nec isti proinde ignominae nota immerentes afficerentur. Sed haec jam minus nostris moribus conveniunt.

Aliter proinde necessarius haeres dicitur, quem testator pro legitima portione instituere tenetur, nisi justam exhaeredandi causam habeat; haeres non necessarius, quem testator instituere non cogitur.

Haeredes hoc sensu necessarii in primis sunt descendentes; hi autem deficientibus, ascendentes.

Legitima portio descendentium, ut supra dictum est, novo jure est triens haereditatis, si non plures quam quatuor; semis, si plures. Sed hoc locum tantum habet in bonis privatis, non item in regnis, ducatibus etc., quae in plerisque provinciis ad primogenitum spectant, et ad nepotem devolvuntur, secluso filio secundogenito, aliisque masculis; dummodo iis sustentatio sufficiens pro dignitate status, et familiae assignetur. Deinde legitima portio intelligitur ex bonis, quae sunt de substantia patris, non item ex bonis feudalibus, quae dicuntur, ex pacto ac providentia secundum gratiam, ac liberalitatem concedentis.

Ascendentium item legitima portio est triens haereditatis, quae deficientibus descendentibus debita est parenti uni, vel utrique superstiti. Sin autem neuter parens supersit, in locum patris succedunt avus, et avia paterna, in locum matris avus, et avia materna.

Sed et etiam haeres necessarius opponitur haeredi, qui praesumptus nuncupari solet. Necessarius dicitur qui sic proximus vocatur ad haereditatem, ut alter proximior esse nequeat, quo is excludatur: praesumptus vero, qui deficiente proximiore haerede ad haereditatem vocatur; qui proinde praesumptus dicitur, eo quod proximior non adsit aut non adfuturus praesumatur; qui eum excludat.

Liberos naturales, nisi legitimati sint, non tenetur pater haeredes instituere: quamquam si liberis caret, non prohibetur illis bona sua relinquere, modo parentes, si adsint, legitima portione non priventur. Quod si testator liberos legitimos habeat, non plus quam unam haereditatis unciam naturalibus liberis, eorumque matri relinquere potest. Matri

vero filii naturales aequali jure cum legitimis succedunt, ubi jus commune observatur.

Extranei demum haeredes dicuntur ceteri, qui testatoris juri subjecti non sunt. Quo numero habentur vel ipsi filii, qui a matre instituuntur, quia foeminae in potestate liberos non habent. Intellige quoad jura civilia, quae leges romanae patriae potestati attribuunt.

Quia vero haeredes oneribus haereditatis omnibus subjiuciuntur, contingere autem potest, ut haereditas gravi aere alieno prematur, haredibus consultum est *inventarii beneficio*, quo nomine designatur integra bonorum defuncti descriptio; tumque non tenentur, nisi quantum haereditatis bona valere contigerit.

De Legatis.

« Legatum est donatio quaedam a defuncto relicta, ab « haerede praestanda.

Legari possunt quaecumque a testatore alienari, et a legatario acquiri valent.

Qui etiam res aliena, modo eam testator alienam esse sciat, legari potest, tumque legatum hanc vim habet, ut haeres cogatur redimere eam, et praestare, vel si eam non potest redimere, aestimationem ejus dare. Quod si defunctus nesciebat rem esse alienam, legatum corruit; qua in re legatarium oportet probare, defunctum scivisse se rem alienam legare, non autem haredem probare defunctum id ignorasse; quia necessitas probandi incumbit illi, qui agit.

Si res eadem duobus legata sit, et ambo ad legatum perveniant, dividitur inter eos legatum. Si alter deficiat, puta quia aut spreverit legatum, aut vivo testatore decesserit, totum ad collegatarium pertinet.

« Si res legata sine facto haeredis perierit, legatario de« cedit. »

Nempe si certa species legata sit, aut certum corpus, seu quod instar certi corporis sit; nam si legata sit res incerta, velut centum aurei, dici non potest res legata periisse.

Cum duo ita legata sunt, ut unum non ab alio sit separatum, sed ei tanquam principali accedat, et cohaereat, tum perempta re principali extingui solet accessionis lega-

tum, velut si fundus cum instrumento legatus sit; nam fundo alienato instrumenti legatum extinguitur. Spectanda tamen mens testatoris.

« Si generaliter servus, vel res alia legetur, electio le-« gatarii est, nisi aliud testator dixerit.

« Siquidem in nomine legatarii testator erraverit, cum « de persona constat, nihilominus valet legatum. Idemque « in haeredibus servatur, et recte. Nomina enim significan-« dorum hominum gratia reperta sunt: qui si alio quolibet « modo intelligantur, nihil interest.

« Huic proxima est illa juris regula, falsa demonstra-« tione legatum non perimi, cum de re constat. « Nec enim falsae demonstrationis error attingit substantiam, statim atque constat de ipsa re, quae legatur.

Addit Justinianus falsam causam legato adjectam multo minus nocere: velut si quis ita dixerit: *Titio, quia me absente negotia mea curavit, fundum lego.* Licet enim negotia testatoris Titius nunquam curaverit, legatum tamen valere jubet: aliter vero si causa conditionaliter enunciata sit; velut hoc modo: *Titio, si negotia mea curavit, fundum lego.*

Discriminis ratio haec affertur; quod testator, etiamsi putaverit a Titio sua negotia curata esse, nullo tamen jure cogebatur fundum ipsi Titio legare. Quod autem nullo jure cogente conceditur, id liberaliter donari videtur. Licet ergo falsa sit causa adjecta, manet adhuc liberalitatis ratio, qua uti voluit testator, et qua revera usus est legandum; quandoquidem ad id nullo jure cogebatur. Contra vero si conditionaliter legatum enunciatum est, ipsa conditionis enunciatio ostendit, mentem testatoris ex conditione pendere; adeo ut si conditio desit, voluntas quoque defuisse censenda sit.

Atque haec quidem vera sunt, si particularum, quae causam et conditionem significant, vis et potestas ex penitioribus regulis artis exactissima subtilitate definiatur. At verendum, ne adeo subtiles differentiae fugiant communem intelgentiam hominum, qui passim testamenta faciunt, qui si testamentum suum sibi recitari audiant, sive hoc modo. *Titio, quod mea negotia curaverit, fundum lego*; sive hoc alio modo: *Titio, si mea negotia curaverit, fundum lego*; perinde mentem suam ac voluntatem utroque modo recte enunciatam fuisse facile existimabunt, nec inter eas loquendi rationes

quicquam differre suspicabuntur. Proinde tametsi causa legato adjecta non cogat testatorem fundum legare Titio, contingere tamen potest, ipsum ea causa sic permoveri ad legandum, ut ea sublata nullo modo legare vellet; tumque adjecta causa in testatoris mente vim conditionis habebit, e qua ejus voluntas omnino pendeat. Quare in eo casu nec immerito investigare oportebit, quae revera fuerit mens, ac voluntas testatoris.

De lege Falcidia.

Lege XII Tabularum libera prorsus erat legandi potestas; quo fiebat, ut testatores nonnunquam legatis suis haereditatem sic onerarent, ut nil haeredi superesset; multique ob id intestati moriebantur, recusantibus scilicet haeredibus pro nullo, aut minimo lucro, haereditates adire. Huic incomodo tam lex Furia, quam lex Voconia mederi coeperunt, quarum illa cavebat, ne supra mille asses legare liceret; haec, ne quis census plus cuiquam legaret, quam ad haeredem perveniret. Plenius autem deinceps provisum est Lege Falcidia, lata scilicet a Falcidio Tribuno plebis Augusti temporibus, qua cavetur, ne plus legare liceat, quam dodrantem totorum bonorum, adeo ut saltem quarta pars haeredi, vel haredibus institutis remaneat, quae quarta Falcidia vocari solet.

Et sane priores leges minime sufficiebant ad propositum finem; cavebant quidem, ne singulis legatariis ultra praescriptum legaretur; sed adhuc poterat testator pluribus legando intra fines praescriptos, totam haereditatem exhaurire. At lege Flacidia revera circumscripta est legandi licentia, dum omnes simul legatario complectens, cavet de cunctis, ne ultra dodrantem legata procedant.

Sed et hoc animadvertendum, minus caute legem Furiam cum legata coarctare vellet., legati quantitatem ad certum assium numerum revocasse. Etenim notum est, progressione temporis monetae cujusvis valorem plurimum immutari, ut proinde cum lex lata est, mille assibus satis egregia pecuniae summa conflaretur; post pauca vero saecula vix alicujus momenti aestimetur. Quamobrem ubi agitur de perpetuo assignanda in rem quampiam portione aliqua fructus, qui ex aliquo fundo percipitur, satius est, ubicumque fieri possit,

eam portionem definire, non certo assium, aut cujusvis pecuniae numero, cujus valor perpetuae mutationi obnoxius est, sed potius per aliquam partem aliquotam totius fructus, qui ex eo fundo percipitur; sic enim aeque proportio, quam initio legislator spectavit, constans et perpetua remanebit.

De Fideicommissis.

Initio invecta sunt fideicommissa, ut fraus legibus fieret non patientibus haereditates, aut legata quibusdam personis relinqui, velut proscriptis, deportatis ec. Quibus ergo personis directo relinqui non poterat, si testator quidpiam vellet relinquere, idipsum fidei committebat eorum, qui capere poterant ex testamento; et ideo fideicommissa appellata sunt, quia nullo vinculo juris, sed tantum pudore, seu fide eorum, qui rogati essent, fideicommissa continebantur. Augustus autem vim aliquam primus fideicommissis tribuit, dum de his jussit consules auctoritatem suam interponere.

Fideicommissum aut universale est, quo haereditas relinquitur, aut singulare, quo relinquuntur res singulae. Haeres, cui committitur, dicitur haeres fiduciarius.

Haeredi fiduciario quarta pars haereditatis conceditur, quae ex Senatus consulto Trebelliano Trebellianica dicta est, ne scilicet is frustra omnino hareditatem capiat.

Sed hic animadvertendum non aliis tacite relinqui posse fideicommissum, quam qui palam relictum capere possunt, aliter fraus fieret legibus. Sunt quos leges a capienda haereditate repellunt, velut filii spurii. Si ad istorum quempiam testator vellet bona sua pervenire; et ob eam rem amicum haeredem institueret, hoc pacto et conditione, ut ipse deinceps haereditatis bona ei traderet, qui legibus prohibetur, occultum ejusmodi fideicommissum lege conscientiae non prodesset; nec enim privatorum conventio juri publico derogare potest, quod in commune bonum spectat. Quamobrem conventio hujusmodi gravi injustitiae peccato non vacaret; et bona sic tradita et accepta, legitimo haeredi ab intestato relinquenda essent.

De Codicillis.

Codicillorum usus ad Augusti tempora refertur. Continent

supremae voluntatis testationem minus solemnem, utpote quibus directa haeredis institutio nulla fit. Adhibentur ad legata, vel fideicommissa relinquenda; tum etiam ad explicandum vel mutandum, si quid libet, in testamento; quamquam et codicilli fiunt sine testamento.

Eorum recepta duo genera: scripti, in quibus voluntas scribitur, et non scripti, in quibus nuncupatur.

Codicilli ab intestato facti vicem testamenti exhibent; proinde quicumque intestati successor erit, codicillis relicta praestabit; testamento autem facto, codicilli vires ex testamento capiunt, et jus ejus sequuntur.

Codicillis autem directe haereditas neque dari, neque adimi potest, ne confundatur jus testamentorum, et codicillorum, et ideo nec exhaeredatio scribi. Ceterum per fideicommissum haereditas codicillis jure relinquitur, seu verbis precariis; quo casu haeres scriptus, vel legitimus, quartam partem sibi retinere potest.

Codicillos etiam plures quis facere potest; nec de prioribus quidquam detrahitur per posteriores, nisi sint contrarii. Plura autem testamenta unius hominis esse non possunt sed prius semper rumpitur a posteriore.

Jus quinque testes in Codicillis requirit, unumque actionis contextum, et si scripto fiant, etiam testium subscriptiones; quae solemnitatem aliquam praeseferunt, licet minorem. Ceterum non videntur ista pertinere ad codicillos testamento confirmatos; quippe quibus sustinendis sufficit ipsius testamenti solomnitas.

Pertinet ad hunc locum cautio illa, quae *Codicillaris clausula* appellatur, quae sic a Tabellionibus affertur: *si non valeat ut testamentum*, *valeat in vim Codicilli.*

Sed in his consulendae propriae leges cujusque Reipublicae.

LIBER III.

De Haereditatibus, quae ab intestato defuntur.

« Intestatus decedit, qui aut omnino testamentum non fe« cit: aut non jure fecit; aut id quod fecerat, ruptum ir« ritumve factum est: aut si ex eo nemo haeres extite« rit. »

Itaque legibus praescribenda fuit ratio succedendi ab intestato: qua in re par fuit eum modum tenere, qui et ordini naturali maxime consentaneus esset, simulque civitatis constitutioni, et commodis aptissimus.

1. Naturae omnino consentaneum est, parentes in id studiose operam suam et industriam conferre, ut liberis suis vitae bene degendae subsidia comparent; naturalis proinde ordo poscit, ut parentibus liberi succedant, tum filii ex liberis suscepti, sicque deinceps.

2. Ubi contigerit parentes esse filiis superstites, naturale est quoque, ut aliquod orbitatis suae solatium in filiorum successione paratum habeant; naturali proinde ordine liberis deficientibus successio ad superiorem cognationem retrotrahetur.

3. Deficiente cum superiore tum inferiore cognatione jura sanguinis ad agnatos, cognatosve collaterales haereditatem deferent. Et primo quidem admittuntur fratres germani, et fratrum germanorum liberi. Post hosce veniunt fratres uno parente conjuncti, itemque liberi fratrum praemortuorum, qui uno parente conjuncti erant. Si nec fratres, nec fratrum liberi adsunt, reliqui agnati, et cognati vocantur; ea lege, ut ex iis, qui pares sunt gradu pariter admittantur, ac proximior remotiorem excludat.

Sed successionis duplex ratio, una quae dicitur in capita, in stirpes altera. In capita fit, cum haereditas in tot partes dividitur, quot sunt capita, sive personae quae succedunt: velut si pater duos, tresve filios, aut plures habeat,

et aequaliter inter eos haereditas dividatur, successio fieri dicetur in capita. In stirpes vero fit hoc modo: si pater duos liberos susceperit, moriensque unum ex filiis vivum relinquat, alterius vero praemortui plures filii existant, haereditas in duas aeqnales partes dividetur; dimidiam porro feret filius superstes; alteram dimidiam liberi quotquot sunt ejus qui praemortuus est, qui scilicet patrem suum repraesentant, eamque proinde partem capiunt, quae ipsi vivo obtigisset. Atque illud est, quod jus repraesentationis dicitur.

Deficientibus collateralibus usque ad 10 gradum succedit conjux conjugi, nisi inter eos fuerit divortium. Qud si uxor marito sine dote nupsit, ei praemortuo et consanguineos haeredes qualescumque relinquenti, succedit uxor, si inops sit, in quarta bonorum parte, ita tamen, ut si liberi ex defuncto superstites sint, solus ususfructus ad ipsam dum vivit, pertineat: deinde si plures quam tres liberi adsint, ipsa cum eisdem in capita succedat. Legatum tamen a marito factum uxori imputatur in quartam, quam ad instar legitimae, ne in testamento quidem, tollere potest.

His adde, quod mulier, quae susceptis ex priore matrimonio liberis, ad secundas nuptias transiit, quidquid a priore marito, quacumque donatione, aut testamento, acquisivit, ejusdem matrimonii liberis servare, et relinquere debeat, omni alienatione penitus interdicta: similiter et maritus, si quae bona a priore uxore ad ipsum devenerant, postea ad secundas nuptias transiens, reservare ea debet liberis prioris matrimonii. Sin vero vir, aut mulier post mortem conjugis sui ad secundas nuptias non transeat, licentiam habet, bona a conjuge sua profecta, exceptis lucris ex dote aut donatione propter nuptias, arbitratu suo alienandi ac consumendi. Si tamen non alienaverit, liberi ea sibi vindicare possunt, tametsi haereditati patris, au matris immiscere se nolint.

Si neque consanguinei, neque coniux extent, legitimum Collegium succedit, si cui defunctus erat addictus. Quod si hoc nullum fuerit, fiscus denique succedit, occupatque bona tanquam vacantia, sed ultra vires haereditarias creditori satisfacere non cogetur.

Quod attinet ad filios legitimatos, videndum utrum sint legitimati per subsequens conjugium, aut beneficio Princi-

pis. Si primum, perinde habentur ac si essent ex justis nuptiis procreati, parique jure cum legitimis succedunt. Si secundum, vel quo tempore legitimati sunt, alii jam legitimi existebant, tumque non ad idem jus admittuntur; quippe valet beneficium Principis ad eluendam nativitatis maculam, non ad eorum detrimentum, qui legitimi sunt: vel eo tempore nulli adhuc extabant filii legititimi, tumque filii legitimati pari jure admittuntur cum filiis ex justo conjugio deinceps procreatis, ne jus per legitimationem prius quaesitum eis invitis auferatur.

Liberi naturales ex concubina, cum qua nuptiae celebrari poterant; matri etiam illustri, aliisque ex materna linea ascendentibus, una cum legitimis succedunt; non vero succedunt patri legitimos filios, legitimamve uxorem habenti. Sed hoc casu naturalibus filiis alimenta sunt decernenda.

Nullis extantibus liberis legitimis, nec uxore legitima, naturales filii patri succedunt in sextante, dividendo cum matre concubina.

Spurii, seu vulgo quaesiti patri non succedunt; ad matris tamen haereditatem cum legitimis admittuntur. Excipi solet, nisi mater illustris sit, justamque prolet habeat. Discriminis ratio in eo, quia mater certa est; sed pater, quem justae nuptiae demonstrent.

Qui vero ex impia conjunctione nascuntur, ex incestu scilicet, vel adulterio, ab omni successione prorsus repelluntur, ut nec ipsis jure civili alimenta debeantur. Sed quamvis prudens legislator nil omittere debeat, quo cives ab impiis ejusmodi conjunctionibus deterreantur, non eo usque procedendum, ut innocenti proli necessaria vitae subsidia detrahantur; quare hac parte Sacrorum Canonum aequitate aliter provisum est.

Sed pleraque haec, et cetera, quae ad successionum ordinem et modum pertinent, plerumque apud diversos populos diversa sunt, suntque propterea ex civitatis cujusque legibus, et institutis pretenda.

De obligationibus.

Obligatio est juris vinculum, quo adstringimur ad aliquid praestandum.

Quae obligatio aequitate naturali nititur, sed ex qua jure civili agi non potest, dicitur obligatio naturalis; velut ea, quae ex nudo pacto nascitur: illa vero, ex qua jure civili agi petest, dicitur obligatio civilis; velut ea, quae pacto legibus probato contrahitur.

Obligatio civilis, quam jus legitimum inducit, afficit etiam conscientiam; est quippe naturalis obligatio parendi legi justae. Itaque quoties in facto, seu in re gesta, illa revera insunt, ob quae jura legitima actionem praebent, tum ex obligatione civili sequitur etiam naturalis obligatio id praestandi, quod jus praestari vult. Contingere autem potest, ut facti species non ea revera sit, quam factum ipsum praesefert, aut non sit iis adjunctis praeditum, ob quae jura interponere suam auctoritatem intendunt; tumque ipsa jura multa exceptionum genera aperiunt, quibus elidatur actio, tametsi ad speciem juris consentanea videatur: velut si quis aut injusto metu inductus, aut dolo, stipulanti Titio promiserit, nascetur quidem actio, ex eo quod jura civilia praestari velint obligationem verbis contractam; sed si promissor metum, dolumve adhibitum probaverit, justa exceptione juribus concessa, intentatam actionem repellet. Quo planum fit, jura obligationem verbis contractam praesidio suo firmare, si demum ea insint, propter quae obligationi sic contractae auctoritatem suam adjungunt; quae si desunt, eo ipso jura partam ex ea obligatione actionem destituunt, nec proinde talem obligationem ut veram agnoscunt. Sane Vinnius testatur, ad obligationis civilis notionem haud illam pertinere, quae civilis nuda dicitur, quae propemodum sine re est, et exitu inutilis. Quod si etiam contingeret, ut ex falso allegatis et probatis damnaretur quis a judice ad solvendum quod non debet, nulla quidem esset naturalis obligatio erga falsum creditorem; etenim et ipsa sententia judicis putata debiti veritate nititur. Resistere tamen ille non posset auctoritati judicis, quae tametsi decepta, legitima est. Sed tum ea parendi obligatio ex alio capite nascitur, ex eo scilicet naturalis aequitatis principio, quo jubemur publicae potestati non resistere, ne publicus judiciorum ordo cum magno Reipublicae incommodo perturbetur.

Et quidem ex ea veluti dissensione, quae interdum se prodit inter naturalem obligationem, et civilem, nonnulli in animum induxerunt, jura civilia minus ad conscientiam pertinere; velut cum ea, quae naturalis aequitas praestare

jubet, eadem non praestare jura civilia concedunt. Verum si quis rem rotam probe animadverterit, facile perspiciet, quemadmodum et in his rebus jus civile cum jure conscientiae componatur. Itaque observandum, jus civile duplici ratione se habere circa pactiones, aut acta quaevis generatim, e quibus obligatio naturalis oriri potest; nimirum vel eis dumtaxat non assistendo, seu actionem non dando, vel ea prorsus improbando, et irritando. Cum jus civile tantum non assistit, nil plane detrahit de firmitate obligationis naturalis. Exempli causa, etsi post certum praefinitum tempus nulla detur actio creditori ad repetendum debitum, nihilominus debitor, cui fidem creditor habuit, quique sui est debiti bene conscius; solvere illud obligatione naturali tenetur; nec enim lex, quae actionem negat, ullo modo obstat, quominus debitor ex fide et conscientia obligationi suae satisfaciat. Cum vero leges improbant plane, atque irrita volunt esse acta illa, e quibus alioquin naturalis obligatio nasceretur, tum ipsa legum vi naturalis ea obligatio, quae aliter locum habuisset[1], plane perimitur ac tollitur, idque ex ipsa aequitate naturali, quod quemadmodum fiat, paullo etiam uberius erit explicandum. Sunt scilicet acta quaedam, quae sola spectata lege naturae nil praeseferunt, quominus licita, et firma judicentur. His porro, sola spectata lege naturae, obligatio naturatis contrahitur; vult enim lex naturae, ut id quisque praestet, in quo sese obligavit, cum nil impediret quominus sese obligaret. Verum si ea, quae sola naturae lege illicita aut invalida non sunt, patriae legibus deinceps improbentur, jam nec ipsa naturalis aequitas patitur, ea aut licita censere quae jure prohibentur, aut valida quae jura valere nolunt. Neque propterea mutatur naturalis aequitas, sed omnis mutatio fit in materia eidem subjecta. Jubet quidem lex naturalis ea firma haberi, quibus nullum jus obsistit; sed si jus obsistere incipit, mutatur earum rerum conditio, eodemque lex naturalis firma habere non sinit, quae firma esse jura nolunt. Quando igitur jus civile pactum aliquod sic improbat, ut id fieri vetet, aut personas inhabiles reddat ad paciscendum, aut pactionis effectum nullum esse velit, tum pactio (et idem de qualibet alia re dicendum) quae citra praescriptionem illam juris obligationem naturalem pareret, nullam jam naturalem obligationem parit, utpote quae bonis moribus, legibusque contraria esset.

De fontibus obligationum.

Quatuor ex fontibus obligatio ducitur, ex contractu, ex quasi contractu, ex maleficio, ex quasi maleficio.

De Contractibus.

Contractus species est quaedam pacti, seu conventionis; quare ex notione pacti ad contractus notionem progrediendum.

Pactum, seu conventio, est duorum, vel plurium in idem placitum, et consensus.

Est autem pactum, aliud quidem nudum et simplex, aliud convenientibus adminiculis septum, et roboratum; quod etiam vestitum dicunt.

Prius dicitur, quod nec certum, seu peculiare nomen habet, nec causam. Causae autem nomine intelligitur facti, vel rei praestatio; ob quam pactum vim habere debeat. Nuda ejusmodi pacta obligationem tantum naturalem inducunt, quae fide data et aequitate nititur, et quae tametsi non efficax ad actionem praebendam, non tamen minoris est momenti apud virum probum, quam obligatio civilis: unde illud vulgare adagium: *promissio boni viri est obligatio.*

Conventio vero, quae certum nomen habet, vel causam legibus probatam, contractus appellatur.

Hinc contractus 1. alii nominati sunt, alii dicuntur innominati. Illi sunt qui, quod frequentius iniri solent, peculiare sunt nomen adepti, ut mutuum, commodatum, emptio, locatio, societas etc.

Innominati, qui peculiari nomine carent; et ad quatuor formulas revocantur: *Do, ut des*; *do, ut facias*; *facio, ut des*; *facio, ut facias.*

Isti contractus, quamdiu intra nudi placiti seu conventionis fines consistunt, actionem non pariunt. Sed cum unus datam fidem implevit, potest vel agere ut alter impleat, vel re quoad alium integra poenitendo resilire, ac praestitum repetere: secus atque in contractibus nominatis, qui unius contrahentis poenitentiam alio invito non admittunt.

2. Contractus alii ex una tantum parte obligant, ut mu-

tuum, et stipulatio; alii utrinque obligationem inducunt, ut venditio, locatio.

3. Alii sunt bonae fidei, in quibus potestas fit judici aestimandi quod alter alteri ex aequo et bono praestare debeat; alii stricti juris, in quibus potestas judicis formulae adstricta est, idque omnino praestandum, quod expressum reperitur. Quam distinctionem perperam Barbeyracius oppugnare studuit.

Praeter id, quod praestari debet vi contractus, occurrit etiam quandoque quid aliud praestandum, ex dolo, vel casu, vel culpa; de quibus jam paucis dicendum.

De dolo, casu, et culpa.

Dolus est machinatio ad nocendum alteri data opera adhibita.

Casus fortuitus es omnis eventus, qui praevideri, aut, praeverti non potest.

Culpa est factum, vel non factum incolsultum, seu ex negligentia ortum, quo alteri damnum infertur.

Ut porro distinguuntur tres diligentiae gradus, maximae, mediae, et infinae; sic tres quoque distingui solent gradus culpae, scilicet latae, levis, et levissimae.

Lata culpa, quae infimae diligentiae opponitur, est omissio ejus diligentiae, quae communiter adhiberi solet.

Levis culpa, mediae diligentiae opposita, est ejus diligentiae omissio, quae ab accurato patrefamilias solet adhiberi.

Levissima culpa diligentiae maximae opposita omissio est ejus exactissimae diligentiae, quam solertissimus paterfamilias adhibet.

Atque his quidem de rebus communes haec praeceptiones dantur:

Damnum dolo datum omnino praestandum ab eo qui dedit; idque tametsi aliter conventum esset. Etenim leges nullam vim pactis tribuunt, quae delinquendi occasionem praebent.

Damnum fortuito casu datum non praestatur; nisi de hoc praestando convenerit, aut culpa vel mora praecesserit.

De damno culpa dato est aliqua distinctio facienda pro diverso genere culpae.

Culpa lata semper praestari debet; neque enim par est vecordem negligentiam ad excusationem afferri; quin etiam in causis civilibus culpa lata dolo aequiparatur.

Si vero levi aut levissima culpa damnum datum est, regula damni praestandi ex natura contractus sumetur; nam contractus omnis cedit in utilitatem vel utriusque contrahentis, vel in utilitatem unius tantum, scilicet aut solius accipientis, aut solius dantis.

Si utilitas est solius accipientis, ut in commodato, qui accipit, tenetur de culpa etiam levissima. Si utilitas ad utrumque pertinet, velut in venditione et emptione; praestabitur tantum culpa levis. Si utilitas est solius dantis, ut in deposito, tum qui accipit, non tenetur nisi de culpa lata: excipe, verbi gr., si ultro se ipse obtulerit.

Jam vero contractus fiunt quatuor modis, vel re, vel verbis, vel litteris, vel consensu. Qui modi ex civili jurisprudentia distinguuntur; nam si rerum naturam spectes, duplex tantum contrahendi ratio se offeret; una, qua contractus re perfici opus habet, ut in mutuo; altera, qua, ut perficiatur, lex naturae nonnisi mutuum consensum manifestatum requirit. Duo alii modi ex jure civili inducti sunt, quatenus ad legitimam consensus manifestationem jura, aut verba, aut etiam litteras requirunt.

De contractibus, qui re perficiuntur.

Re perfici contractus dicuntur, in quibus dati, aut facti praestatio ad consensum accedere oportet; suntque quatuor, mutuum, commodatum, depositum, pignus.

De Mutuo, et Commodato.

Mutuum est contractus stricti juris, quo traditur res fungibili, ut statim fiat accipientis, ea lege, ut alia ejusdem generis, et qualitatis reddatur.

Mutuum contractus est stricti juris; quia cum tantum reddi debeat quantum traditum est, non fit locus aestimationi ex aequo et bono.

In Mutuo traduntur res fungibiles, quo nomine illa rerum genera designantur, in quibus aliae aliarum vice funguntur. Sunt autem quae usu consumuntur, quae pondere,

numero, mensurave constant; velut vinum, oleum, frumentum, pecunia numerata. Quas res qui mutuo tradit, non eo animo tradit, ut easdem recipiat, sed alias ejusdem naturae et qualitatis, quae proinde vice funguntur earum, quae traditae sunt. Nec enim vinum, oleum, frumentum eadem, quae accepta sunt, reddi possunt, utpote quae usu consumuntur; pecunia quoque usu quodammodo perimitur, et extinguitur, utpote quae utenti excidit, ac perit, dum eam in usus suos expendit, ac distrahit. Res autem sic traditae fiunt accipientis, qui de his decernere potest, ut lubet.

Commodatum vero contractus est bonae fidei, quo res gratuito ad certum usum alteri conceditur, ut eo usu finito, eadem reddatur: velut cum quis equum suum alteri ad aliquod inter faciendum concedit; quo itinere facto equus idem domino reddendus est.

Itaque si commodatum cum mutuo conferas, facile perspicies qui fiat, ut in mutuo dominium transferatur, non item in commodato. Nam in mutuo traduntur res, quae usu consumuntur, adeo ut usus concedi nequeat, quin etiam plena facultas tribuatur substantiae quomodolibet abutendae ac perdendae; in quo dominii ratio consistit. In commodato vero usus rei a substantia rei plane secernitur; ut patet in eo qui equum alteri commodat; is enim usum equi concedit, equum ipsum, seu equi proprietatem, non tribuit; quippe uti quis equo potest salva ejusdem equi substantia, adeo ut usu finito ille idem equus, qui traditus est, reddi possit. Hinc porro fit, ut si res commodata fortuito casu pereat sine culpa ejus qui accepit, non pereat periculo ejus qui accepit, sed ejus qui commodavit, siquidem aequum est rem domino suo perire; porro qui equum suum commodavit, non propterea equi dominus esse desinit. Contra in mutuo si res tradita quocumque fortuito casu perit, ejus jacturam feret qui acrepit; quod iniquum foret, nisi revera per mutuum ejusdem rei dominium sibi comparavisset.

Neque vero quod is qui mutuum accepit, tantumdem reddere teneatur, officit quin verum rei, quam accepit, dominium nanciscatur. Nam etiam cum venditor fide habita emptori mercem tradit, emptor mercis traditae dominium acquirit, licet pretium ejus solvere teneatur. Quemadmodum ergo jus, quod habet emptor pretii exigendi, non impedit, quin emptor verum dominium habeat in rem sibi traditam:

sic jus mutuantis tantumdem repetendi quantum tradidit, non obstat, quin verum dominium rei traditae in eum transierit, qui eam accepit. Nullius proinde in hanc rem momenti est commentum eorum, quibus in pecunia mutuata placuit corpus ipsum pecuniae numeratae ab ejusdem quantitate secernere, unde sibi concludere posse videntur, cum qui pecuniam mutuatur, corporis quidem numeratae pecuniae dominium amittere, sed quantitatis dominium retinere. Nam commentitium illud quantitatis dominium cuique rem paullo acrius intuenti non aliud esse patebit, quam jus quod habet mutuans tantumdem repetendi, quantum tradidit; quod jus longe abest a natura dominii, ut patet in venditore, qui fide habita mercem emptori tradidit; jus enim quod ille habet exigendi pretium mercis nullo pacto dominium est nec mercis, nec pecuniae, quam emptor debet.

Atque istud quoque probe est animadvertendum discrimen, quod intercedit inter res, quas usus ipse perimit, et eas, quae usu non consumuntur, non populorum institutis, sed natura ipsa constitutum esse. Natura quippe fit, ut panis quo vescimur, usu ipso consumatur, non item equus quo vehimur. Proinde non populorum institutis, sed natura ipsa fit, ut in rebus quae usu salvae supersunt, pretium usus a pretio rei secerni valeat, ut patet in equo; nam pretium equi aliud est, quam pretium vectionis quam praebet. In his vero, quae usu consumuntur, velut in pane, qui vescendo consumitur, non aliud est pretium substantiae panis, aliud pretium esus: meritoque insanus haberetur, qui panem tradens aliud pretium pro panis substantia, aliud pro panis manducatione repeteret.

Hinc in rebus, quae usu consumuntur, satisfit ad aequalitatem tantum reddendo, quantum acceptum est; nisi causa mutui lucrum aliquod cessaverit, aut damnum emerserit, seu aliquid mutuanti intersit, quod juste compensari debeat. Etenim, ut dictum est, absurdum foret aliud pretium pro pane statuere, aliud pro manducatione panis; proinde si quis panem mutuo accepit, alium panem ejusdem ponderis, naturae, et bonitatis reddiderit, ad aequalitatem satisfecisse censendus est; propterea aequitatem mutuans ipse laederet, si praeter panem quem recipit, aliud insuper pro esu panis exigeret. Non ergo patitur aequitatis, ut ex mutuo vi mutui lucrum

percipiantur: omnisque talis conventio in id vitium incidit, quod usurae ac foenoris nomine designatur.

Contra in rebus, quas usus non perimit, nil obstat, quin praeter rem aliquod lucrum pro usu rei exigatur. Etenim equi usus habet suum pretium, quod est a pretio ipsius equi omnino distinctum; proinde qui equum suum alteri utendum concedit, bene pacisci poterit non solum ut suus sibi equus reddatur, sed ut solvatur sibi pretium, quod usui equi respondet. Equidem commodati nomine placuit id intelligi, quod gratuito conceditur; proinde si mercedis pactio intervenit, contractus ipse commodati nomen amittet; sed adjecta nullam labem contractui adjiciet, idque tantum efficiet, ut cedat in aliam contractus speciem perinde licitam, quae locatio dicitur.

Differt ergo commodatum a mutuo, quod in mutuo dominium transferatur in accipientem, qui proinde tradita sibi re abuti quomodocumque potest: in commodato vero dominium non transfertur, sed res ad certum dumtaxat usum conceditur. Cum autem ex usu rei alienae, culpa ejus, qui utendam accepit, detrimentum quandoque importetur ei, qui commodavit, judicis sententia ex aequo et bono aestimandum erit, quid alter alteri praestare debeat; quo fit, ut commodatum bonae fidei contractus esse dicatur: secus atque mutuum, in quo cum tantum reddi debeat, quantum traditum est, nullus hujusmodi aestimationi locus relinquitur, sed totum stricta aequalitate inter traditum, et redditum continetur; unde stricti juris contractus appellatur.

Duplex autem est modus, quo res alteri utenda gratuito conceditur, unus quo ad praefinitum usum conceditur, non ante repetenda, quam utendi tempus lapsum fuerit: atque id quidem proprie commodatum dicitur: alter modus est, cum res utenda sic conceditur, ut ad omnem concedentis nutum repeti queat; isque modus *precarium* constituit.

Commodans tenetur 1. vitia rei patefacere, et si quod ex celato rei commodatae vitio damnum alter ceperit, commodans tenebitur id praestare. 2. In commodantem recidunt extraordinarii sumptus, quos rei conservandae necessitas postulaverit. 3. Non debet rem ante praefinitum tempus repetere, nisi aliunde periculum ipsi immineret,

Qui commodatum accepit, tenetur 1. in re conservanda exactissimam diligentiam adhibere, quam profecto aequitas

ab eo postulat, in cujus tantum utilitatem contractus pertinet. 2. Re commodata non aliter uti, ac sibi concessum sit, aut saltem ac prudenter existimet, dominum assensurum esse: nam civili jure furti reus habetur, qui rem utendam in alium usum transfert, quam eum, cujus gratia sibi data est. 3. Impensas consuetas praestare, quas rei conservatio et usus requirit. 4. Rem commodatam praefinito tempore restituere.

Jam hic quaeri solet, imminente naufragio vel incendio, utrum servari par sit propriam rem, an commodatam, cum utraque simul servari nequit. Et quidem si res propria multo pretiosior est commodata, non vetat aequitas rem propriam servari prae commodata, modo pretium ejus domino praestetur. Quod si res commodata ejusdem, aut fere ejusdem pretii est atque propria, servari domino rem suam oportet, quam in alterius utilitatem liberaliter commodavit.

De Deposito.

Depositum est contractus, quo res alteri gratis custodienda traditur, ut eadem restituatur.

Si res deposita erepta sit naufragio, vel incendio, dicitur miserabile depositum.

Si res litigiosa, vel partium consensu, vel judicis auctoritate deponitur, sequestratio dicitur, prima quidem voluntaria, altera necessaria.

Is apud quem res est deposita, nequidem compensationis causa potest eam retinere, sed eam repetenti domino statim restituere debet; nisi ex restitutione instans periculum vel domino, vel aliis immineret: ut si quis gladium depositum reposceret ad se, vel alium interficiendum.

Neque re deposita uti potest, nisi ex domini consensu; qui secus fecerit, furtum commisisse judicatur; et pretium quod tali usui respondet, domino acquiritur.

Aliunde cum depositum ad solam deponentis utilitatem pertineat, is qui rem depositam accepit, nonnisi de culpa lata in re custodienda tenetur. Sane probitatis officio plurimum deesset qui in re fidei suae commendata non eam curam adhiberet, quam communiter homines nec admodum diligentes in re sua adhibere solent.

De Pignore.

Pignus dicitur contractus, quo res creditori traditur ad securitatem, ea lege, ut soluto debito restituatur. Cum autem pignus utriusque gratia comparatum sit, et debitoris, quo magis ei pecunia credatur, et creditoris, quo magis ei in tuto sit creditum; hinc fit, ut creditori mediam diligentiam adhiberi sufficiat, nec de culpa levissima, sed de levi teneatur. Quamobrem si mediam illam diligentiam adhibuit, et fortuito aliquo casu rem amiserit, securus est, nec impeditur creditum petere.

Creditor non potest uti re oppignorata sine consensu domini, et si quid ex ea lucri ceperit, in sortem est computandum; nec vendere pignus, nisi debitor sit in mora, et antea monitus fuerit: quod si pluris vendit quam ferat debitum, quod superest, debitori est restituendum. Praeterea in pignore jura reprobant pactum legis commissoriae, nimirum vetant pignus acquiri creditori, si debitor statuto tempore non solvit: quippe hac ratione magna facultas tribueretur improbis ex pignore injuste lucrandi.

Differt pignus ab hypotheca, quod pignus consistit in re mobili, quae traditur; hypoteca vero constituitur in re immobili, quae non traditur, sed tantum creditori obligatur ad securitatem debiti. Hypotheca autem alia est ex conventione, quae mutuo partium consensu, alia quae lege ipsa constituitur, velut quam pupillo leges tribuunt in bona tutoris.

De Verborum obligationibus.

« Verbis obligatio contrahitur ex interrogatione, et re-« sponsione, cum quid dari, fierive nobis stipulamur. »

Scilicet his duabus partibus, interrogatione nimirum, et responsione constat illa verborum conceptio, quae uno nomine stipulatio veteribus dicta est; nomine ex eo ducto, quod *stipulum* apud ipsos veteres firmum appellabatur.

Fiebant autem stipulationes hoc modo: *Spondes? Spondeo. Promittis? Promitto. Fide promittis? Fide promitto. Fidejubes? Fidejubeo. Dabis? Dabo.* Sed haec solemnia verba, quae olim in usu fuerant, postea Leo imperator sustulit,

nec aliud in stipulationibus desiderari voluit, quam ut consentiens ab utraque parte voluntas aptis quibuscumque verbis exprimeretur.

Itaque in stipulatione continetur vis ejus contractus, qui promissionis nomine donari solet. Nam si Titius te rogat, num decem aureo ei te daturum spondeas; ipse autem verbis aptis respondeas te spondere, erit perfecta stipulatio. Quod si tua sponte, nec rogatus promittas Titio decem aureos ei te daturum, ille autem assentiatur, et acceptet, erit quidem in hac promissione inversio aliqua prioris ordinis; ut spectata sola aequitate naturali, vis conventionis eadem esse videtur.

In stipulationem, et promissionem cadunt quaecumque alienari possunt, quae sunt in commercio, et juri nostro subjecta; nec solum res in stipulatum deduci possunt, sed etiam facta: ut si stipulemur aliquid fieri, vel non fieri. Quo in genere stipulationis monet imperator optimum fore, si poena subjiciatur, ne quantitas stipulationis in incerto sit. Difficile enim est aestimare quanti cujusquam intersit te id facere, quod ei te facturum promisisti, quantum scilicet aut lucri amiserit, aut damni coeperit, quoniam res ejusmodi non in jure, sed in facto consistit. Huïc autem incommodo occurritur subjecta stipulatione poenae. Factum alienum in stipulationem cadere ñon potest, quippe nemo ex contractu alterius obligatur. Spondere tamen quis potest, curaturum se, ut alter quidquam aut faciat, aut non faciat; hac enim stipulatione non tam factum alienum, quam proprium promittitur. Insana esset promissio rei, quae in rerum natura esse non possit, velut si quis promitteret hippocentaurum; bene tamen promittuntur fructus futuri, licet non sint in rerum natura.

Stipulatio, et generatim omnis promissio, fit aut pure, aut in diem, aut sub conditione.

« Pure, veluti, *quinque aureos dare spondes?* idque con« festim peti potest. « Nam ubi promissioni nec dies praestitutus est, nec adjuncta ulla conditio expressa, aut tacita, statim dies est promissi implendi; ex humanitate tamen dilatio aliqua indulgenda.

In diem fit promissio, cum adjicitur dies, quo promissum praestetur; velut si primis calendis Martiis decem aureos quis promittat. Et quidem si tempus certum est, aut

certo extiturum, id quod ad eum diem promittitur, statim quidem debetur, sed peti prius, quam dies venerit, non potest; nihilominus solutum ante tempus, quamvis per errorem, repeti non potest. Quod si tempus adjectum incertum est utrum futurum sit, an non, tum vim habet conditionis, adeoque suspensa manet obligatio.

« Sub conditione promissio fit, cum in aliquem casum « differtur obbligatio; » velut cum promittis sub ea conditione, *si Titius consul factus fuerit*; nam obligatio non contrahitur nisi Titio facto consule. Ex conditionali proinde promissione spes tantum est futurum, ut res debeatur; eaque in haeredem transmittitur, si prius quam conditio exter moriatur is, cui promissum est; tunc enim conditione extante promissor tenebitur erga haeredem ejus, cui promisit.

Si impossibilis conditio obligationi adjiciatur, nihil valet stipulatio, vel promissio; impossibilis autem habetur, cui natura impedimento est, quominus exista.

« Nec valet quod turpi ex causa promissum est: ve« lut si quis homicidium, vel sacrilegium se facturum pro« mittat. »

Atque hic gravis exoritur quaestio, utrum qui de mercede pactus est ob scelus patrandum, teneatur, patrato scelere, pactam mercedem solvere. Non desunt qui putent eum teneri, qui fatentur quidem turpes ejusmodi pactiones ante opus patratum non valere, sed, posita conditione, censent fidem datam praestandam esse, si pretii datio, et acceptio nulla lege prohibeatur, aut irritetur.

Melius tamen sentire videntur qui negant, ex turpi pactione ullam obligationem oriri solvendi, patrato scelere, quod ob id patrandum promissum fuerit. Nam ea obligatio, si quae esse posset, vel ex pactione oriretur, vel ex facto seu scelere patrato. Non ex scelere patrato, quippe flagitio non alia merces debetur quam poena; non ex pactione, quandoquidem jus sive pontificium, sive civile, ex naturali aequitate declarant, turpes ejusmodi pactiones nullam prorsus obligationem inducere. Sic enim Gregorius IX. *cap. ult. de pactis: juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel facto, nullam obligationem inducit.* Jure autem civili, *leg.* 26. *de Verb. obligat: generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti.* Item *leg.* 5. *Cod. de Pactis: Pacta, quae contra leges, constitutionesque,*

vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est. Quod vero ajunt ea jura intelligenda esse de vi obligationis ante patratum scelus, non de fide servanda, postquam scelere patrato conditio extitit, id prorsus commentitium est. Jura de omni pactione turpi *generaliter* sanciunt, nullius eam momenti esse, nec ullam vim habere, aut ullam obligationem inducere. Hac generali sanctione turpibus pactis omnis prorsus detrahitur vis obligandi; quod falsum esset, si pactiones turpes patrato scelere vim obligandi retinerent. Neque suspicari possumus casum patrati sceleris legislatorum prudentiam fugisse; qui proinde si ex patrato scelere obligari promissorem censuissent, non ita generaliter omni vi obligandi pactione turpes exuissent.

Praeterquamquod, si nulla est obligatio ex turpi pacto ante patratum flagitium, quemadmodum ultro adversarii fatentur; qui fieri potest, ut obligatio quae ante non suspensa, sed nulla prorsus erat, ex patrato scelere initium, ac vires acceperit? Accedit, quod plane interest reipublicae, ne improbi unquam existiment se ex improbitate sua quidquam juris quoquo modo consequi posse: quippe si improbis persuasum fuerit, promissorem, qui eos ad improbum facinus proposita mercede pertrahere nititur, nulla postea obligatione teneri promissae mercedis exsolvendae, pronum est minus alacres futuros esse ad obsequendum aliorum impietati. Refelluntur itaque adversarii non solum ex eo quod, ubi jura non distinguunt, ipsi nulla juris auctoritate distinguere non verentur, sed etiam quod interpretatio, quam afferunt, generali juris sanctioni adversetur: tum praeterea quod bonis moribus minus consulere ii videntur, qui firmitatem aliquam pactis turpibus post patratum facinus tribuunt; siquidem bonis moribus repugnat quidquid valet ad alendam malorum audaciam.

Quod insuper ajunt nil obstare, quominus posita conditione turpi obliget se quispiam ad aliquid praestandum; velut si quis dicat homini pauperi: peccatum commisero, promitto me liberalitate mea inopiam tuam sublevaturum. Sed profecto mirum est eos non perspicere, quantum haec duo differant inter se, promittere mercedem sceleris, ac posito scelere promittere quid honestum ad scelus puniendum, expiandumve. Qui putat tribuendam mercedem sceleris, invitat ad scelus, videturque aliquid pretio dignum in scelere po-

nere: altera vero pactio retrahit potius a scelere, ut manifestum est.

De Fidejussoribus.

« Pro eo qui promittit, solent alii obligari, qui fidejus-« sores appellantur: quos homines accipere solent, dum cu-« rant, ut diligentius sibi cautum sit.

Estque adeo fidejussio contractus, quo quis alienam obligationem suscipit, quo casu eam principalis debitor seu reus non praestiterit.

Et quidem in his etiam se fidejussor obligare potest, in quibus obligatio ex delicto nascitur: utique si civiliter agatur, nempe ad praestandum damnum delicto illatum; nam si criminaliter agatur ad corporalem coercitionem, fidejussio inutilis est: neque enim patitur aequitas, ut quam poenam reus delinquens meretur, eam innocens fidejussor perferat.

« Fidejussor non tantum ipse obligatur, sed etiam hae-« redem relinquit obligatum. »

Namque ut haeres in omnia defuncti jura succedit, sic etiam par est, ut in onera succedat.

« Si plures sint fidejussores, quotquot erunt numero, sin-« guli in solidum tenentur. Itaque liberum est creditori, a « quo velit, solidum petere. »

Sed ne contra aequum et fas unus damnum totum subire teneretur, leges ipsae prospexerunt. Primum ex Hadriani epistola compellitur creditor a singulis, qui modo solvendo sunt, litis contestatae tempore, partes petere; quod vocatur beneficium divisionis. Praeterea creditor priusquam fidejussores appellet, tenetur reum principalem convenire, et ejus fafacultates excutere: quod excussionis beneficium dicitur. Demum habent fidejussores beneficium cedendarum actionum, quo beneficio unus ex fidejussoribus, qui totum solvere paratus est, a creditore perit, ut actiones suas sibi cedat, sive adversus alios fidejussores, sive adversus reum principalem.

« Fidejussores ita obligari non possunt, ut plus debeant, « quam debet is, pro quo obligantur. Nam eorum obligatio « accessio est principalis obligationis: nec plus in accessione « potest esse, quam in principali re. At ex diverso ut mi-nus debeant, obligari possunt. »

Si quid autem fidejussor pro reo solverit, ejus recuperandi jus habet; teneturque omnino reus fidejussorem indemnem servare.

De litterarum obligationibus.

Hodie nascitur litterarum obligatio, quoties quis scriptura fatetur mutuam se accepisse pecuniam, quam revera non accepit, nec intra biennium confessionem suam, sub spe futurae numerationis editam, non revocat. Ergo intra hoc tempus qui pecuniam revera non accepit, de non numerata pecunia excipere potest, et (contra quam in ceteris exceptionibus eveniat) is adversus quem ista exceptio proponitur, probare cogitur numeratam fuisse pecuniam. At lapso citra debitoris querelam biennio, querela jure romano evanescit, et debitor obligatus manet. Aliud obtinet in foro; nam lapso biennio adhuc auditur debitor, sed gravatur onere probandi pecuniam sibi non fuisse numeratam.

De obligationibus ex consensu.

« Consensu fiunt obligationes in emptionibus, venditioni-
« bus, locationibus, conductionibus, societatibus, mandatis.
« Ideo autem istis modis obligatio dicitur consensu contrahi
« quia neque scriptura, neque praesentia omnimodo opus
« est: at nec dari quicquam necesse est, ut substantiam ca-
« piat obligatio: sed sufficit, eos, qui negotia gerunt, con-
« sentire; unde inter absentes quoque talia negotia contra-
« huntur, veluti per epistolam, vel per nuntium. Item in his
« contractibus alter alteri obligatur in id, quod alterum al-
« teri ex bono, et aequo praestare oportet: cum alioquin in
« verborum obligationibus alius stipuletur, alius promittat. »

Contractus, in quibus unus stipulatur seu rogat, alter promittit, spectata natura conventionis, aestimationem non admittit; nam certum est ac definitum quod rogandi ac promittendi verbis expressum est, idque adeo stricte praestandum.

De Emptione, et Venditione.

« Emptio, et venditio contrahitur, simul atque de pre-

« tio convenerit: quamvis pretium nondum numeratum « sit. »

Emptio proinde, et venditio solo partium consensu manifestato contrahi potest. Atque hoc quidem satis est, ut referatur ad eum contrahendi modum, qui consensu continetur. Non tamen id obstat, quin is contractus aut per scripturam fieri possit, aut conditio quaedam adjici valeat, cujus eventus sit expectandus, ut emptio et venditio plane consistat.

Porro contractus in scriptis fieri dicitur, non quoties de eo scriptura conficitur, quod plerumque fit probationis tantum gratia, sed tunc cum convenerit, ut in scriptis contraheretur. Tum vero si privata sit scriptura, sufficit instrumentum propria contrahentium manu perscriptum esse, aut si scriptum ab alio, manu eorum confirmatum: si publica, non aliter instrumentum completum intelligitur, quam si a tabellione exceptum, partibus praelectum, atque ab ipsis approbatum fuerit. Et quidem donec aliquid deest ex iis et poenitentiae locus est, et potest emptor, vel venditor, *etiam invito altero*, sine poena recedere ab emptione ac venditione.

« Ita tamen impune eis recedere concedimus, nisi jam « arrharum nomine aliquid fuerit datum: hoc enim subse- « quuto, sive in scriptis, sive sine scriptis, venditio cele- « brata est: is, qui recusat adimplere contractum, siquidem « est emptor, perdit quod dedit: si vero venditor, duplum « restituere compellitur, licet super arrhis nihil expressum « sit. »

Sed quod attinet ad arrhas, multi sentiunt rationem habendam esse consuetudinis, ubi haec vim legis obtinuerit; proinde ubi ei qui arrham dedit, sola ejus jactura licet impune recedere, contrahentium mens et voluntas haec esse censebitur, ut qui arrham dedit, obligatus maneat sub conditione, nisi velit arrham amittere. Ubi vero arrha est argumentum ac symbolum obligationis contractae, tenentur omnino contrahentes susceptam obligationem implere.

« Pretium autem constitui oportet; nam nulla emptio « sine pretio esse potest. Sed et pretium certum esse de- « bet. »

Certum autem pretium censetur non id solum, quod quanti sit, disertis verbis enunciatur; sed etiam quod ex contrahendi

modo, quanti esse debeat, certo definiri potest; velut si quis dicat: *tanti emo, quanti tu emisti*; aut etiam cum sic composito est venditio: *quanti ille aestimaverit*; ut proinde si ille qui nominatus est, pretium definierit, tunc omnino secundum ejus aestimationem persolvendum est, et res tradenda, et venditio ad effectum perducenda.

Sed si ejus, qui nominatus est, arbitrium tam pravum sit, ut manifesta ejus iniquitas appareat, corrigi poterit per judicium bonae fidei.

Quod si etiam ultra dimidium justi pretii laesio intervenerit, remedium e jure petetur ad venditionem rescindendam. Sed licet jus actionem non praebeat adversus laesionem quae infra dimidium justi pretii consistat, minuendarum scilicet litium gratia, ipsa tamen probitas et fides satis monet sarciendum id omnino esse, in quo alius laesus fuerit, non alio expectato quam conscientiae judicio.

« Pretium in numerata pecunia consistere debet. »

Nam cum merx pro merce datur, permutatio fit potius quam emptio et venditio. Ceterum si pretium ab initio in nummis fuerit constitutum, potest venditori, si consentiat, etiam alia res in solutum dari.

Justitia aequalitatem postulat inter pretium et mercem; pretium autem, ubi non sit lege definitum, ex communi aestimatione petendum. Pluris quidem res vendi poterit, si ex venditione quae fit in gratiam emptoris, venditor aliquid incommodi aut detrimenti capiat, quanti scilicet ejus interest. At iniquum augere pretium rei hac de causa, quod emptoris intersit eam habere; nam proprium incommodum justa compensatione sarciri aequum est, non autem ex alterius commodo, quod nobis non noceat, lucrum sibi comparare. Et sane quod res vehementer grata sit vel opportuna emptori, non id facit, ut ea res, quae pretium habet suum ex communi aestimatione, revera pretiosior sit; non ergo pluris venire debet.

Vitia rei tenetur venditor dicere, quae rem aut noxiam, aut inutilem reddant; quod si ex vitio paullo minus tantum apta redditur, debet saltem pretium pro rata minuere.

« Cum autem emptio, et venditio contracta est, pericu-
« lum rei venditae statim ad emptorem pertinet, tametsi
« adhuc ea res emptori tradita non sit ».

Equidem juribus constitutum est, ut dominium nonnisi re

tradita transferatur; adeo ut venditor rei venditae nec dum traditae dominus censeri debeat; aliunde vox est aequitaris naturalis rem suo domino perire: nihilominus non immerito jure sanxerunt, rei venditae nec dum traditae periculum ad emptorem pertinere. Nam quod dicitur, rem suo domino perire, id intelligendum est, nisi qui dominus est, simul sit ejusdem rei debitor. Porro debitor securus est, si res alteri debita, quam penes se nulla culpabili mora detinet: nulla ipsius culpa aut dolo pereat.

Sed quod dicitur, rei venditae periculum statim ad emptorem pertinere, id valet de re quae sit certa, et definita, velut hic grex, hic fundus, hic equus; nam si res sit indefinita quoad corpus, vel individuum, velut si decem oves ex grege; vel si fiat venditio vini, olei ec. Pretio in singulas amphoras, aut metretas constituto, tum res vendita nec tradita perit venditori.

Discriminis ratio manifesta est; nam si una certa ovis venditur, haec statim debetur emptori, eique perit. Sed si una ovis de grege generatim et indefinite venditur, non una potius quam alia debetur; propterea quaecumque singillatim de grege pereat, dici non potest eam esse quae debetur emptori: unde nisi totus grex pereat, venditor semper tenebitur emptori praestare unam ex illis quae supersunt. Earum ergo quae pereunt periculum, ad ipsum pertinet. Siquidem ubi non de corpore, sed de ipso genere pactio intercessit, non perit genus ipsum, tametsi corpora quaedam de illo genere pereant.

« Sed et si post emptionem fundo aliquid per alluvio-
« nem accesserit; ad emptoris commodum pertinet. Nam et
« commodum ejus esse debet, cujus periculum est. »

De Locatione, et Conductione.

Locatio et conductio est contractus, quo res utenda conceditur, vel facienda promittitur, certa mercede constituta. Locator dicitur qui dat aliquid utendum, vel faciendum: conductor, qui aliquid utendum, vel faciendum suscipit. Conductor aedium inquilinus proprie dicitur: conductor agri colonus: conductor operis redemptor: conductor vectigalis publicanus. Pro mercede operas suas locant famuli; pro pre-

tio ad usum locantur equi, ad fructum oves ec. Res immobiles dicuntur locari pro pensione.

Locatoris officia sunt 1. patefacere vitia, quae rem locatam noxiam reddunt, vel inutilem. Qua in re jura nec ignorantiam excusant, quam nimirum ex culpabili negligentia ut plurimum prodire praesumunt: unde illud leg. 9. ff. de Locat.: *Si quis dolia vitiosa ignarus locaverit, deinde vinum effluxerit, tenebitur in id quod interest, nec ignorantia ejus erit excusata.*

2. Praestare sumptus necessarios, ut res locata usui, ob quem locatur, apta fiat; tum onera publica, nisi aliter convenerit, et ideo conductori minus pendendum sit.

3. Pensionem remittere pro tempore, quo conductor nequit uti vel frui re locata propter impedimentum ex locatore, vel re locata proveniens.

4. Si ob sterilitatem, grandinem, hostium depopulationem colonus nil percipiat, tenetur locator totam pensionem remittere. Quia vero unius anni sterilitas quandoque subsequentium annorum ubertate compensatur, pacta fiunt, ut singulis annis rata quadam et velut communi proportione pensio solvatur; qua in re omnibus circumspectis spectandum quid aequitas postulat.

5. Si locator rem locatam vendat, cavere debet, ne conductor detrimentum capiat.

7. Rem non repetere ante tempus constitutum. Cui regulae quatuor de causis excipitur. Si ex improviso eventu locata res jam domino sit necessaria; velut si aedes quas habitat, conflagraverint, aut ineundi conjugii causa ei necesse sit in locatas aedes immigrare: si rem locatam restaurari opus sit: si conductor in mora fuerit pensionis solvendae biennio, seu tempore legibus praescripto: si re locata ad vetitos usus conductor abutatur.

Contra conductoris officia sunt 1. re locata non uti, nisi prout conventione conceditur: 2. in ea conservanda curam adhibere, quam diligentior paterfamilias in rem suam impendere solet, adeoque culpam levem praestare; siquidem de contractu agitur, qui in utriusque partis utilitatem cedit: propterea tenetur etiam ad impensas modicas et necessarias, velut ad alendum equum etc. 3. pensionem statuto tempore solvere, et rem praestito tempore locatori restituere.

Quamvis autem rei locatae periculum penes dominum sit, tamen potest apponi pactum, ut conductor praestet casus fortuitos; sed hoc onus imminutione pretii compensari debet.

Quod attinet ad famulorum mercedem, et generatim eorum qui operas suas locant, haec petenda est ex communi aestimatione; nec adeo locator plus pretio summo, aut conductor minus infimo, praestare debet.

Si qui operam suam locat, ultro se obtulit, conductor nil ejus operae indigens eum charitate inductus conduxerit, victum saltem ei praestare oportebit, et si quid utilitatis ex ea opera capit, mercedem congruam rependere.

Qui operam suam locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quominus operam praestaret. Si vero non praestat ob impedimentum ex ipso proveniens, licet sine culpa, velut ob diuturniorem morbum, merces non debetur: humanitatis tamen ratio habenda.

De Emphyteusi.

Emphyteusis graece, idem ac latine insitio, vel implantatio. Hoc nomine olim placuit appellare contractum, quo agri steriles, ut ad culturam redigerentur, cum modicae pensionis onere in perpetuum, aut in longissimum tempus concedi solebant. De quo contractu etiam dubitatum est, utrum ad venditionem, an ad locationem referendus esset. Sed re penitus considerata placuit eum proprio suo genere contineri, ac proprio nomine designari; cujus proinde haec definitio afferri solet, ut sit contractus, quo res immobilis, velut praedium, aut domus, conceditur quoad dominium utile sub onere solvendae pensionis annuae, quae *Canon* dicitur, idque vel in perpetuum, vel saltem ad longum tempus, quod non minus decennio leges esse voluerunt.

Hoc contractu dominium utile in emphyteutam transire dicitur; atque ob eam rem, quamdiu jus suum perseverat, potest rem illam immobilem hypothecae subjicere, donare, permutare, ac etiam vendere, hac tamen lege, si antea dominum directum monuerit, an ipse malit eodem pretio redimere. Domino porro per duos menses tacente, factaque venditione, ipsi domino solvi debet quinquagesima pars pretii, quae a laudando, seu approbando, vocatur laudemium.

Praestatio porro pensionis argumentum est dominii directi apud dominum manentis. Quo fit ut si emphyteuta toto triennio pensionem solvere cessaverit, aut etiam biennio in emphyteusi ecclesiastica, jus suum ei adimi valeat.

Si nihil de periculo rei fuerit pactum, tunc, siquidem tota res interierit, periculum pertinet ad dominum directum; si pars tantum, damnum erit emphyteutae; nihilominus adhuc integra pensio solvenda erit; quippe quia non pro fructuum modo, sed in argumentum reservati dominii modicus tantum canon solvitur.

Tenetur porro emphyteuticarius, seu emphateuta, rem fructosiorem, aut saltem non deteriorem reddere.

De Feudo.

Feudum est concessio (vel contractus) quo res immobilis quoad dominium alteri conceditur pro fidelitate, et obsequio personali, quod vassallus domino exhibere debet. Feudum objective sumptum est illud ipsum jus utile, vel res immobilis concessa.

Qui Feudum concedit, dicitur dominus directus; qui accipit, feudatarius, et vassallus. Hic a domino directo debet investiri.

Si Feudum conceditur a principe cum titulo dignitatis, dicitur Feudum nobile: Ecclesiasticum, si ab Ecclesia; laicum, si a laico. Si transit ad haeredes etiam extraneos, dicitur haereditarium; si ad solos liberos, gentilitium; si ad solos masculos, masculinum.

Feudo opponitur *Alandium*, quod est bonum immobile, ita proprium sui possessoris, ut nullum alium agnoscat dominum directum, proindeque ad nil tenetur, nisi ad tributa.

Feudatarius tenetur 1. praestare juramentum fidelitatis domino directo, et obsequia suo tempore requisita. 2. non disponere alienando de re feudali per alium contractum sine consensu domini directi. 3. quivis ejus successor etiam haeres tenetur praestare homagium, seu juramentum fidelitatis, et petere *investituram* renovandam, quoties domino directo mortuo alius succedit.

De Censu.

Commutatione morum, ac temporum novae quoque contrahendarum rerum rationes invectae sunt, veteribus ignotae. Ejus generis censeri possunt nonnulli contractus, qui *census* nomine designantur, verbo in alienam significationem deducto; quippe census apud Romanos solemnis quaedam descriptio dicta est, tum etiam bonorum aestimatio, vel ipsa praedia aestimata.

Census porro quatenus contractum significat, alius didactico sermone *reservativus*, alius *consignativus*, alius *vitalitius* dicitur.

Primus est contractus, quo quis plenum rei fructiferae dominium alteri tradit, reservato sibi jure certae pensionis ex ea re percipiendae. Ad hanc speciem pertinent census, qui *domenicalis* dicuntur, qui dynastis, seu dominis debentur, eo quod translata fundorum proprietate aliquam sibi pensionem ex iis percipiendam, in concessionis veluti testificationem sibi reservaverint. Neque in hoc censu quidquam est, quod pugnet cum naturali aequitate.

Census, qui dicitur *consignativus*, est contractus, quo certo pretio jus emitur percipiendae pensionis ex re, vel persona, quatenus frugifera. Qui pretium recipit, et pensionem debet, venditor est, diciturque censuarius; qui autem pecuniam numerat, emptor est, diciturque censualista.

Ex allata definitione duplex distinguitur census consignativus. Alius scilicet est *realis*, qui constituitur in re frugifera, velut praedio, domo; eamdemque perpetuo comitatur, adeo ut ad quemcumque transit, simul et transeat onus solvendae pensionis, donec redimatur: ipsa autem re extincta simul et census extinguatur. Licitum esse hujusmodi contractum omnes consentiunt, modo pensio non excedat pretium legibus constitutum.

Alius est census *personalis*, qui constituitur in persona, cujus industria utilitatem aliquam et fructum afferat. Certum est ejusmodi contractum illicitum esse, ubicumque viget Bulla Pii V. *Cum onus*; in qua pontifex statuit, censum constitui nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quae pro immobili habeatur, de sua natura frugifera. Verum doctores nec pauci, nec ignobiles, censent eum contractum licite peragi

quibus in locis Bulla Pii V. recepta non est, utpote quem putant nil praeseferre, quod per se juri naturali adversetur. Facile tamen evenire potest, ut usurae labes in eum contractum irrepat.

Licet porro venditori, seu censuario censum, cum volet, redimere, pecunia emptori reddita.

Census *ad vitam* est emptio juris ad pensionem, ea conditione, ut post mortem censualistae sors maneat censuario; ideoque involvit contractum sortis, quo contrahentes committunt se periculo damni, et spei lucri. In hoc constituendo spectatur aetas, valetudo personae, cum qua contrahitur. Sed ejusmodi contractus, qui magnam facultatem praebent vitae cum otio, et sine industria degendae, non sunt admodum ex utilitate reipublicae.

De Societate.

Societas definitur contractus, quo inter aliquos res, aut operae communicantur lucri in commune faciendi gratia.

Ad licitam societatem conditiones nonnullae requiruntur 1. Ut societas in honesto aliquo negotiationis genere versetur. 2. Ut singuli socii aliquid utile conferant, sive merces, sive pecuniam, sive industriam, sive animalia, et instrumenta, velut equos, navem etc. 3. Ut lucrum inter socios dividatur pro rata portione ejus, quod quisque contulit; alioquin non servaretur aequalitas. 4. Ut impensae, damnum et periculum sint communia. 5. Ut si res pereat, vel pecunia collata citra culpam latam, aut levem socii, pereat ei qui contulit, quandoquidem ejus dominium retinet.

Societas sane ita coiri non potest, ut unus lucrum tantum, alter damnum sentiat; quae societatis ratio leonina veteribus dicta, est, appellatione ducta ab Aesopi fabulis.

Verum, ut Justinianus refert « de illa conventione quaesitum est, si Titius, et Sejus, inter se pacti sint; ut ad « Titium lucri duae partes pertineant, damni tertia: ad Sejum duae partes damni, lucri tertia: an rata debeat haberi conventio? Quintus Mutius contra naturam societatis « talem pactionem esse existimavit, et ob id non esse ratam habendam. Servius Sulpitius, cujus sententia praevaluit, contra sensit: quia saepe quorumdam ita pretiosa est « opera in societate, ut eos justum sit conditione meliori in « societatem admitti. »

At vero recte animadvertit Vinnius, hac Sulpicii exceptione non tam improbari sententiam Mutii, quam temperari, seu verius explicari. Nam si cujus opera in societate valde pretiosa est, aequum est sane, ut pro rata aestimationis ejus operae ampliorem commodi partem sentiat, nec tamen ille pecuniae ab alio collatae damnum pariter subeat; secus plus damni pateretur; utpote qui et propriae industriae, et alienae pecuniae damnum subiret.

De Contractu trino.

Contractus, qui dicitur trinus, peragitur in hunc modum. 1. Initur contractus societatis, quo Titius confert pecuniam suam ad negotiationem cum communione lucri, et damni. 2. Si sit spes lucrandi, ex gr. triginta aureos ex centum, Titius ex quindecim aureis, qui sibi pro parte sua obvenirent, quinque cedit socio, ut suscipiat periculum sortis principalis. Isque est secundus contractus, qui dicitur assecurationis sortis principalis; qui contractus per se se licitus est. Hoc inito contractu ex triginta aureis lucri qui sperantur, quique vi solius societatis aequaliter dividi debuissent inter socium negotiatorem, et Titium, qui pecuniam contulit, viginti pertinebunt ad socium, decem dumtaxat ad Titium. Verum hoc lucrum tametsi speratum, et revera probabile, non omnino certum est. Hinc emergit tertius contractus, quo Titius vendit spem lucri majoris incerti, pro lucro minore certo idest vendit spem decem aureorum pro quinque certo solvendis. Hoc pacto Titius, qui centum aureos contulit, obtinet, ut hi centum aurei quocumque eventu reddi sibi debeant, et interea ex his centum aureis quinque annuatim percipit.

De hoc trino contractu acriter disputatum est utrum liceret, nec ne. Non defuerunt qui cum negotiatore licitum putarent, quia tres illi contractus seorsum spectati, nimirum 1. Societatis, 2. Assecurationis sortis principalis, 3. Venditionis lucri majoris incerti pro minore certo, sunt natura sua liciti. Contra plerique, et quidem praestantiores theologi, licitum negarunt; quia contractus isti cum una, eademque persona initi, scilicet contractus assecurationis, et venditionis, accedentes, ad contractum societatis, ipsum prorsus perimunt contractum societatis, ad cujus substantiam pertinet commu-

nio lucri, et damni, sicque reverta in mutuum desinunt. Quippe perfecto trino contractu idem obtinetur, ac si Titius mutuam alteri pecuniam dedisset, sibi stato tempore restituendam, cum onere foenoris solvendi, in quo usura est, quoties lucrum vi mutui percipitur. Benedictus XIV tradit rem nondum expresse definitam a sede apostolica, simul tamen multo satius ac tutius esse ab ejusmodi contractu abstinere, utpote qui usurae periculo non vacat.

De Mandato.

Mandatum est contractus, quod aliquid gratuito gerendum committitur, atque suscipitur. Dicitur *gratuito*, quia mercede interveniente est locatio conductio.

Mandatum esse non potest nisi de re licita. Et quidem re integra solvitur morte mandantis.

Mandatarius tenetur 1. alterius negotium diligenter gerere tamquam proprium. 2. Susceptum negotium conficere: quippe suscipere voluntatis, consummare necessitatis. Tenetur de culpa lata, si mandatum sit in gratiam solius mandantis, de culpa levi, si in gratiam utriusque, aut ille sese obtulerit; de levissima, si exquisitissima diligentia aut ex promissione, aut ex rei natura debetur. 3. Fines mandati transire non debet; unde non potest nec pluris emere, nec minoris vendere, quam ei praescriptum sit. 4. Nec mercedem exigere, nisi haec pacta, conventaque fuerit; quo casu non mandatum erit, quod gratuitum est officium, sed locatio et conductio; multo minus operam suam occulte compensare.

Mandans vero tenetur erga mandatarium de sumptibus, quos ad negotium utiliter gerendum impedit.

De Ludo, Sponsione, Sortitione.

Ludus dupliciter dicitur, vel ut adhibetur ad oblectactionem animi, vel ut est contractus.

Finis ludi est conveniens recreatio ed levationem animi laboribus defatigati, ut deinceps aptior, et promptior sustinendis laboribus efficiatur; quemadmodum per somnum corporis vires reficiuntur. Oportet autem 1. ludum in eo genere versari, quod nulla sit lege prohibitum. 2. Ut congruat personae, tempori, et loco. Sic quaedam concilia vetant, ne

clerici pila, vel aliis ludis publice ludant, maxime cum laicis. 3. Ut nec saepius, nec diutius quis ludo incumbat, quam opus sit ad levationem animi. Necessitas enim naturae mensura est ludi, sicut et cibi, et potus, et sommi. Parum autem de delectatione sufficit ad vitam, quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo, ait Aristoteles a S. Thoma laudatus.

Sub alia vero significatione ludus est contractus, quo lusores inter se pasciscuntur, ut victori cedat quod in lude exponitur. Jure naturae ludus, servatis debitis conditionibus, licitus est: sicut enim licet rem suam alteri pure donare, ita et dare sub conditione ludo apposita.

Conditiones autem requisitae sunt: 1. ut. ut in contractu ludi ea serventur, quae de ludo dicta sunt, ut ad oblectationem animi referatur; quippe ludus, ut contractus, non alium finem habere debet. 2. Ut summa, quae ludo exponitur, modica sit spectata conditione, ac facultate lusorum, nec major sit, quam opus est, ne ludus omnino langueat. 3. Ut lusores liberam habeant dispositionem pecuniae quam exponunt, et aliunde habeant, unde familiam alant, debita solvant, eleemosinas erogent ceterisque officiis satisfaciant. 4. Ut non principaliter ludatur lucri gratia. Nam lucrum nonnisi ad honestam sui, familiaeque sustentationem quaerendum est, idque petendum ex labore, opera, vel industria, quae aliquid utilitatis ad commune societatis bonum conferat. 5. Ut absit omnis fraus et injura, 6. Ut sit moralis aequalitas in spe lucrandi, et periculo perdendi.

Jure naturali, ac divino prohibentur ludi omnes, qui aut turpes sunt, aut proximam occasionem peccandi, vel scandalum praebent.

Jure humano tam civili, quam canonico prohibetur ludus aleae saltem frequentior. Et quamquam jure naturae per se se ludus aleae non sit illicitus, tamen leges ipsum prohibere potuerunt ob ingentia mala, quae ex ludi abusu invehuntur. Quare probatissimi doctores a gravi culpa excusare non audent eos, qui aleae deserviunt.

Leg. 1. C. *de Aleator.* conceditur victo, et ejus haeredibus jus repetendi in judicio quod solvit. Hinc porro quaeritur, an qui ludo vetito lucratus est, teneatur lucrum restituere, vel qui perdidit, solvere.

Plures, quod attinet ad conscientiam, jus illud commu-

ne sic interpretantur. 1. Si agitur de summa non magni momenti, putant ex consuetudine et solvendam esse, et tuto retineri posse. 2. Si de majore summa, eam quoque, si soluta fuerit, retineri posse, quousque qui lucratus est, judicis sententia restituere cogatur. 3. Qui valide pariter lusit, et perdidit, non posse quod solvit compensatione occulta recipere nec repetere, nisi per sententiam judicis. 4. Nec eundem posse, nisi per sententiam judicis, solvendi onere liberari: quippe leges non concedunt jus repetendi solutum, nisi in judicio; proindeque et ipsum jus non solvendi non acquiritur nisi per sententiam judicis.

Notant autem, quod bene est animadvertendum, id valere jure communi, seclusa omni speciali lege, quae irritet omnem etiam naturalem obligationem solvendi debita ludo contracta, omnemque inde factam acquisitionem irritet ipso facto ac prohibeat. Quare docent hac in re standum maxime legibus locorum.

Sponsio est contractus, quo duo vel plures de veritate alicujus rei contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut sit ejus, qui veritatem fuerit assecutus.

Ut hic contractus justus sit, necesse est eventum, de quo contenditur, incertam esse utrique contrahenti; alioquin jam non esset aequalitas in spe, et periculo, quae ad justitiam sponsionis requiritur; quippe sponsio contractus est, quo veluti emitur spes lucrandi periculi perdendi.

Hinc (ut plurimi et probatissimi existimant) si quis certus de rei veritate, vel eventu aliquid sponsiones lucratus est, tenetur id restituere, etiam si alium monuisset, et hic nihilominus contendere voluisset. Quia hic revera donare non intendit, sed spondere, quia putat revera rem incertam esse, et falli eum. qui certum se arbitratur; et ideo diligenter postea veritatem inquirit. Cum autem sponsione ematur, et vendatur spes lucrandi periculo amittendi, velut merx pretio, si nullum sit periculum perdendi, non consistet aequalitas; sicut nulla est emptio gemmae falsae pro vera, etiamsi amens monitus fuisset falsam esse, et credere noluisset.

Non tamen repugnat, ut is qui monetur, intendat revera donare cum adjecta conditione, si alter verum enunciat; tumque sponsio migraret in alium contractum, et impleta conditione pactum lucrum alter retinere posset.

Est et aliud ludi genus, quod fit per sortitionem schedu-

larum, *Loterie*: quippe conjectis in urnam, seu fortunae veluti rotam, schedulis partim inanibus, partim aliquid pretii continentibus, cuivis permittitur tot schedulas extrahere, quot nummos ver. gr. numeravit. De hoc ludi genere dubitarut pauci, num liceret, propter divisoriam sortem quae in eo adhibetur. Sed ut notant alii ex D. Thoma, sors divisoria non videtur habere nisi forte vitium vanitatis, cum scilicet a fortuna expectatur; hoc autem vitium tollitur, quoties adest justa sortis adhibendae ratio.

Hic porro contractus etiam ad emptionem revocari posse videtur. Siquidem spectatis rebus, quae schedulis continentur pecunia solvenda justum pretium aestimatur, quo ematur jus schedulae extrahendae, cum spe aliquid consequendi. Sed illud curandum, ut justa sit pretii taxatio, spectato scilicet valore rerum quae exponuntur et numero schedularum; deinde ut fraus omnis amoveatur. Quo posito, licitum esse contractum hujusmodi nulla est ratio dubitandi, maxime cum ad utilitatem publicam adhibetur.

De obligationibus, quae ex quasi contractu nascuntur.

Quinque loca sunt, e quibus obligationes ex quasi contractu nascuntur.

I. Negotiorum gestio, cum quis sine mandato gerenda suscipit negotia hominis vel absentis, vel ignorantis; nam ex hac suscepta gestione non minor diligentis curae obligatio enascitur, quam si quis palam contraxisset. Ex quo facile intelligitur quid sit ex quasi contractu obligari. Inde autem duplex actio nascitur; una directa ei competens, cujus negotia gesta sunt, adversus eum qui gessit, ut totius rei gestae rationem reddat: altera contraria, quae gestori datur adversus dominum, ut indemnem praestet eum, qui rem utiliter gessit: idque utilitatis causa receptum est, ne absentium, qui subita festinatione coacti, nulli demandata suorum negotiorum administratione, peregre profecti essent, desererentur negotia; quae sane nemo curaturus esset, si de eo quod quis impendisset, nullam habiturus esset actionem. Qui vero sponte alterius absentis negotia gerenda suscepit, ad exactissimam diligentiam se obligavit, teneturque adeo de culpa levissima, non secus ac depositarius, qui ultro se deposito obtulit.

II. Tutelae administratio: e qua sine contractu expresso mutua oritur inter tutorem et pupillum obligatio. Pupillus cum tutore directam habet tutelae actionem. Tutor cum pupillo contrariam habet, si vel impenderit aliquid in rem pupilli, vel pro eo fuerit obligatus, aut rem suam creditoribus ejus obligaverit. Tutor non tenetur de culpa levissima, a qua eum muneris necessitas excusat, sed favore pupillorum receptum est, ut levi teneatur.

III. Si res multorum sit communis sinè societate prius inita, velut si ea res illis donata sit, vel legata, hi quasi inter se contraxisse reputantur. Hincque oritur actio, quae communi dividundo dicitur, per quam unus adversus alterum petit, ut res communis dividatur. Eadem est ratio haereditatis communis, quae inter plures erciscenda, seu dividenda est; nam singulis haeredibus adversus cohaeredes datur actio familiae erciscundae ad divisionem haereditatis.

IV. Haeres quoque ex quasi contractu obligatur legatariis; creditoribus vero facto ipsius defuncti.

V. Indebiti solutio; nam qui indebite solutum accepit, quasi ex contractu debere videtur.

Quibus modis tollitur obligatio.

Obligationes tolluntur praecipue solutione, acceptilatione, novatione, consensu.

1. Solutione, seu praestatione rei, quae debebatur.

2. Acceptilatione, per quam orta ex stipulatione obligatio contraria verborum interrogatione, ac responsione tollitur: ver. gr., *quod ego tibi stipulatus promisi, habes ne acceptum, perinde ac si solutum esset? Acceptum habeo.* Igitur acceptilatio est imaginaria quaedam solutio. Haec tamen ad juris civilis subtilitatem pertinent: naturali autem, et canonico jure non attenditur ad ejusmodi verborum solemnitatem.

3. Novatione, quae dicitur prioris debiti in aliam obligationem conversio, quae fit per stipulationem novandi animo. Hunc novatio producit effectum, ut prior obligatio cum omnibus accessoriis perimatur, utque non amplius quaerendum sit de mora, de poena priori obligationi adjecta, de usuris, fidejussoribus, pignoribus etc.; nisi in novatione fidejussores, et pignora fuerint repetita, quod facere tutissimum

est, ut in causa concursus creditor ordinis, et temporis praerogativa fruatur.

4. Obligationes, quae consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur, dummodo integra ire dissentiant contrahentes; unius vero voluntas non sufficit, ut a contractu recedatur.

LIBER IV.

De obligationibus, quae ex delicto nascuntur.

Privata delicta sunt, quae privatis directe, ac principaliter nocent. Praeter rationem, quae ad vindictam publicam pertinet, ex his delictis actiones enascuntur adversus delinquentem ad consequendum quod sibi abest. Istae autem nascuntur ex furto, ex rapina, ex damno, et injuria.

De Furto.

« Furtum est contrectatio fraudolosa, lucri faciendi gra-
« tia, vel ipsius, vel etiam usus ejus, possessionisve: quod
« lege naturali prohibitum est admittere. »

Dicitur *contrectatio*, quo intelligitur furtum in mobilibus tantum, non in immobilibus locum habere.

Dicitur *fraudolosa*, quia sine fraude, idest sine animo injuste quidquam occupandi, non fit furtum. Hinc qui per lasciviam oves ad fugam impellunt, januas infringunt, furti non tenentur, licet actione in factum valeant conveniri.

Fit autem furtum, sive contrectetur res ipsa, sive usus, reique possessio; ut exemplum est in creditore, depositario, et commodatario; nam si hi, invito domino, re pignorata, deposita, commodata utuntur, furti rei habentur. Dicitur autem, *invito domino*; quia si putarent dominum consentire, furtum non committerent, quia fraus abesset: si vero putarent dominum invitum, et invitus non esset, tum licet iniqua voluntate se gererent, tamen neque furtum diceretur, quia damnum abesset.

Hinc evenire potest, ut quis furti reus fiat rei suae ac propriae contrectatione, quoties nimirum jus intercipit quod

alter habet in ea re: ut exemplum est in eo, qui rem creditori oppignoratam surripit.

Fur alius est manifestus, alius non manifestus. Manifestus qui deprehenditur in furto, aut cum re furtiva, antequam eam ad designatum locum perferre potuerit: immo sufficit ad furem comprehendendum fieri populi concursum, quia licet rem abjecerit, aufugeritque, fur adhuc manifestus censebitur. Hinc intelligi potest qui sit fur non manifestus. Jure Romano fur non manifestus dupli, manifestus quadrupli poena tenetur.

Furtum etiam dividitur in diurnum, vel nocturnum: domesticum, vel non domesticum: simplex, vel qualificatum.

Percensenda quoque sunt specialia quaedam facta pro conditione rei distincta.

1. Concussio, scilicet terror injectus, pecuniae, aut alterius rei extorquendae causa, sub specie potestatis, simulato magistratus jussu. Sed et aliis modis fieri potest.

2. Receptatores, qui fures, et latrones scienter recipiunt, occultat.

3. Effractores, qui furandi causa aedes, januas, et horrea infringunt.

4. Expilatores, qui villas, aut alienas aedes diripiunt, aut vestimenta hominibus rapiunt.

5. Grassatores, et latrones. Latrones dicuntur, qui non tam res, quam hominis vitam auferre conantur. Grassatores qui praedae causa urbis vicos, aut vias obsident.

6. Abigeatus committitur ab his, qui pecora ex pascuis abducunt.

De vi bonorum raptorum.

Fur simplex est, qui sine vi subtrahit, et clam aufert. Qui vi rapit, rapinam committit. Est proinde rapina violenta rei mobilis ablatio dolo malo facta, lucri faciendi animo.

Rerum mobilium ablatio, proprie rapina, immobilium invasio vocatur.

Si quis vi rapit rem, quam suam esse, aut sibi deberi

existimet, placuit eum nec raptorem esse, nec furem, sed excidere omni jure, quod in eam rem habebat.

Rapinae poena intra annum, quadrupli; post annum, simplici.

De damno injuria dato, seu de Lege Aquilia.

Damnum hoc loco accipitur in specie, quoties aliena res perimitur, aut corrumpitur sine lucro damnum dantis: injuriae autem vox non ad contumeliam, sed ad id quod non jure fit, refertur, damnum hujusmodi vindicat lex Aquilia, seu plebiscitum ab Aquilio Tribuno plebis latum.

Hujus legis tria fuere capita, primum est hujusmodi: « Si « quis alienum hominem, alienamve quadrupedem, quae pe- « cudum numero est, injuria occiderit, quanti ea res in eo « anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur. Dici- « tur autem is injuria occidere, qui nullo jure occidit. Ita- « que qui latronem insidiatorem occiderit, actione injuria- « rum non tenetur; utique si alter periculum effugere non potest.

« Neque hac lege tenetur, qui casu uccidit: si modo « culpa ejus nulla inveniatur, puta si quis dum jaculis lu- « dit, vel exercitatur, transeuntem servum tuum trajecerit, « distinguitur. Nam si id a milite in eo campo, ubi solitum « est exercitari, admissum est, nulla culpa ejus intelligitur: « si alius tale quid admiserit, culpae reus est. Item si pu- « tator ex arbore dejecto ramo servum tuum transeuntem « occiderit, si prope viam publicam aut vicinalem id factum « est, neque proclamavit, ut casus evitari posset, reus cul- « pae est: sed si proclamavit, nec ille curavit praecavere, « extra culpam est putator. Aeque extra culpam esse intel- « ligitur, si seorsum a via, vel in medio fundo caedebat, « licet non proclamavit, quia in eo loco nulli extraneo jus « fuerat versandi. »

« Praeterea si medicus, qui servum tuum secuit, dereli- « querit curationem ejus, et ob id mortuus fuerit servus, « culpae reus erit.

« Imperitia quoque culpae adnumeratur: velut si medi-

« cus ideo servuum tuum occiderit, quia male eum secuerit,
« aut perperam ei medicamentum dederit. »

« Impetu quoque mularum, quas mulio propter imperitiam retinere non potuit, si servus tuus oppressus fuerit, culpae reus est mulio. Sed et si propter infirmitatem eas retinere non potuerit, quum alius firmior eas retinere potuisset, aeque culpae tenetur. Eadem placuerunt de eo quoque, qui cum equo veheretur, impetum ejus aut propter infirmitatem, aut propter impertitiam suam, retinere non potuerit.

Alterum caput legis Aquiliae, tempore Justiniani, jam in usu esse desierat, nec amplius extat.

Tertio capite de omni cetero damno cavetur; ut si quis vel servum, vel pecudem alterius vulneraverit, vel vinum ipsius corruperit, aut aliquid fregerit, tantum domino dare tenetur, quanti ea res plurimi valuerit, intra triginta dies retro computandos.

De Injuriis.

Injuria generatim accipitur pro eo omni, quod non jure fit. Hic speciatim accipitur pro contumelia, comprehenditque quidquid fit in alterius comtemptum, vel infamiam.

Fit autem injuria vel re, vel verbis, vel scriptis. Re, cum quis alterum pulsat, aut verberat, aut ejus vestimenta scindit, aut domum vi ingreditur, aut matremfamilias, vel virginem frequenter adsectatur. Verbis, cum convicium alteri datur, vel cum calumniose et injuste fama ejus laeditur. Scriptura, cum libellus famosus in aliquem editur etc.

Patitur autem quis injuriam non solum per semetipsum, sed etiam per uxorem, per liberos et servos, et per eos omnes, quibuscum est vel consanguinitate, vel affinitate conjunctus.

Legibus decemviralibus poena injuriarum propter membrum ruptum erat talio; sed jure novo poena est arbitraria, et gravius vel minus punitur, prout major, vel minor fuerit injuria, cujus aestimatio fit ex causa, persona, loco, tempore, quantitate, qualitate, et eventu.

Injuriae nomine agi potest vel civiliter ad consequendam

aestimationem injuriae, vel criminaliter, ut reus plectatur. In actoris ergo arbitrio est civili, aut criminali judicio contendere. Sed una electa via, regredi ad alteram non poterit, quia ad eundem finem, idest ad vindictam utraque dirigitur.

Extinguitur autem actio injuriarum 1. Morte actoris, et rei, si lite non contestata contingat. 2. Remissione sive expressa, cum de injuria pactum vel transactum est; sive tacita, quae ex silentio diuturniore colligitur. 3. Dissimulatione, si injuriam passus eam ad animum suum non revocaverit 4. Reconciliatione, et amicitiae renovatione, quae ex affabili conversatione, et familiaritate, non ex simplici salutatione colligitur. 5. Denique satisfactione.

De extraordinariis quibusdam delictis.

Extraordinaria dicuntur, quibus ut plurimum poena legibus non est constituta, aut saltem non ita constituta, ut non eam judex pro circumstantiarum varietate valeat vel augere, vel minuere. Nonnulla tantum memorabimus.

Collegia illicita, qualia sunt quae a privatis sine principis auctoritate instituuntur. Haec si nec seditionis causa, nec in reipublicae damnum sint instituta, solummodo dissolvuntur: aliter domus, in qua fit convocatio, publicatur, ut qui collegio adscripti sunt, lege Julia majestatis, de vi pubblica tenentur.

Circulatores, qui serpentes, aliaque fera et noxia animalia circumferunt, et proponunt. Circumforanei, qui falso medicos se esse profitentur, quique nocitura potius quam profutura pharmaca vendunt: in hos omne, si damnum dederint, pro modo admissi actio datur.

Dardanarii, sic appellati a Dardano quodam improbissimo, qui coemptas merces supprimentes, vel corrumpentes, falsisve mensuris utentes, annonam vexant, flagellant, uno verbo cariorem efficiunt. Ne id contingeret, personae quaedam apud Romanos eligebantur, quibus venalium rerum cura committebatur, qui propterea episcopi, seu inspectores aut speculatores vocabantur. Diversimode pro admissi qualitate Dardanarii plectuntur; si negotiatores sint, deinceps negotiari probibentur, aliquando relegantur, et humiliores ad publicum opus damnantur.

Qui alterius instrumenta adversario produnt.

Mendicantes validi; nam invalidis omnino subveniendum Justinianus constituit, mendicantes validos, si servi sint, prioribus dominis vel possessoribus esse restituendos: si liberi, siquidem ejus urbis sint, in qua victum ostiatim quaerunt. operibus publicis addicendos, si detrectent, ab urbe expellendos: sin alterius provinciae sint, ad eas provincias, unde originem traxerunt, dimittendos esse.

Denique crimen stellionatus, quod ita dictum putant a stellione animali versutissimo, variique coloris; eo crimine comprehenditur omnis fallacia, dissimulatio etc., proprii criminis nomine carens, in alterius fraudem, damnumque adhibita; velut si quis in pignore aes pro auro subjiciat, aut rem alicui oppigneratam, alii obliget etc. Stellionatus actio neque publicis judiciis, neque privatis actionibus continetur, neque famosa est actio, sed coercitionem dumtaxat extraordinariam habet.

De noxalibus actionibus.

« Ex maleficiis servorum: veluti si furtum fecerint; aut « bona rapuerint, aut damnum dederint, aut injuriam com- « miserint: noxales actiones proditae sunt, quibus domino da- « mnato permittitur aut litis aestimationem sufferre, aut « ipsum hominem noxae dedere.

« Noxa autem est ipsum corpus, quod nocuit, idest ser- « vus; noxia ipsum maleficium, veluti furtum, damnum, « rapina, injuria. »

Verum noxae vocabulum aliquando etiam usurpatur pro maleficio, interdum pro poena, ut cum dicitur noxae, vel in noxam, vel ad noxam dedere: tum etiam pro damno, ut cum dicitur servus noxam dedisse.

Legibus XII. Tabularum prospectum fuit, ut si quadrupes aliena pauperiem fecisset, idest damnum intulisset, noxalia in dominum actio daretur. Quod de quadrupede dicitur, de aliis etiam animantibus intelligitur, his exceptis, quae nativam feritatem habent. Nam baec, licet damnum dederint, noxalia actio cessat. Sed aedilitio edicto provisum est, ne fera animalia ibi habere liceat, qua vulgo iter fit; quae si habeantur, et libero homini nocuerint, aequo judicis arbitrio erga ipsum condemnabitur dominus: pro ceteris vero re-

bus, quantum damnum datum erit, in duplum dominus convenientur.

De obligationibus, quae ex quasi delicto nascuntur.

Quasi delictum vocatur quod non dolo et intentione agentis, sed per ignorantiam, vel imprudentiam admittitur. Hujus quatuor species enumerantur a Justiniano.

Prima, cum judex per imprudentiam male judicando litem suam facit; idest cum ejus quem male absolvit, causam in se suscipere, et contra ipsius adversarium defendere cogitur; adeo ut ex judice reus evadat. Lata igitur iniqua sententia, si id dolo factum sit, ex vero delicto damnatur judex, patiturque existimationis, et famae dispendium. Si per imprudentiam, ex quasi delicto tenetur damnum reficere in id, quod alteri judici aequum videbitur. Sed nunc sublata est haec poena, et appellationis remedio iniquitas sententiae corrigitur.

Secunda de dejectis et effusis ad eos pertinet, qui a caenaculo proprio, conducto, aut in quo gratuito habitant, aliquid dejiciunt, effundunt, quo transeuntibus damnum infertur. Sed oportet dejectum, effusumque aliquid esse non in secreto loco, sed eo quo vulgo fit iter, quin referat publicus locus sit, an privatus; cum publice intersit loca, per quae ire, et redire homines solent, esse tutissima. Ideo ex quasi maleficio nascitur obligatio, quia habitatores plerumque ob aliorum factum, culpamve tenentur, quoniam non prospexisse creduntur, quod prospicere debebant, ne quid a domesticis et familiaribus dejiceretur, effunderetur. Si plures in eodem coenaculo, ex quo dejectum, effusum est, inhabitent; ignoretur autem a quo id factum sit, in quemvis haec actio in solidum dabitur. Sed si cum uno fuerit actum, ceteri liberabuntur.

Tertia refertur ad illos, qui eo loco, per quem vulgo fit iter, aliquid positum habent, aut suspensum, cujus casus praetereuntibus, aut in eo loco manentibus, damnum possit afferre. Adversus eum, qui posuit suspenditque, sive aedium dominus sit, sive inquilinus, etiamsi nemini nocitum sit, popularis in factum actio competit, ut decem aureorum praestatione mulctetur. Popularis autem dicitur actio, quae cuivis e populo conceditur.

Quarta « exercitor navis; aut cauponae, aut stabuli, de « dolo, aut furto, quod in navi, aut caupona, aut stabulo « factum erit, quasi ex maleficio teneri videtur: si modo « ipsius nullum est maleficium, sed alicujus eorum, quorum « opèra navem, aut cauponam, aut stabulum exercet. » Nam aliquatenus culpae reus est, quod malorum hominum opera uteretur. In his casibus actio in factum competit, quae poenalis est in duplum. Haec actio transit ad haeredem, utpote qui defuncti juribus succedit; non autem adversus haeredem, quod quidem commune est omnium actionum poenalium; neque enim aequum est haeredem ex delicto defuncti minime locupletatum, poenam ab eo debitam sustinere.

Si quid autem factum sit a vectoribus, aut viatoribus, quorum opera exercitor non utitur, haec actio locum non habet, sed de recepto, quae est ex contractu; daturque in id, quanti res est, quae salva non restituitur.

De Judiciis generatim.

Judicium est legitima causae controversae actorem inter, et reum disceptatio, et a judice competente facta decisio.

Quare in omni judicio tres omnino intervenire debent, actor, qui reum convenit, seu in jus vocat; reus, qui convenitur; et judex, qui de causa cognoscit.

Ratione judicantis judicium aliud est saeculare, aliud ecclesiasticum, aliud mixtum. Saeculare a laico judice de re temporali ad ejus jurisdictionem pertinente exercetur: Ecclesiasticum ab ecclesiastico judice de rebus spiritualibus exercetur: tertium, quod sive ab ecclesiastico, sive a laico judice explicari potest, et quum ad utriusque cognitionem causa pertineat; praeventioni fit locus.

Ratione actionis judicium aliud civile, aliud criminale. Civile aliud possessorium, aliud petitorium.

Ratione modi aliud ordinarium, aliud summarium. Ordinarium est, in quo solemnis ordo juris accurate servatur: summarium, quo remotis ambagibus, de plano, ut ajunt, causa dijudicatur. Hoc modo expediuntur nonnulla causarum genera, quas boni publici interest magna celeritate finiri.

De ordine Judiciorum.

Judiciorum ordo incipit a citatione, seu a vocatione in jus. Reo porro causa significatur, cur in jus vocetur, eique datur tempus ad deliberandum, cedere an contendere malit.

Si reus vult contendere, lis contestatur. Est porro contestatio actoris coram judice competente facta petitio, et contradictio rei.

Coepto per litis contestationem judicio, actori incumbit onus probandi; nam actore non probante reus absolvitur. Quod si reus exceptionem afferat, ejus probandae onus eidem incumbit.

Probatio alia plena, alia semiplena, ex forensi usu.

Plena ducitur ex judiciali confessione adversarii, ex praestito ab altero ex ligitantibus juramento, ex testium dictis, ex publicis instrumentis.

Si quis in judicio fatetur, ita sua confessione gravatur, ut non aliae sint judicis partes, quam in condemnando.

Si respondere detrectat, pro confitente, vel negante habetur, prout ponenti adversario utilius est.

Sin inficiatur, alio genere probationum utendum.

Alia igitur probatio sumitur ex testibus. Ad plenam porro probationem duo saltem testes requiruntur; plures saepe requiruntur, velut in testamentis, et codicillis.

Plerique legibus a ferendo testimonio removentur; sed et in his audiendis, qui legibus admittuntur, magna prorsus circumspectio adhibenda, an probi ac fide digni; an nulla in eos, quoad rem de qua agitur, odii, favoris, cupiditatis suspicio cadat. Videndum etiam, an testes scientiae causam afferant per eum corporis sensum, cui res subjicitur, nempe per visum, si de facto, per auditum, si de dicto agatur.

Instrumenta sunt scripturae ad alicujus rei probationem factae.

Dividuntur in publica, et privata.

Quaedam scripturae, etsi publicae non sint, effectu inspecto pro publicis haberi solent, ut sunt scripturae publico principis obsignatae sigillo, quibus fides interim adhibetur, donec contrarium edoceatur: scripturae capituli vel universi-

tatis alicujus, quaeve ex publicis tabulariis, seu archiviis depromuntur: denique scripturae privatae trino teste notatae.

Privata instrumenta sunt quae privatim a privatis conficiuntur.

Publica instrumenta plenissimam probationem faciunt, et adversus haec vix testes audiuntur. Instrumenta vero, seu scripturae privatae contra scribentem plene probant, non pro scribente, exceptis mercatorum libris, et sociorum rationibus, quibus ad commercii facilitatem plena fides tribuitur, modo libri sint ex praescripto legum confecti.

Deficientibus testibus vel instrumentis, juramentum defertur, quod habetur velut expeditum dirimendarum litium remedium. Cavendum tamen, ne improbitas juramento abutatur ad illudendum.

Factis utrimque probationibus sententia fertur a judice, vel interlocutoria, vel definitiva.

Interlocutoria, qua non universum negotium, sed incidentes quaestiones, quae identidem emergere solent, dirimit. Definitiva, qua liti finem imponit.

Lata sententia executioni mandari debet, nisi aut nulla sit ipso jure, nimirum lata a judice non competente, vel contra jus constitutionis; aut per restitutionem in integrum revocata, aut per appellationem suspensa.

Appellatio est justa ab inferiore judice ad superiorem facta provocatio; ab inferiore ad proxime superiorem judicem, distinctum ab eo qui sententiam protulit, tribunal habentem, appellatur, cum gradatim appellationes recipiuntur.

A sententiis tamen supremorum magistratuum non appellatur, sed revisionis a principe obtinendae beneficio litigantibus succurritur.

De Judice Competente.

Judex est, qui publica auctoritate judicio praeest. Publica autem illa potestas cognoscendi, judicandi, et exequendi, dicitur jurisdictio.

Jurisdictio alia propria, alia delegata.

Propria, seu ordinaria est, quam quis suo, seu ingenito magistratus, vel officii jure explicat. Dividitur haec insuper in voluntariam, et contentiosam, prior in volentes, altera in

invitos pro tribunali exercetur. Contentiosa jurisdictio territorio concluditur, voluntaria etiam extra territorium explicari potest (modo sine publici ordinis perturbatione).

Jurisdictio delegata est ea, quae alicui committitur, seu demandatur ab eo, qui habet ordinariam.

Delegatus ut plurimum nequit subdelegare, nisi delegatus a principe.

Delegata jurisdictio extinguitur morte delegati, lapsu temporis rescripto adjecti, finito negotio, revocatione, morte delegantis re integra; nam si coepto negotio contingat, obitu delegantis non extinguitur delegatio.

Ut judicium consistat, judicem oportet esse competentem.

Est porro notissima regula, actorem sequi forum rei.

Pluribus modis reus forum sortitur, scilicet ratione originis, domicilii, rei sitae, contractus, successionis, delicti, et privilegii.

Ratione originis ibi forum quis habet, ubi natus est, vel nasci debuit.

Ratione domicilii, ubi stabiliter manendi animo se contulit.

Ratione rei sitae, ubi sita est res, de qua in judicio contenditur.

Ratione contractus, ubi contractum, vel quasi contractum celebravit, si illic est, aut bona habeat, quae auctoritate judicis possint possideri.

Ratione successionis, ubi quis haereditatem adiit, aut haereditas reperitur.

Ratione delicti, ubi delictum admisit.

Ratione privilegii peculiare forum sortiuntur milites, studiosi, professores, senatores, ceterique clarissimi viri: tum pupilli, viduae, aliaeque miserabiles personae.

Ratione denique causae competens judex dicitur, cui peculiaris quarumdam causarum notio tributa est.

De Actore.

Actor est, qui aliquid in judicio petit ab alio.

In judiciis familiae erciscundae, communi dividundo, et finium regundorum, in quibus mutuae, paresque sunt colligantium petitiones, placuit eum, qui primus provocat ad

judicium, actoris partes sustinere, utroque simul provocante rem sorte dirimi.

Actoris personam agere nemo cogitur, excepto casu *leg.* 5. *Cod. de ingen. manum.*; unde saepe in foro agitantur jactantiae judicia.

Legitimam in judicio consistendi personam non omnes habent: removentur mente capti, furiosi, infantes, et qui furiosis comparantur, prodigi: tum pupilli, et minores sine tutorum auctoritate, curatorumve consensu, filiifamilias, nisi pro bonis castrensibus aut quasi, aliisve paucis exceptis casibus.

Olim nemo per alium agere poterat, nisi pro populo, pro libertate, pro tutela; sed morbus, aetas, aliave plura impedimenta procuratorum usum invexere, quos postea pro aliis indistincte ad agendum placuit admitti.

Jure veteri actores, ne temere aliis molestiam inferrent plus petendo, quam deberetur, causa cadebant. Quatuor modis peti plus poterat, re, tempore, loco, et causa.

Hodie qui plus re, idest plus summa debita petit, in omnes litis expensas condemnatur, licet reus nihil afferat. At si certum corpus, puta praedium, domus petatur, et partem, quam injuste detinet, reus non offerat, impensae, quasi ex mutua victoria, compensantur. Si tempore plus petatur, velut ante diem, vel ante impletam conditionem, solet reus absolvi cum impensis, salvo jure actori eum conveniendi, adveniente die, purificata conditione ec. Si aliud pro alio petitum sit, vel ex alia causa, puta petatur ex stipulatu, quod debetur ex testamento, poterit actor, refusis reo indebitae petitionis expensis, errorem suum in eodem judicio corrigere.

De Judiciis possessoriis, seu interdictis.

Differt possessio a proprietate, seu dominio, ut notum est, nam et qui dominus est, rem suam interdum non possidet, et res aliena quandoque ab eo, qui dominus non est, possidetur.

Fieri autem potest, ut qui rem alienam possidet, bona eam fide possidere inceperit, tumque exorto dubio, in pari causa, potior est conditio possidentis. Istud proinde inter cetera commodum est possessionis, ut qui rem possidet, non

cogatur eam petere ab adversario, sed alter qui non possidet, probare debet rem ad se pertinere. Quia igitur, ut inquit Justinianus, *longe commodius est et potius, possidere, quam petere: ideo plerumque, et fere semper, ingens existit contentio de ipsa possessione.* Hinc judicia plerumque a possessionis causa ducunt exordium, quod utilius sit experiri possessorio, quam petitorio judicio, propter difficiliores dominii; quam possessionis probationes; cum illae sint juris, istae potius facti sint.

Huc pertinent ea, quae veteres interdicta dixere.

Erant autem interdicta, inquit Justinianus, *formae, atque conceptiones verborum, quibus praetor aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat: quod tunc maxime fiebat, cum de possessione, aut quasi possessione* (rerum scilicet incorporalium, puta ususfructus) *inter aliquos contendebatur.*

Ideo autem de causa possessionis potissimum interdicta proposita, ut hujusmodi controversiae, in quibus ut plurimum ultra jurgium proceditur, et manibus non temperatur, quam celerrime componerentur.

Hinc distinctio invaluit possessorii judicii in summarium, et ordinarium seu plenarium. In summario possessionis judicio id unum forenses volunt judicem inspicere, uter ex litigatoribus motae litis tempore possideat, ut interim tamquam possessor constituatur, seu verius, absque alterius partis praejudicio rei custos atque detentor, donec maturius ac diligentius de possessionis causa in plenario judicio cognitum sit.

Ordinarium seu plenarium possessorium judicium illud esse ajunt, in quo juris ordine servato procedi solet, atque hoc judicium proprietatis causam praeparat, et ob eum finem reddi solet, ut liqueat quinam in petitorio judicio actoris partes debeat sustinere.

Praecipua autem interdictorum ad hanc rem pertinentium divisio haec est « quod quaedam adipiscendae possessionis « causa comparata sunt, quaedam retinendae, quaedam re- « cuperandae. »

Interdictum, sive remedium adipiscendae possessionis haeredi tribuitur, ut post aditam haereditatem mittatur in possessionem omnium bonorum, quae defunctus mortis tempore possidebat. Hoc interdictum ex primis verbis formulae dicitur: *Quorum bonorum.*

« Retinendae possessionis causa comparata sunt interdi- « cta: *Uti possidetis*, et *utrubi:* » primum de immobilibus, alterum de mobilibus.

Hoc interdictum, quandoquidem vi et potestate unum est, possessori inservit, qui litis contestatae tempore rem sive immobilem, sive mobilem nec vi, nec clam, nec precario se possedisse probaverit, ver. gr. si Titius, te absente et ignorante, posessionem tuam clam, et furtive ingressus est, postquam id rescisti, competit tibi remedium, sive interdictum *uti possidetis*. vel *utrubi*, ad retinendam possessionem civilem, expellendumque alterum a naturali, judicis, vel praetoris auctoritate.

Demum « recuperandae possessionis causa solet interdici, « si quis ex possessione fundi, vel aedium vi dejectus fuerit, « nam ei proponitur interdictum *unde vi*, per quod is qui « dejecit, cogitur ei restituere possessionem, licet is ab eo, « qui vi dejecit, vi, vel clam, vel precario possideat. » Sane in interdicto *uti possidetis*, succumbit qui ab adversario vel vi, vel clam, vel precario possidet. In interdicto *unde vi*, etiam ille vincit; nisi in continenti et ferventi adhuc congressu rursum dejectus sit.

De Judiciis petitoriis, seu de Actionibus.

Post causam possessionis judicis decreto finitam, institui plerumque solet lis de proprietate. Igitur in petitorio judicio agitur de dominio, seu de rei proprietate, aut alio quovis jure seorsum a possessione, vel quasi. Atque in hoc probare quisque debet intentionis suae fundamentum est. Itaque sollicitum actorem esse oportet, ut propositae actionis, ut ajunt, extrema concludenter comprobet; nam eo in probatione deficiente, reus absolvitur.

Actio definitur jus persequendi in judicio quod sibi debetur.

Actio est vel in rem, vel in personam, vel mixta.

Actio in rem, quae etiam dicitur vindicatio, est, qua rem nostram petimus ab eo, qui illam possidet, quique aliunde nobis non est obligatus; haec actio semper adversus eum est, qui rem possidet.

Actio in personam, quae etiam dicitur condictio, est qua in eum agimus, qui ad faciendum aliquid, aut dandum nobis est obligatus, sive ex contractu, aut quasi contractu sive ex maleficio, aut quasi maleficio.

Actio mixta, quae partim est in rem, partim in personam, qualis est actio familiae erciscundae inter haeredes ec.

Pro causarum varietate plura invecta sunt actionum genera, quarum multae praetorum nominibus insignitae sunt, velut Pauliana, Serviana ec. Sed de his particulatim agere non vacat, cum omnium eadem sit generalis ratio.

Alia est generalis actionum distinctio, qua omnes in simplum, duplum, triplum, vel quadruplum sunt conceptae: ultra quadruplum nulla datur.

In simplum actiones illae sunt, quibus praecise quod nobis abest persequimur, ex mutuo, ex. gr., locato ec.; tum etiam etsi ex delicto sit actio, quoties ejusmodi actio solam rei persecutionem continet, ut evenit in actione rerum amotarum, quae marito tribuitur adversus mulierem, quae aliquid ex bonis ejus surripuit, omisso furti nomine, ut matrimonii decus servetur.

In duplum dantur actiones, ex. gr. ex damno injuria dato.

Actio furti manifesti datur in quadruplum.

Tertia generalis distinctio actionum habetur in actiones bonae fidei, arbitrarias, et stricti juris.

Actiones bonae fidei sunt, in quibus judici potestas permittitur aestimandi inter litigatores quid alter alteri ex bona fide praestare debeat. Sic venditor rei venditae vitium celans, vel emptorem quoquo modo decipiens erga ipsum adid quod interest ex bona fide, seu ex aequo et bono condemnatur.

Arbitrariae dicuntur, quae ex arbitrio judicis pendent. Actiones arbitrarias ab actionibus bonae fidei hoc differre statuunt, quod priores suapte natura semperque sint tales, posteriores vero tales ex accidenti efficiantur. Cujus rei exemplum ponunt in reo, qui si jubenti judici obtemperat, remque reddere jussus confestim restituit, absolvitur: si contumax sit, in gravius quid judicis arbitrio condemnatur.

Sed cavendun, ne judici nimium permitti putetur, quod sit ab aequitate sejunctum. Quare si recte de tota re statuere velimus, actiones arbitrarias ab actionibus bonae fidei non vi et potestate discretas judicabimus, sed solum per externas veluti conditiones; adeo ut bonae fidei dicantur, in quibus rei contractae natura aestimationem ex quo et bono postu-

lat; arbitrariae vero, in quibus spectatis circumstantiis judex arbitrari, seu aestimare debet quid eadem aequitas postulet. Quare etiam Justinianus de his actionibus locutus, concludit in hunc modum: « in his, et ceteris similibus permittitur « judici ex bono et aequo, secundum cujusque rei, de qua « actum est, naturam, aestimare, quemadmodum actori sa- « tisfieri oporteat. »

Stricti juris sunt actiones, in quibus judex ex formulae praescripto judicat, in quibus scilicet id praestari debet, quod conventum est, vel quod natura contractus requirit, quin judex possit quidquam vel demere, vel detrahere.

Quartum genus est actionum, « in quibus vel solidum « consequimur, vel non. Sunt enim quaedam actiones, qui- « bus non semper solidum, quod nobis debetur, persequimur; « sed modo solidum persequimur, modo minus: velut si aga- « mus in peculium filiifamilias, vel servi; nam si non mi- « nus in peculio sit quam persequimur, in solidum dominus, « paterve condemnatur: si vero minus inveniatur, eatenus condemnat judex, quatenus in peculio sit. »

Quibusdam quoque personis indultum est, ne conveniantur, nisi in id quod civiliter facere possunt; civiliter autem intelligitur, quod de suo praestare quis potest, eo deducto, quod ad necessaria vitae adjumenta spectare conditione personae requiritur. Idque vulgo dicitur competentiae privilegium.

Datur autem. 1. Marito ad dotis solutionem ab uxore convento, qui non damnatur, nisi quatenus ejus facultates patiuntur. 2. Parenti, patrono, socio, et donatori. 3. Cum debitore, qui creditoribus bona sua cessit, si postea aliquid acquisierit, quod alicujus momenti sit, ex integro in id quod facere potest, creditores experiuntur. *Inhumanum enim visum est*, inquit imperator, *spoliatum fortunis suis in solidum damnari.*

Demum actiones aliae perpetuae dicuntur, aliae temporariae. Perpetuae olim revera erant, quae legibus dabantur: temporariae, quae ex praetoris jurisdictione pendebant, quae intra annum vivere dicebantur, quippe et praetoris intra annum erat imperium. Postmodum vero sacrae constitutiones actionibus tam in rem, quam in personam certos fines dederunt; ut scilicet actiones 30. et ad summum 40. an-

norum praescriptione excluderentur, quod tempus nunc abusive perpetuum dicitur. Hoc autem publicae utilitatis causa constitutum est, ut litium aliquis esset finis.

Superest ut admoneamus, quod si ante rem judicatam is, cum quo actum est, actori satisfaciat, officio judicis convenit eum absolvere; quod quidam interpretantur liberatum ab actione dimittere; alii officio judicis convenire, ut etiam sententia sua eum absolvat, quod et ratio juris exigere videtur, et reo utilius est propter exceptionem rei judicatae.

De Reo, deque exceptionibus, et replicationibus.

Ut actor est qui petit, sic reus dicitur, a quo in judicio petitur.

Duplici potissimum ex capite rei favorabilior est, quam actoris conditio. 1. Quod probandi onus in actorem relabitur; adeo ut actore non probante, tametsi reus nil praestet, absolvatur. Unde illud ex aequitate naturali profectum est: cum partium jura sunt obscura, reo potius favendum, quam actori. 2. Quod certa sunt praefinita tempora actori ad agendum, quibus lapsis agere non amplius potest; contra exceptiones opponi quandocumque possunt; nam in actoris potestate est uti jure suo cum velit, at in arbitrio rei non est quando conveniatur.

Dupliciter excipit reus, aut inficiando, aut actionem depellendo. Inficiatur, cum actori negat actionem ullam competere de eo quod petitur, idque dupliciter, vel pure negando, puta mutuam sibi datam fuisse pecuniam, haecque inficiatio nulla probatione eget ex parte rei, sed actori totum probandi onus incumbit; vel fatendo quidem mutuum, sed ajendo se solvisse: tumque cum reus factum affirmet, in eum onus probandi recidit.

Depellendo excipit reus cum fatetur actionem quidem competere, sed tali utitur defensione, quae actionem excludere valeat; puta si fateatur se promisisse, et stipulatum esse; unde adversario competit actio ad promissum exigendum: verum dicat se adversarii dolo inductum ad stipulandum; quo dolo excludi debeat actio, seu jus in adversario ad exigendum promissum.

Exceptio proinde dicitur defensio, quae actioni stricto jure constitutae opposita, hanc ipsam aequitatis ratione excludit.

« Comparatae sunt, inquit imperator, exceptiones defen-« dendorum eorum gratia, cum quibus agitur. Saepe enim « accidit; ut licet ipsa persecutio, qua actor experitur, justa « sit (inspecto scilicet rigore juris): tamen iniqua sit adver-« sus eum, cum quo agitur. Verbi gr. si metu coactus, aut « dolo inductus, aut errore lapsus, stipulando Titio promi-« sisti, palam est jure civili (idest subtilitate juris civilis) « te obligatum esse: et actio, qua intenditur dare te opor-« tere, efficax est: sed iniquum est te condemnari. Ideoque « datur tibi exceptio ad impugnandam actionem. » Scilicet dolus, metusve adhibitus non impedit (civili jure) quominus actio nascatur; sed satis est quod exceptionem pariat ad actionem oppugnandam.

Exceptiones aliae sunt peremptoriae, aliae dilatoriae. « Pe-« remptoriae sunt, quae semper agentibus obstant, et sem-« per rem, de qua agitur, perimunt: qualis est exceptio « doli mali, et quod metus causa factum est, et pacti con-« venti, cum ita convenerit, ne omnino pecunia peteretur. » His adduntur exceptio erroris, rei judicatae, transactionis etc.

« Dilatoriae sunt, quae rem differunt, seu temporis di-« latationem tribuunt. Talis est exceptio pacti conventi, cum « ita convenerit, ne intra certum tempus ageretur; veluti « intra quinquennium: nam finito eo tempore, non impedi-« tur actor rem exequi. »

Ex dilatoriis aliae recipiunt negotium principale; qualis est mox memorata, et quae oritur ex moratorio principis rescripto ad differendam solutionem iis concedi solito, qui non proprio vitio, sed adversantis fortunae casu facultatibus lapsi sunt. Quaedam ad constituendi judicii ordinem referuntur, et ex his aliae spectant judicem, ut exceptio incompetentiae, recusationis judicis suspecti, praeventionis, quando lis coram judice coepta est; aliae adversarii personam, quae judicio consistere nequeat; aliae demum naturam, seu speciem actionis; sive quia actio, prout est instituta, non competit, sive quia alia prius actione experiendum sit, ne graviori causae praejudicium creatur. Atque posteriores hae exceptiones praejudicia vocantur.

Ex eadem aequitate, qua placuit actiones opposita exceceptione elidi pósse, receptum est, actori quoque succurri per replicationem, si exceptio inique noceat: rursum autem si replicatio inique nocet, reo succurritur per novam allegatio-

nem, quae duplicatio dicitur; cui opponitur alia ex parte actoris replicatio; et huic ex parte rei triplicatio. Sed nimia haec opponendi licentia coercita est, solaque in judiciis duplicatio admittitur, nisi aliud prudenti judici videatur.

Ceterum hic replicationum hinc inde abusus, cum ex peculiaribus causarum circumstantiis enascatur, vix universalibus legibus satis apte praecaveri potest, quandoquidem universales leges non omnes peculiares casus percensere valent. Remedium porro futurum est in excellenti magistratuum delectu.

De poena temere litigantium..

Cum ex litibus, jurgiisque plura reipublicae universae, et privatorum fortunis damna obveniant, aequum visum est, improbos litigatores, sive agant, sive conveniantur, debita poena mulctari; et quidem vel mulctae pecuniariae, vel infamiae irrogatione. Olim initio litis tam actor, quam reus, jurisjurandi religione devinciebantur; jurabat ille, se non calumniandi animo litem intendere; hic eamdem circa .dolum excipere. Mulctabantur pariter temerarii litigatores decima parte aestimationis litis expensarum nomine. Sed his sublatis hodie qui injustam causam promovent, sustinentve, iu sumptus expensarum litis, et cetera reficienda damna, condemnantur.

Aliquando litigantes infamia notantur. Est infamia boni nominis diminutio: et duplex est, juris, et facti. In judiciis civilibus incurri potest infamia ex delicto, et ex contractu. Ex delicto quatuor his causis, furti, rapinae, injuriarum, doli mali, si sententia fuerit confirmata, nec condemnatus provocaverit. Alia addenda causa est eorum, qui de crimine paciscuntur. Ex contractu quatuor etiam causis tutelae, mandati, depositi, pro socio, quoties directis, non contrariis actionibus agitur: directis, inquam, non contrariis, quia in concontrariis judiciis de dolo, aut perfidia non agitur, sed tantum de calculo, et supputatione, quod contrario judicio agenti abest. Nemo autem notatur, nisi qui ex his causis ob dolum, ac perfidiam damnatus sit. Propter eam rationem in reliquis bonae fidei judiciis, empti, venditi, locati, conducti etc., etiam ob dolum damnati non fiunt infames; nam licet in omnibus, qui dolo malo se gerit, fidem violat, in illis tantum quatuor causis tutelae, mandati etc. eam violat,

specie amicitiae, quod maximae iniquitatis apertissimum est argumentum. Ex judiciis vero criminalibus infamia semper oboritur.

DE JUDICIIS CRIMINALIBUS

De crimine generatim.

Criminis nomen designat factum quodcumque, vel non factum, contra legis praescriptum, sponte admissum, a judice puniendum.

Divi solent crimina in publica, et privata: ordinaria, et extraordinaria: graviora, et leviora: simplicia, et qualificata: communia, et propria: capitalia, non capitalia; notoria, et occulta: Ecclesiastica, saecularia, et mixta.

Publica, quae universae reipublicae; privata dicuntur, quae privatis directo, ac principaliter nocent. [Hinc olim de crimine publico cuilibet de populo facta est accusandi potestas: de privato, iis solum, quorum intererat.

Ordinaria, quae statuta legibus poena; extraordinaria, quae arbitrio judicis puniebantur.

Graviora, vel talia sunt suapte natura, qualia habentur crimina laesae divinae, humanaeque majestatis, homicidii, incestus, adulterii, raptus etc.; vel talia ex concurrentibus circumstantiis efficiuntur. Leviora dicuntur, quae graviorum comparatione minora judicantur.

Simplicia, quae retinent proprium genus legibus definitum, quale est simplex furtum, vel homicidium. Qualificata, quae propter peculiares circumstantias aliam induunt gravioris criminis speciem.

Capitalia, quibus indicta est poena mortis naturalis, vel civilis, scilicet amissio libertatis, vel civitatis. Non capitalia, quibus minor poena infligitur.

Communia, quae ab omnibus committi possunt, ut homicidium: propria, quae a certo dumtaxat personarum genere perpetrantur, velut clericorum, vel militum in propriis officiis delinquentium.

Notoria, de quibus palam constat: occulta, de quibus nec populi testimonio, nec judiciali ordine constat. Quam distinctionem plerique juri canonico potius, quam civili referendam arbitrantur.

Ecclesiastica, quorum cognitio ad Ecclesiasticos praelatos: secularia, quorum cognitio ad laicos magistratus spectat: Mixta, de quibus utrique cognoscere possunt, et in quibus proinde fit locus praeventioni.

De Criminalium judiciorum ordine.

Nobis propositum non est in hoc tetriore argumento diutius immorari, sed leviter id attingere, prout fert instituti nostri ratio, ut generales praeceptiones innotescant, quas in hoc ordine servari aequitas maxime postulat.

Crimen tripliciter in judicium deducitur, accusatione, denuntiatione, inquisitione.

Accusatio est criminis ad judicem delatio ad publicam vindictam, interveniente accusatoris inscriptione.

Denunciatio est simplex criminis delatio, quae fit etiam sine inscriptione.

Inquisitio, cui plerumque locum facit denunciatio, obtinet, quoties judex ex officio in reum, et in crimen inquirit.

Quocumque modo crimen deductum fuerit, probari debet. Frequentiores porro probationes fiunt testibus, tabulis, seu instrumentis, praesumptionibus, et indiciis, ac tandem rei confessione.

In ejusmodi probationibus non solum praescriptum legum accuratissime est attendendum, sed et summa judicis prudendentia, et aequitas desideratur.

Confessio rei vel sponte fit, vel tormentis exprimitur.

Confessio, quae sponte fit, alia extrajudicialis, alia judicialis. Quoad extrajudicialem dispiciendum est judici, quo loco, tempore, quave ratione facta sit, ut dignoscat, an et quomodo sit ei deferendum. Judicialem vero confessionem si reus postea ratam habuerit, et aliunde confessio criminis indiciis, et argumentis respondeat, pro convicto habetur: quae cautio rite introducta est, ne juvetur perire volens.

Confesso etiam datur facultas advocatum et procuratorem eligendi ad causae suae tuitionem.

Si vero reus inficiatur, et probationes, et indicia non sufficiant ad condemnandum, quaestioni reus subjicitur, ut ex ejus ore confessio eruatur. Tunc a reo generaliter quaerendum quis id fecerit, non specialiter an hic vel ille fecerit,

quia ejusmodi interrogatio non quaerentis, sed suggerentis judicis esset, quod fieri vetitum est.

De tormentis multa sunt a doctis viris disputata, quae ignoranda non sunt.

Ceterum ad ejus medii severitatem paullisper molliendam legibus praescriptum est, ut nemo quaestioni subjici possit, nisi adeo perspicua adversum reum urgeant indicia, ut nihil deesse praeter ejus confessionem videatur.

Tum jure regio, nisi crimen tale sit, cui immineat poena mortis, aut damnationis ad remum.

Insuper non aliter fidem facit tormentis extorta confessio, quam si extra tormenta fuerit corfirmata, eique indicia cohaereant. Si eam retractat, ter torquetur. Quod si ter in tormentis fatetur; fit locus poenae extraordinariae.

Reus contumax ex semiplena probatione condemnatur. Quod ob contumaciam condemnari queat, et eo quidem graviore poena, quo gravius est crimen de quo agitur, id vere manifeste patet consentaneum esse naturali aequitati. Quod autem vi contumaciae damnetur ob crimen, de quo certo non constat, id non aeque consentaneum primo aspectu appareret, nisi aliter jura decernerent.

Poenarum autem duo sunt genera, aliae capitales, quibus olim semper conjuncta erat publicatio bonorum, quam Justinianus in solo crimine laesae majestatis retinuit, in ceteris abrogavit favore descendentium, et ascendentium usque ad tertium gradum. Aliae non capitales.

Prioribus adimitur vita naturalis, vel civilis. Adimebatur vita naturalis pro diversa criminum qualitate, reum in vicinum mare projiciendo, vivum comburendo, bestiis subjiciendo, gladio feriendo, cruci affigendo (quem modum sustulit Constantinus), de saxo dejiciendo ec. Tollebatur vita civilis in libertate, et civitate consistens, in mettallum damnatione, qua libertas adimebatur; sed postea receptum est, ut hac poena civitas tantum tolleretur.

Antiquitus alia erat publicorum, et ordinariorum, alia extraordinariorum judiciorum ratio. In illis poenam lege statutam judex infligere debebat, nec eam augere, aut minuere poterat: in istis pro variis personarum, locorum, et temporum circumstantiis gravius, aut levius animadvertebat. Qua de re, ait Marcianus, perspiciendum est judicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quam causa deposcit;

nec enim aut severitatis, aut clementiae gloria affectanda est; sed perpenso judicio, prout res quaeque postulat, statuendum. Et cum delinqui possit aut dolo, aut impetu, aut casu, diversam esse debere puniendorum criminum rationem animadvertit Claudius Saturninus; qui postquam docuit, puniri oportere facta, dicta, scripta, et consilia, subdit, haec quatuor genera septem modis esse consideranda: causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, et eventu.

Quoad judices summa huc redit: aut lege infligitur certa poena, et tunc judex nec gravius, nec remissius animadvertere debet: aut lege non satis constat, quomodo puniendus sit reus, tumque ad prudentis judicis religionem pertinebit poenam decernere, qua reipublicae, et parti laesae fiat satis, eo modo quem justitiae leges postulant.

Jure Regio censent, si nulla certa poena statuta est, puniendum esse reum juxta ea, quae in similibus casibus cauta inveniuntur, et firmata magistratuum sententiis: his deficientibus nulla localium statutorum habita ratione infligendam poenam ex communis juris dispositione (1).

Quoad actorem, qui criminalibus in judiciis accusator est, notandum gravissimis poenis affectos fuisse calumniatores, praevaricatores, tergiversatores. Calumniari dicebatur, qui falsa crimina intendebat: praevaricari, qui vera crimina occultabat, sive cum reo, ut absolvetur, colludebat: tergiversari, qui ab accusatione in totum desistebat (2).

De Reo.

Quicumque crimen committit, rei nomine designatur. Sed ut crimen vere, proprieque ab aliquo commissum censeatur, duo requiruntur, factum, et dolus malus. Facti nomine venit quidquid committitur contra legem. Hinc qui de crimine patrando cogitat, ex usu juris reus non est, quia cogitationis poenam nemo patitur. Proinde quod dici solet, in maleficiis voluntatem spectandam, non exitum, accipiendum est, quoties externo aliquo actu declarata voluntas est.

Quaeritur ergo, quid agendum cum voluntas exteriore actu manifestata effectum non habuit. Qua de re inspiciendae leges; nimirum si lex expletum crimen exposcat, poenae

(1) *De officio Judicis.*
(2) *De accusatore.*

ordinariae non fiet locus, sed tantum extraordinariae; sin inchoactum tantum requirit, solus conatus ordinaria poena punietur.

Sed ad constituendum crimen oportet, ut factum dolo malo sit admissum. Quapropter culpa lata, quae in civilibus judiciis dolo aequiparatur, in criminalibus nonnisi imperfectum crimen constituit, aliqua tamen poena plectendum.

Committuntur autem crimina 1. a mandantibus, et mandatariis; nam qui per alium facit, per se facere videtur.

2. A consulentibus.

3. Ab his, qui auxilium praebent. Refert tamen, proximum, an remotum sit auxilium. Si proximum, ordiria; si remotum, mitiori poena plectitur.

4. A minoribus crimina committi, possunt, cum sint doli capaces; jure tamen romano mitius puniuntur. Jure Regio, cum de atrocioribus delictis agitur, majores habentur qui 20. annum sunt praetergressi; minores 20. annis poena extraordinaria puniuntur, quae respondere debet aetati, et qualitati delicti.

5. Licet in civilibus prodigi furiosis comparentur, non minus tamen, quam alii, dolo delinquere valent.

6. Ab ebriosis, qui postquam vino sese ingurgitaverint, delinquere solent. Etenim crimen est non praevidere quod praevideri prorsus oportebat. Alia ratio de ebrio, qui casu potius, quam prava consuetudine inebriatur. Quae ebriosus ordinaria, ebrius extraordinaria poena punitur: quo in foro receptum est.

7. Ab his, qui ex officio prohibere tenentur, si non prohibent, cum possunt. Etenim planum est eum delinquere, qui non facit quod facere debet. Quae ratio multo potior videtur ea, quae ex subtilitate juris affertur, quod tunc non prohibere crimen, genus quoddam mandati esse videatur; quippe quod ait seneca: *Qui non vetat peccare, cum posset, jubet*, oratoria figura magis esse videtur, quam ad puram veri rationem adstricta sententia. Si de gravissimis criminibus agatur, omnes prohibere tenentur: sin de aliis, prohibendi necessitas ratione officii, seu potestatis imminet potissimum magistratibus, quorum est dare operam, ut credita sibi provincia malis hominibus careat: tum parentibus, et dominis respectu filiorum, et servorum; tum filiis, servis, quin etiam militibus, et vassallis, parentum, et dominorum gra-

tia; nam hi omnes impedire pro viribus debent, ne parentes, vel ii quorum subsunt imperio, ab aliis offendantur.

8. Ab his, qui impetu agunt, nisi talis sit impetus, qui rationis usum omnino praepediat. Impetum autem faciunt sive ira, sive libido. Ira videtur venia dignior, cum multa extrinsecus quandoque contingant, minur praevisa, quae subito ad iracundiam concitant. Quamobrem praecipiunt, prudentem judicem dispicere oportere, perpensis omnibus circumstantiis, qua poena plectendus sit qui ira percitus crimen admisit. Contra libido minus veniae habet, quia quisque tenetur pessimum ingenium rationi subjicere, ne impotenter sese libido efferat. Hinc jure constitutum est, eos qui cupiditate, vel libidine peccant, si nihil aliud suffragetur, ordinaria poena teneri.

Delictum autem nullum est in his, qui somno correpti facinus aliquod perpetrant, cum somnus naturae sit, non culpae; nisi quis sciret se noctu assurgere, et assurgendo delinquere. Nullum pariter in his, qui non voluntate, sed mero casu oberrant; neque porro in his, qui usum rationis non habent, nec sunt dolj capaces.

Quid porro si qui sanae mentis deliquit, in furorem et amentiam postea incideret? Praecipiunt, consulendum fore principem, qui delicti qualitate inspecta aestimabit, an et qua poena reus sit afficiendus.

De publicis Judiciis.

Publica judicia, quibus vindicantur delicta, quae universae reipublicae statum labefactant, sic dicta sunt, quod cuivis e populo agere liceret. Hodie accusandi, et crimina de quibus ad publicam vindictam agitur, persequendi cura advocatis et procuratoribus fisci injuncta est. Ex his quaedam capitalia sunt, in quibus mors naturalis, vel civilis; alia non capitalia, in quibus infamia irrogatur cum damno pecuniario.

I. Inter publica crimina primum locum tenet crimen laesae majestatis, cujus duo sunt genera, unum perduellionis, alterum quod laesae majestatis nomen retinet. Perduelles sunt, qui hostili animo quid adversus principem, aut rempublicam machinantur: quod utpote atrocissimum severissimis poenis vindicatur. Nam mortuo reo, nondum postulato criminis, co-

gnitio inchoari, et perfici potest, damnataque rei memoria bona fisco addicuntur. Sola voluntas seu conatus eadem, qua effectus, poena plectitur; eodemque modo conscii, quo auctores ipsi, puniuntur.

Rei vero laesae majestatis in specie censentur quicumque partem reipublicae laedunt, aut magistratibus munus suum exequentibus officiunt, ut passim interpretes tradunt.

II. Adulterium, scilicet alieni tori violatio. Primus in adulteros capitalem poenam sanxisse fertur Constantinus. Huc pertinet nefanda libido, tum stuprum, quod in virginem, viduamque honeste viventem committitur.

III. Homicidium lege Cornelia de Sicariis plectitur. Sicarii autem dicti sunt a sica, quod est cultrum ferreum. Lex Cornelia sanciebat deportationem, et bonorum omnium ademptionem. Temporibus Marciani honestiores, scilicet qui honore aliquo fungebantur, deportari; qui secundo gradu erant, capite plecti; humiliores bestiis subjici consuevere. Eadem lex Cornelia pariter animadvertit in veneficos et quidem capitali poena.

IV. Parricidium proprie ab eo committitur, qui patrem interficit. At parricidae vocantur illi omnes, qui parentibus, liberis, fratribus, sororibus, patruis, avunculis, amitis, consobrinis, viro, uxori, socero, genero, socrui, nurui, vitrico, novercae, privigno, sponso, et sponsae necem inferunt. Parricida proprie dictus apud Romanos insutus culeo cum cane, et gallo gallinaceo, et vipera, et simia, vel in vicinum mare, vel in amnem projicitur. Si quis autem, ait imperator, alias personas cognatione, vel affinitate conjunctas necaverit, poenam legis Corneliae de sicariis sustinebit.

V. Crimen falsi, quod ab eo committitur, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, subjecerit, vel signum adulterinum fecerit, sculpserit, expresserit; item qui nummos aureos, argenteos adulteraverit, conflaverit, raserit, corruperit, vultuque principis signatam monetam, praeter adulterinam, reprobaverit. Jure romano poena in servis ultimum supplicium, in liberis deportatio, omniumque bonorum amissio.

VI. Vis, sive majoris rei impetus, qui repelli non potest, alia publica, quae armis infertur, alia privata, quae sine armis; prior deportatione, posterior tertiae partis bonorum ademptione, et infamia puniebatur. Verum qui virginem, viduam,

vel sanctimonialem, licet volentem rapiunt, poena criminis raptus tenentur, et capite plectuntur.

VII. Peculatus crimen admittunt qui pecuniam publicam, remque sacram aut religiosam furantur. Administratores earum rerum, aliive opem ipsis ferentes capite puniuntur, ceteri deportantur, et quandoque quadruplum condemnantur.

VIII. Plagium est liberi hominis, vel servi dolo malo facta suppressio. Plagiarii primum poena pecuniaria mulctabantur, inde gravius, et aliquando capite puniri coeperunt.

IX. Ambitus est data pecunia dignitatis, honorisve illicita comparatio. Varia fuit hujus criminis poena.

X. Crimen repetundarum, in quod incidunt qui in magistratu, vel alio publico ministerio constituti, per se, vel per suos administros quid acceperint, exegerintque, quo magis, aut quo minus, officium suum exequerentur. Hujus criminis diversa poena est pro admissi qualitate.

XI. Crimen fraudatae annonae. Nomen annonae ea omnia complectitur, quae sunt ad victum necessaria. Id crimen ab ab his committitur, qui ut cariorem reddant annonam frumenta in alium, praeter praescriptum, usum convertunt: aut majoris lucri spe adducti praediorum suorum fructus justo pretio distrahere nolunt. Ad reum accusandum admittuntur etiam mulieres, famuli, et servi, licet proprii. Hujus criminis ordinaria poena est 20. aureorum; extraordinaria, relegatio, vel in opus publicum condemnatio.

XII. Postremo lege Julia de residuis tenentur, qui pecuniam publicam ex administratione penes se residuam retinent, nec in publicum aerarium deferunt. Hac lege damnatus amplius tertia parte, quam debet, fisco tribuenda, punitur.

FINE DEL VOLUME OTTAVO, ED ULTIMO.

INDICE

DELLE

OPERE CONTENUTE IN QUESTO OTTAVO VOLUME



FINE DELL' INDICE DEL VOLUME OTTAVO.

